UNIVERSITARIA
R. BIBLIOTECA
A
f
50
ALESSANDRINA
ROMA

DE VERO ET CHRISTIANO PRINCIPE

Deque eius viſibili hic in Terris Miniſterio.

LIBRI DVO.

Authore R. D. MATTHAEO SCOLASTICO S. S. Theologiæ & I. V. Doctore, atq; S. D. N. CLEMENTIS PAPAE OCTAVI, Eiuſdemque Sanctæ Sedis Prothonotario Apoſtolico.

AD SERENISS: PRINCIPEM

Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, &c.



PATAVII, Apud Franciſcum Bolzettam. M. DCI.

Ex Typographia Laurentij Paſquati.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. FERDINANDO Archiduci Auſtriæ,

Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ ac VVirtembergæ, &c.

Comiti Tirolis, Goritiæ, Habſpurgi, &c. Domino meo Colendiſſimo.

HOC ſemper fuit, Sereniſsime Princeps, animi mei deſiderium, piaq; in Rempub. Chriſtianam affectio, vt omnes labores meos ſtudiaq; illius promouendæ & amplificandæ gratia eò conferrem, primoq; ab literarum exordio aliud non ſubijt, quam vt plurimum eidem quandoque prodeſſe poſsim. Adauxit hūc animum meum quondam Sereniſsimi Ar-

chiducis CAROLI *Principis pientiſſimi, ſingularis in me clementia & benignitas, qua me ſemper (etiam neſcium huius rei) ad maiora virtutum ſtudiorumq; merita prouocauit. Maximum profectò id fuit beneficium ſancteq; recolendum, quod relicta hæreſum perfidia, ſub tanto principe fidei Chriſtianæ religionisq; Catholicæ præceptis inſtitutus, atque illius in Archiducali Græcenſi Collegio artibus liberalibus edoctus, illiusq; Duce Deoq; fauente Philoſophiæ Sacroſanctæq; Theologiæ ſecreta penetrarim: ad quod non minus me iuuit Gregorij XIII. Pontificis laudatiſſimi liberalitas & beneficentia, qua ſuorum alumnorum me placuit inibi numero adſcribi, ſicq; Eccleſiæ neceſſitatibus paulatim accommodare. Voluit equidem Sereniſſimus Carolus me poſtquam iam ſtudiorum philoſophiæ terminos poſuerim, Cæſarei Iuris faſtigium aſcendere, atq; Italiam petere: Verum probè Societatis Ieſu patrum cohortatione factum eſt, Deiq; gratia præueniente effectum, quod Eccleſiaſtici muneris parti*

cipem

cipem pro ipſius hic in terris Eccleſiæ militā tis neceſsſitatibus occupari voluerint. Quā vero leue & exile opus ex me hactenus Eccleſiæ acceſſerit, nullaq; Sereniſs: Principi CAROLO grati animi ſignificatio, ipſe mihi teſtis eſſe poſſum. Fuit quidem animus in ciuitate Carinthiorum Sancti Viti olim metropoli, grandisq; laborum copia, vbi vltra triennium ad placitum prælibati principis diſtentus atq; ad mortem ipſius vsq; defatigatus, minus tamen reſpondit conatibus præexoptatus effectus, ſic hominum illorum extitit durities, profundaq; mentis excæcatio. Vnde ne in vacuum cirrerem, apud me effecit Illuſtrisſimus & Reuerendiſs: Dominus Chriſtophorus Andreas liber Baro de Spauer & Valler. Epiſcopus Gurcēſ: atq; prædicti Principis olim Conſiliarius à ſecretis, vir ſanè de Eccleſia Dei meritiſſimus ſimul et Paſtor vigilantisſimus, quod poſt obitum ſui in Epiſcopatu ſuffraganei, eiuſdem Vicariatus prouinciam in me ſuſciperem, atq; Cathedralis illius Eccleſiæ Gurcenſ. cuius ante multo prædicatoris munere

perfunctus , conſiſtorialium cauſarum audiendarum munia ſubirem , quibus ſeptem annorum ſpatio, non tam profui quam præfui : neq; aliud tunc potuit tenuitas ingenij mei, quamuis aliud forte expoſcebat rerum magnarum cauſarumq; emergentium viciſſitudo . Quo deinde tempore , rebus ſic ferentibus Italiam inuiſere votumq; Deo perſoluere debui , eaq; quæ ſtudiorum meorum integritati deeſſe videbantur adſciſcere, vt tandem pro debito meo bonorumq; acceptorũ gratitudine Serenitati Veſtræ ſuisq; prouincijs promptior paratiorq; inſeruirẽ, illudq; factis præſtarem, quod chariſſimo Parenti ipſius faciendum dudum animo concepi. at vero mortuus eſt Carolus, Carolus inquam parens Serenitatis veſtræ Princeps optimus . verum viuit in Ferdinando Carolus Carolinaq; ſacra proſtat progenies . Hinc merito Serenitati veſtræ omnia me debere exiſtimo, quæ omnia à Carolo me accepiſſe dico . Mecum vero quàm feliciter agitur qui in amore Serenitatis veſtræ ſum, quæ me omniaq; mea ſibi tuenda ſuſcepit ,

meq;

meq; nomenq; meum Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi VIII. Pontifici clementiſſimo literis ſuis ſuggesſit, effecitq; apud eundem, vt præter innatam ſibi clementiā & ſummam gratiam, qua in me vſus eſt me in ſuum & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Prothonotarium Apoſtolicum creauerit, aliјsq; ſingularibus gratiјs et priuilegiјs pro Serenitatis veſtræ prouinciarum incremento cohoneſtauerit, pro qua dignitate conſeruanda omnia quæ huic ſunt neceſſaria Serenitas veſtra ſuppetit, maioraq; in dies fauoris & clementiæ argumenta depromit. Gratiſſima ſemper mihi extitit ſingularis illa Serenitatis veſtræ in me clementia & promptitudo, qua me ſuperiori tempore quādo ex prouinciјs ſuis in Italiam pergerem præſente dulciſſima matre ſua proſequi voluit ac ad rectè agendum pro prouinciјs ſuis riteq; Deum deprecandum cōmonere, quod tanto magis cordi mihi eſſe debuit quanto me ex natura obligatum magis, magisq; debitorem agnoſco. idq; nos commonent diuina eloquia, pro principibus noſtris exor

re,

re, vt quiete & tranquille ſub eorum regimine vitam agamus. Nec ex hoc ſi rectè me feciſſe credo, muneri meo ſatis etiam feciſſe affirmarim, multo namq; excellentius magisq; præclarum moliri debet opus, vt huius tanti Principis maieſtatem adæquet, cuius tanta eſt in rebus agendis dexteritas, in propaganda religionis Catholicæ ſynceritas, in hæreſum hæreticorumq; expulſione cõſtantia, atq; in acerbisſimorũ vitæ caſuum infortuniorumq; omnium æquo animo perferendorum fortitudo, vt vnum ſolum FERDINANDVM dixerim, qui ſeſe hæreticis opponat, malleumq; hæreticorum ſe deprædicet: tamque ſtupendum & inauditum hoc Principis FERDINANDI factum eſt, cunctisq; hoc calamitoſo ſæculo quo omnia bellis & hæreſi ardent, mortalibus ſuſpiciendum, vt aliunde nullam mihi ſcribendi materiam commodiorem accidere potuiſſe libere dicam, quam ad toti terrarum orbi, firmisſimum, inuictisſimũq; FERDINANDI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ animum, in expellendis

hære-

hæreticis, denunciandum propoſuerim ad illudq; omnes principes alios inuitandum, vt hoc ſolo viuant contenti principis exemplo, quo ſ. ſuo ſe muneri atq; diuinæ iusſioni ſatis ſuperq; feciſſe cognouerint. Quod fortisſimi pectoris exemplar zeliq; præſtantiſſimi pro domo Dei, ſi poſteri ſibi propoſuerint, vt nos modo ex FERDINANDO expreſſam quandam Ideam intueri videmur, ſic illis olim eximiam imaginem conſpicere licebit, vt non minorem ex ea uoluptatem, quàm fructum percipere posſint, quem nunc cunctis ſuppeditat præclara natura Serenitatis veſtræ indoles, tribuit doctrina, ſuggerit conſuetudo, augetq; bene ſemper agendi & zelandi pro domo Dei perpetuitas, veraq; idipſum Chriſtiani principis requirit authoritas & dignitas. Princeps enim erga alios munus proprium habet curæ & ſolicitudinis eorum, quibus præponitur, & hoc maxime oſtendit principem quod ſuorum curam agat eisque prouideat & proſpiciat, nunquam autem melius & fructuoſius conſulet ſuis princeps ſubditis,

quam ſi quæ vitæ & corporis animæq; ad-
uerſantur ſaluti, auertit, hoc autem eſt hæ
reſis, quæ ſimnl corpus et animam deſtruit,
diſperdit & exinaninat. Ideo Chriſtus Ioã
nis x. cap. Paſtor bonus non dicit honora-
tur aut colitur, ſed animam ſuam ponit pro
ouibus ſuis, hæc eſt principatus paſcendiq;
ſcientia perfectisſima, ſua potius negligere,
vt eorum quos regit curam agat &c. quæ
ſcribit D. Chriſoſt. in pſal. 113. tom. 1. Sic
ex Græcis nomen βασιλεὺς vt habetur in Eti
mologico, quidam à βάσις & λεὼς deduxe-
runt, vt qui ſit βάσις τοῦ λεῶ quod in eo ſit velu
ti fundatà ſalus populi, alijs tamen βασιλεὺς
quaſi ἄσινευς, vt qui ſit inuiolabilis. quam
ob cauſam hos libros eo nomine inſcribere
volui; De vero & Chriſtiano Principe e-
iusq; viſibili hic in terris miniſterio, vt te-
ſtificarer eam Serenitatis veſtræ curam eſ-
ſe, non quæ in ciuili tantum repub. inſtituen
da verſatur ſed quæ ita ciuitates prouin-
ciasq; attemperat & diſponit, vt ad Chri-
ſtianam religionem eamq; Catholicam potiſ
ſimum fouendam, eiusq; præceptis ciues im

buen-

buendos dirigatur. Hæc in primis omnibus
philoſophiæ partibus excellit, hancq; prin-
ceps Sereniſſime magno olim & excellenti
ingenio uiri, cum ſe rerumpub. ſuarum re-
formandarum ſtudio dediſſent, quicquid tē
poris quicquid laboris poterat impendi, con
temptis alijs omnibus, ad hanc unicè facien
dam operam, omne ſtudium ſuum contule-
rant; exiſtimantes multo eſſe præclarius, di
uinarum humanarumq; rerum permouere
rationes, quam aut ſtruendis opibus aut cu
mulandis honoribus inhærere, quibus rebus,
quoniam fragiles terrenæq; ſunt, & ad ſo-
lius corporis pertinent cultum, nemo melior,
nemo felicior, nemo iuſtior eſſe poteſt. Quē-
adm. S. Auguſt. lib. 5. Ciuit. Dei c. 24. dū
Chriſtianos principes nō ideo felices cenſen
dos eſſe teſtatur quod diu regnarunt, uel
quod hoſtes ſuos contriuerunt, uel quod ci-
uium in ſe inſurgentium impetus retunde-
„ re potuerunt. Hæc enim (inquit ille) et a-
„ lia uitæ huius ærumnoſæ uel munera uel ſo
„ latia, quidam etiam cultores dæmonum ac
„ cipere meruerunt, qui non pertinent ad Re

 gnum

„ gnum Dei, quo pertinent iſti. & hoc ipſius „ miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta qui „ in eum crederent uelut ſumma bona deſiderarent. Sed eos principes & Imperatores felices dicit eſſe habendos, qui iuſte imperant, qui malunt cupiditatibus quam quibuslibet gentibus dominari, qui omnia faciunt non ut inanem gloriam captent ſed ut felicitatem æternam aſſequantur: quo authoritatem quidem & poteſtatem gerant ſed ad Dei cultum, quo nihil ſibi antiquius eſſe debet, maxime dilatandum qui Deum timent, diligunt, ſuſpiciunt, uenerātur, qui regendæ tuendæq; reipub. cauſa non ſaturādi odij deſiderio & ſtudio facinora & maleficia grauiter uindicant, qui ueniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis prudenter nonnunquam indulgent, qui deniq; ſi quid aſpere coguntur pro bono reip. decernere, beneuolentia & liberalitate compenſant. Tales profectò Imperatores et principes Chriſtianos felices interim ſpes beatos reipſa poſtea futuros exiſtimauit S. Auguſt. talesq; imitata eſt Sereni-

tas

tas Veſtra Sereniſſime princeps. Nec iniuria: naturalis enim & diuini luminis radij ita ſapientum hominum mentes illuſtrant ut cum ſectati fuerint dictum maiorum ſuorum, qui ſanctiſſimi & ſapientiſſimi fuerunt, facilè experiantur ſtetiſſe quidem & floruiſſe imperia, primum pietate & Catholica religione, deinde conſilio veritate et iuſtitiæ integritate: ijs autem omnibus remotis corruiſſe: nunquam ſiquidem Catholici principes ex animo Deo adhæſerunt, quin de hoſtibus inſignem uictoriam reportarunt & glorioſum triumphum egerunt. Notæ ſunt in primis uictoriæ illæ quas olim Abraham, Moyſes, Ioſue, Gedeon, Samuel, Dauid, Ezechias, Ioſias, Machabæi ſibi ingenti cum laude pepererant, quaſq; in lege gratiæ multi Chriſtiani Principes mirabiliter conſecuti ſunt. Ex his Conſtantinus qui primus Imperatorum Eccleſiã Catholicam defendit, eodem fere modo Maxẽtium uicit, quo Moyſes Pharaonẽ, et Theodoſio Iuniori ut author eſt Auguſt. 5. Ciuit. cap. 25. 26 ita proſpere eueniebant ſem-

per

per omnia quia Catholicus erat, ut in prælio quod cum Eugenio tyranno commiſit, tela hoſtium in ipſos Deo agente retorquerentur: Theodoretus vero lib. 5. hiſt. 24. addit Imperatorem in prælium deſcendiſſe non tã militum copijs quam Dei auxilio nixũ, qui ad ſe auxiliares anteſignanos et duces beatos Apoſtolos Ioannem & Philippum miſerat, quibus belligerendi principibus Tyrãni exercitũ profligaret. Qua parta uictoria in morbum delapſus, cum filijs Imperium distribueret, eos veram pietatem colere hortabatur, conſtanter aſſeuerans ea & pacem conſeruari, bellum extingui, hoſtes in fugã verti, trophæa erigi, et victoriam deniq; conſtare. Meminit idem Auguſt. lib. Ciuit. 5. c. 23. de Honorio, qui planè Catholicus fuit Imperator atq; Romano Pontifici addictisſimus, quod de pro ſe dimicante ſupra centum millia hoſtium vno prælio proſtrata, & regem cum filijs captum & occiſum vidit. De Theodoſio Iuniore ſcribit Socrates lib. 7. hiſt. c. 18. quod cum Perſis bellum gereret, angelos Dei iuſſu turbauiſſe Saracenos

cenos

ceucs & circiter centum millia eorũ in Euphrate ſubmerſiſſe. Iuſtinianus quamdiu Catholicus fuit, inſignes victorias adeptus eſt, vbi vero à Catholica religione defecit, & publico edicto imperare tentauit, vt hæreſis ſua ſuſciperetur, inexpectata et repentina morte ſublatus eſt Euageius lib. 4. c. 16 et ſeq. Heraclius quoq; dum intra Catholicæ Eccleſiæ gremium manſit, Perſas magna cum laude proſtrauit, et crucem Domini eo tempore apud barbaros detentam recepit, quo res Romæ magno in diſcrimine verſabantur, ſed poſtquam monothelitarũ ſectæ adhæſit omnia ei infeliciter ſucceſſerunt. Sic noſtrates adhuc videmus Reges et Principes vbi contra religionem Catholicam hæreſes et errores contuentur, ſibi inobſequentes experiri ſubditos, colluuiem & inundationẽ Regnis ſuis inuehi, leges ſuas, & iudicium contemni, ditiones ſuas turbari, tumultus bellicos in ſe oriri. Attendãt ergo reges & principes, ſuperbiam amoliantur, motus inanes comprimãt, dent operam vt honores immodici, opes ingentes, luxus

regius, apparatus magnifici peſtifera adulatorum frequentia, ſubdola hominum perditorum calliditas, tenebras animis ſuis offundant, & mentes illorum in deteſtabiles errores impellant. Circumſpicite vos magnopere quæſo obteſtorq; , populosq; veſtræ cuſtodiæ cōmiſſos, & eos à ſceleratorum iniuria, maxime vero hæreticorum vindicate, regias veſtras mente et oculis luſtrate; & ab ijs ſiquid ibi vitij eſt, quam primum expellite, nec in conſpectum veſtrum aſſentatores venire patiamini, neq; hæreticos homines in veſtris regionibus viuere ſinatis, neve malitiam illorum diſſimuletis: eſt enim diſſimulatio in omnibus rebus humanis graue crimen, ſummum vero et inadmiſſibile in rebus fidei, & in ijs quæ ad cultum diuinum tranquillitatemq; & incolumitatem Reip. pertinent. Quod aduertit Serenitas veſtra dum viuente adhuc clariſſimo parēte ſuo nihil vel parum in reformādis ciuiū moribus veraq; & Catholica religione propaganda vtilitatis adferre, vel indulgentiā uel diſſimulationem. Quare opus fuit eam

rebus

rebus propemodum labeſcentibus adhibere temperiem, vt vitia, errores, & hæreſes extirpentur, virtutes & rectæ fidei præcepta inſerantur, ciues pace & tranquillitate fruantur, cunctæ deniq; prouinciæ Serenitatis veſtræ omneſq; ſtatus optimo veroq; principe recreentur. Quod Sanctiſſimum Serenitatis veſtræ miniſterium nouumque genus expurgandi prouincias & regna, etſi plurimi faſtidiant, omnes tamen viri Catholici id quam maxime collaudant, & annalibus ſuis ſempiterno æuo commemorandum conſcribunt. Fuit hoc Serenitatis veſtræ reformandæ religionis initium feliciſſimum multis varijſq; encomiorum laudibus celebratum in Romana terra, admirandumq; viſum cunctis Illuſtriſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſtupendiſſimum alijs Principibus Catholicis, atque ipſi Sanctiſſimo Chriſti hic in terris Vicario CLEMENTI VIII. Pontifici Optimo Max. plenum perfectumq; gaudiũ, quo alios inter Principes omnes Serenitatem veſtram ſolum id præſtare intellexit, tã

to ſtudio & ſolicitudine, tantoq; animi feruore, tamq; nouo & hactenus modo inaudito, quod alios omnes principes ad conſummationem ſanctorum facere lachrymãdus ſæpe ſæpiusq; deprecatur. Non eſt profecto Sereniſſime Principes, aliud in mente huic Sanctiſſimo Pontifici, quam fidem Catholicam excolere, hæreticos ad illius agnitionẽ inuitare, reges principesq; in vnum congregare, totum deniq; Orbem terrarum ſancta Dei Omnipotentis benedictione adimplere. Teſtimonium huius rei ipſe ego adferre poſſum, quam piè, quam ardenter, quã affectuosè is Pontifex Serenitatis Veſtræ prouincias cupiat conſolidari, aliorumque omnia regna et prouincias adiuuare, dum eidem literas, quas Serenitas veſtra eidem Sanctiſs. D. N. pro me perſcripſit, homilimè offerrem, pluribusq; eidem prouincias ſuas commendarem. Teſtantur id quoq; eiuſdẽ ſanct. literæ, quas ipſe, quidem nunc tardius quam volebam ex infirmitate et ob impreſſoris occupationes Serenitati veſtræ ſupplex reſpondeo. Teſtatur deniq; hoc ipſum

San-

Sanctiſſimi Pontificis ad me facta commonitio, quam dum nuper pro ſancta ipſius Benedictione coram proſtratus, diſceſſus mei rationes exponerem, Sanctiſſimo religioſiſſimoq; animo præſtitit, ſerioq; exhortatus eſt, vt ad id animum conuertam, quatenus religio fidesq; Catholica in prouincijs iſtis promoueatur, atq; Serenitatis veſtræ optimus de religione Catholica cõſeruanda propugnandaq; animus indies augeatur et adiuuetur. Quæ omnia in cauſa fuerunt, quare hos de Vero Chriſtianoq; Principe libros, quas dudum in Alma Vrbe ex varijs probatiſſimisq; authoribus longo continuatoq; labore collegi, collectos digeſſi, digeſtosq; in lucem ederem, nominiq; ac ſplendori Serenitatis veſtræ conſecrarem, quo ſic teſtatumq; relinquerem quam ſum paratiſſimus nihil non quod ad Serenitatis veſtræ amplitudinem prouinciarumq; ſuarum ſtabilimentum, atq; fidei religionisq; Catholicæ propagandæ integritatem ſpectat, attentare. Poſſem hic forte alijs videri adulari, at vero res ipſa ornari nequit, contenta do-

ceri : neq; pollicitationibus diffluo, omne .n. quod poſſum Serenitati veſtræ atq; Eccleſiæ Catholicæ debeo , & offero. Faciat ergo Serenitas Veſtra, vti facit, quod conſtans in me amando exiſtimetur, conabor ego breui alia pro fidei Religionisq; Chriſtianæ incremento, ſub nomine & clarisſimo Serenitatis Veſtræ præſidio in lucem producere, planeq; ne in ingratum hominem, in immemorem ſaltem, beneficium hoc tantum contuliſſe videatur , efficere . Quam DEUS Opt. Max. Vna cum charisſima Coniuge, ſuáque Matre Serenisſima, et tota domo Auſtriaca ſaluam & incolumem ſuæ afflictæ & plurimum perturbatæ Reip. Chriſtianæ conſeruet tueaturque . Paduæ Antenoris Anno M. D C I. xv. Die Menſis Maij .

Serenitatis Veſtræ

Humilis & deuotus Orator

Matthæus Scholaſt. Doctor.

Omnia iudicio & cenſuræ Sanctæ Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ, eiusque Sanctiſſimi hic in terris ſummiq; Antiſtitis CLEMENTIS OCTAVI Papæ Authoritati ſubijcio, meq; meoſque labores & conatus Sanctiſſimæ eius Benedictioni, commendo.

Summa Capitulorum Libri Primi.

De Vero & Chriſtiano Principe eiusq; viſibili hic in terris miniſterio.

Cap.1. Omnẽ hominis ſocietatem aliquo capite indigere.

Cap.2. Vt humana ſocietas ſuperiore indiget, ita eadem ſine legibus diu ſalua conſiſtere nequit.

Cap.3. Ciuitates & leges ſine magiſtratibus eſſe non poſſe.

Cap.4. Qualis magiſtratus eſſe debeat, & quæ ſit illorum vocatio.

Cap.5. Vnus ſolum Princeps neceſſario conſtituitur.

Cap.6. Qualis Princeps eſſe debeat?

Cap.7. An Princeps poſſit eſſe Hæreticus?

Cap.8. An Princeps eſſe poſſit partim Catholicus & partim Hæreticus?

Cap.9. An qui vitijs & ſceleribus indulget, ad populi & Eccleſiæ deſtructionem, princeps eſſe debeat?

Cap.10. Quibus virtutibus imbutus eſſe debeat princeps.

Cap.11. Quare Deus permittat malos principes & auferat bonos?

Cap.12. Quod bonus princeps per populum à Deo peti debeat?

Cap.13. An Principatus ſit immediate à Deo vel ab hominibus?

Cap.14. Vtra ſit maior ſpiritualis vel ſecularis poteſtas, & quomodo diſtinguantur ab inuicem?

Cap.15. Melius eſt habere principem Natiuum quam peregrinum ex electione, vbi tamen ſoluitur de electione Summi Pontificis & Imperatoris obiectio.

Cap. 19. Quod FERDINANDVS Archidux Auſtriæ talis ſit princeps, qualis hactenus deſcriptus fuit.

Cap.17. Quantum commodi & vtilitatis accedat ex tali principe prouincijs?

Finis Indicis Libri Primi.

Summa Capitulorum Libri Secundi.

De Vero & Chriſtiano Principe, deq; ipſius viſibili hic in terris miniſterio.

Cap.1. Proprium principes eſt offitium, facere iuſtitiam.

Cap.2. Principis eſt hæreſes extirpare, quod eſt maxima pars iuſtitiæ, vt miniſter Eccleſiæ.

Cap.3. Principis eſt Hæreticorum ſcholas & exercitia ſubmouere: tamquam brachiũ Eccleſiæ.

Cap 4. Principis eſt libros Hæreticorum prohibere, cõburere: vendentes & imprimẽtes punire vt executor Decretorũ Eccleſię, cuius eſt primo & p ſe hæc oĩa peragere & vt conſeruator legum Eccleſiaſticarum; illis ſuas ſimiles, ſi opus eſt, coniungendo.

Cap.5. An expediat in vulgari lingua fidei Catholicæ myſteria populo eſſe obuia?

Cap 6. Principis eſt demoliri Eccleſias hæreticorum, cum Eccleſia ad ipſum confugit, inuocando ipſius auxilium.

Cap.7. An cogi poſſint Hæretici ad religionem?

Cap 8. An iure ſe intromittere poſſit princeps, pro rebus fidei & religionis?

Cap.9. Quantum principum ſæcularium in Eccleſiam profuerit, cura & vigilantia?

Cap.10. Veri & optimi Principis eſt veram Dei religionem Catholicam procurare, & tueri.

Cap.11. Quid ſit vera Religio?

Cap.12. Religionis verum & eſſentialem eſſe characterem miſſæ ſacrificium.

Cap.13. Sanctiſſimi huius ſacrificij legitimum miniſtrum eſſe Sacerdotem.

Cap.14. Sacerdotum omnium ſupremum eſſe Epiſcopum & omnium Epiſcoporum Summum Pontificem Romanum.

Cap 15. Singulariter & ad hoc deſtinato loco ſacrificandũ Deũq; venerandum eſſe.

Cap.16. Quam infeliciter ceſſit factum in demoliendis & prophanandis Eccleſiis Catholicorũ

Cap.17. Vt principis eſt Eccleſiam, religionemq; tueri, ſic earundem & clericorum priuilegia manu tenere, abuſusq; earundem auertere.

Cap.18. Eccleſia petens auxilium à Laicis, ſi non ferant, an committatur iniuſtitia?

Cap.19. An Laicis competat aliqua Iuriſdictio in Clerum?

Cap.20. Gaudentes priuilegio Cleri, ſi detineantur à Laicis, ad ordinarios remittendi ſunt.

Cap.21. Cauſis priuilegiatis Clericorum an ſe Laici intromittere

re

re poſſint?

Cap.22. *Quid Iuris veniat Eccleſiæ cum Laico in ſacrilegio, Iuramento & vſura?*

Cap.23. *Quid Iuris habeat Eccleſia in Decimis?*

Cap.24. *Quid Iuris ſit de Iurepatronatus in Laico?*

Cap.25. *Quibus modis acquiratur Iuspatronatus?*

Cap.26. *Quid vtilitatis ſecum adferat Iuspatronatus, quidue oneris?*

Cap.27. *An præſcriptione aliqua vel priuilegio acquiratur Iuspatronatus?*

Cap.28. *Quis ſit Iudex competẽs Iurispatronatus?*

Cap.29. *Quibus alijs modis exhibeatur per principem iuſtitia in ſubditos?*

Cap.30. *Vt iuſtitia rectè administretur opus eſt Principi bonis Conſiliarijs?*

Cap.31. *Poſt Conſiliarios Principis, conſtituendus eſt Prefectus prouinciæ.*

Cap.32. *Poſt Prefectum prouinciæ ſunt conſtituendi à Principe qui grauamina alia ſubditorum prouideant.*

Cap.33. *Vt Princeps ſecurus fiat de adminiſtrata iuſtitia Fiſcalem conſtituet.*

Cap.34. *De Iudicibus, & aduocatis iudicum.*

Cap.35. *In complementum adminiſtratę iuſtitiæ, ſyndicatum eſſe oportet.*

Finis Indicis Libri Secundi.

ECCLE-

Eccleſiaſtici.
Cap. X.

Iudex Sapiens iudicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit: ſecundum Iudicem populi, ſic & miniſtri eius; & qualis Rector eſt Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

Eccleſiaſtici.
Cap. VII.

Noli quęrere fieri Iu
dex, niſi valeas virtute
irrumpere in iniquita-
tes , ne forte extime-
ſcas faciem potentis ,
& ponas ſcandalum in
æquitate tua .

Errata

Errata quędam grauiora inter corrigendum animaduerſa.

Fol.3.b.verſ.16.pro quia,leg.qui.f.4.a.ver.33.pro nitura.l. natura,eod.f.b.ver.5.fraue.l.fraude,ib.ver.34.Plato.l. Prutarchus f.5.ver.9.ſanguinem.l.ſanguine.f.8.ver.2.a.tempore.l.tē pora.f.10.ver.11.a.vanè l.variæ.f.11.ver.1.a.ægeſtate, pro egeſtate,& eod.excludendas l.excludendos. f.eod.b.ver.5. & 6.l.1.de præpoſit.argentuum in reb.C.ne quis ex vltimis&c. ſic reſtituas l.1. C.de præpoſitis argantinm in reb. lib.12. l. vnica C.negotiatores ne militent.eod.lib.12.ne quis ex. &c. f.13.a.ver.20.ipſis magiſtratibus meliorem &c. ſic diſtingue. ipſis magiſtratibus meliorem,tunc,&c. eod.f. ver.25.vatui.l. vacui.eod.f.b.in prin.c.5.commodari.l. accommodari.f.14. a. verſ.12.loco, pro locum.f 15.a.ver.8. monarchicam, pro monarchiam.eod.f.6.ver.14 fermæ, pro fermè.f.16.b.uer.5.& l. ex.f.19.b.ver.1.cūq; ꝑ eūq; f.20.b. ver.31.vellet,ꝑ iubet.f.23 b.ver.7.ſic diſtingue,cultor verus Princi.ſacrarūq; ib.verſ.11. Lactan.Trimia.l.Lactan.Firmia. ver.13. ib.ſic à natura enim videtur, l. à natura.n.videtur.f.24.ver.18. adeſt, pro adeſſe.f. 24.ver.antepen.cuſtodite,pro cuſtodire f.27. ver.27.a. quoruth.l.quorum.f.38.ver.26.a.cinxerunt.l.linxerunt, eod. fol. ver.16.b oſtem,l hoſtem. f.55. ver.29.a. συννεῖθητλὼ, lege, συννεῖθησυν.f.69.ver.19.a.excreuerit, l.exercuerit.& f. 20. clauum, l clauiū. eod.f.ver.3.b.aggrepiemur.l. aggrediemur. f.70.ver.1.a.vnitionibus.l.vnionibus. eod.f.ver.25.b.feri.l fieri. fol.78.ver.8.a.ſic diſtingue,& regnū fratris Garciæ. Altioris vero, &c. fol 20.verſ.vlt.a inqua l.iniqua. f.83. ver.20.a. prætermitum.l.prætermittam.eod.f.6.ver.3.Epiſcopus, l.Epiſcopis.f 84.ver.2.a.vibiliter,l.viſibiliter f.92.a ver.13.varities l.vafrities,& ver.26.pro Rex, l.ex.eod f.ver.18 Draconus,l. Diaco.f.93.b.ver.3.transferat,l transferant.f.97.b.ver.3.ſeire l.ſerie.f.98.ver.12 b.contutus,l contuitus.f.104.ver.14 b.accedere,l.accidere.& ver.17.videbatur l putaret.ib.ver.21.credebatur, l.credatur.ib ver.31.innuit.l.iniuit.f.108.conſulium l.conſilium.f.112.ver.vlt.a.συμποβιάκωμ, l.συμποσιάκωμ. eod.f.6.ver.2. αμαανάμ, leg. ἀμανάχμ.

Libro

Lib 2.f.1.a ib. Neq; ipſius hic terris. l. Deque ipſius hic in terris fol.2.ver.14.b.ſint.l.ſicut.f 4.ver.8.gubernat.l gubernet fol.5 ver.20 b.firmetur l.firmatur, pro conſeruet & augeat, l. conſeruat & auget & ver.22 perdit, minuit.fol.20.ver.20.b. ſiue, l.ſint f 57.ver.32 a.paſſi, l.poſee f.68.ver.25.b.tota.l.iota fol 90 ûer.27. a. accentibus, l accidentibus. fol 92.ver.vlt a. ſalem, l ſolum.f.226 ver.29 a medicum, l iudicum.f.227.ver. 20 a.reddidit, l.iudici.f.228. ver 4.b. remirare, l. renouare.f. 232.b.ver 2.idem leg. eundem. In Exhortatione fol.1.ver. 1.b.hæreſos.l.hæreſeos fol.9.ver.4.a. confetum, l confectum. fol.vlt.in approb Ianuarij, leg Octobris 1600. Reliqua benignus Lector pro ſuo candore corrigito.

AD ILLVSTRES INCLYTRVM STYRIAE, CARINTHIAE, ET CARNIOLAE PROVINCIARVM STATVS EXHORTATIO.

CVM vnicuique ſuum quod eſt, tribuendum doceat iuſtitia, vt hactenus in duobus præcedentibus libris diſſeruimus; tantò quiſque muneri ſuo diligentius operam dabit, quanto quiſque ſe ſuo ſuperiori paredum eſſe ſtrictius, capitiq; ſuo aſſimilandum & conformandum nouerit, oportunius, ſicque velut in homine dum rationi omnia inferiora obſequuntur, recteq; faciendorum rationem meditantur, nihil quod vitio aut turpitudini dandum ſit, exiſtat: Ita quoque in politia, ſi membra capiti ſuo, ideſt, principi conformentur, moremq; gerant in iubendo & vetando, quin felicia omnia & ſalutaria ſint, nemo dubitat. Talis namque ſemper eſſe debet ratio partium ad ipſum totum, qualis eſt totius ad eaſdem, præcipuè cum partes ad ipſum totum neceſſariò referantur, ab eodemq; tam quo ad eſſe, quam quo ad exiſtere, dependentiam habent. Verùm ſic eſt, quod ipſius principis eſt facere iuſtitiam, fidem religionemq; catholicam excolere, atque ab omni vitiorum, maxi-

mè hæreſos labe prouincias expurgare; ideo conueniens eſt, membra principaliora ſibi tamquam connata, magiſq; familiaria, ad idem faciendum & obſeruandum paratiſſima habere; alioqui, nedum ſe ſuo capiti aſſimilari nolle demonſtrabunt: ſed rei ipſius corporis politici partes ſe eſſe homogeneas, ideſt, vnius fidei, cultus & intentionis, manifeſtè probabunt. Vnde hic adinnicē conſiſtere nequeūt idque vel ſolum clariſſimè indicat Saluatoris noſtri dictum, Vbi regnum in ſe diuiſum, deſolationem ſubiturum pronunciat; & domum ſupra domum caſuram, Luc. 11.

Atqui vos membra prouinciarum eſſe, vel ipſiuſmet Principi, quis pernegabit? Imò ventrem ſeu pectus ipſius ego vos dixerim, quo ſecreta cordis ſui digerat, totiuſque Reip. Chriſtianæ negotia, in pace, concordiaq; componat. Vos eſtis, inquam, communes Reipub. columnæ, patriæ noſtræ fundamentum, atque totius religionis Chriſtianæ propugnaculum firmiſſimum. Per vos hoſtes debellantur, religio defenditur, pax & concordia cōſeruatur. Vos eſtis gemmæ illę pręrioſæ atque margarithæ electę, quibus principis veſtri caput redimitum in omnibus prouinciarum ſuarum finibus reſplendet, atque honor veſter eſt princeps, cuius membra vos eſſe dicitis; eſtis verò prouinciarum Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ proceres, quarum Sereniſſimus FERDINANDVS Archidux Auſtriæ eſt caput, ergo membra capitis, & capitis quidem FERDINANDI Archiducis; tamquam vera viuaq; membra is eſſe vos optas, quam verè is earūdem prouinciarum à Deo conſtitutus eſt caput & moderator.

Atqui is Catholicus eſt, ergo & vos iure optimo Catholicos eſſe conuenit, niſi heterogenea membra,

bra, ideſt, diſſimilarium partium dici velitis: Cuiuſmodi licet in corpore phyſico reperiantur, vnumq; verum & naturale faciant compoſitum; tamen vt caput eſt vnum politicum & morale; neceſſe eſt, vt omnia illius membra ſibi ex æquo correſpondeant, quale inter principem & ſuos ſubditos neceſſariò conſtituendum ſupra primo lib. cap. 5. oſtendimus: is porrò ad hoc à Deo vobis datus eſt; Cum verò à Deo omne bonum & optimum ſit, fieri nequit, vt in eo quod à Deo factum eſt, aliquid mali reperiatur. Quare cum is caput ſit à Deo & natura datum prouincijs; voſque in eiſdem nati & educati, maximam quoque à Deo benedictionem ac viſibili ſub iſto veſtro Principe pacem & animarum veſtrarum conſolationem inuenturos crediderim, ſi tamen membra viua eſſe volueritis, in ipſiuſque pectore reſidere, atque ex capite illo veſtro regi & gubernari.

Vnde cum is ſit Princeps, præclarè de religione auita ſentiens, atque ad eandem egregiè animatus, vos quoque de eadem rectè ſentire, ad eandemque ritè ſuſcipiendum animatos eſſe, atque ab omni nouitate abhorrere exoptat: qui tametſi prouinciarũ ſuarum paciſcendarum cauſa multa patiatur & ferat: tamen optat quam à ſuis maioribus fidem accepit, ſartam & tectam conſeruari: optat quorum ad huc integra mens eſt, eos incorruptos ad ſupremum tempus permanere. Optat ſi qui animo dubio fluctuent, in vtramque partem, eos oratione conſilio, authoritate confirmari: Optat omnes à veritate varijs opinionum ſemitis aberrantes, in viam ſi quo modo fieri poſſit reduci, nec quemquam ille contra ſuam voluntatẽ veniſſe iudicabit, qui fecerit, quod optat ipſe animo, permittitq; edicto.

Ecquid verò Illuſtres & Generoſi DD. vos à tanto Principe ſeparabit aut ab ipſius obedientia ſeiunget, vbi nati vos eſtis, & cum ipſo quaſi educati, vbi auorum, proauorum, atque atauorum veſtrorum nomina inſigni laude æternaq; rerum præclarè geſtarum memoria conſignata ſunt, atque ab ipſis hæ quaſi prouinciæ inimicis ereptæ, in proprias ſedes vindicatæ ſunt, vbi præſidium ueſtrum munitiſſimæq; arces conſtitutæ, ubi liberi ueſtri nomen dignitatemq; ſortiti, ubi uxores, conſanguinei & affines ueſtri, ubi amici, cognati, dulciſſimi patrueles, ubi unum uobis baptiſma, unus Deus, una fides, ubi omnibus communis eſt patria, ſolum commune, ubi denique æquus omnibus uobis in hanc rempub. conſtat amor, cuius & maiores ueſtri cauſa in aperta ſæpe ierunt pericula.

Extant inſignia nobiliſſima prædeceſſorum ueſtrorum paſſim in Eccleſijs omnium ferè iſtarum prouinciarum celebrioribus, tamquam argumenta certiſſima fidei & cõſtantis animi in ſuos principes, religionemque in auitam ſinceritatis, teſtantur id monumenta quàmplurium Illuſtrium Procerum Styriæ in Eccleſia S. Aegydij Grecenſi metropoli; teſtantur idipſum lapides ſepulchrales in Carinthia Claudifori metropoli nunc Eccleſia uetuſtiſſima, tituli S. Aegydij. At quid hæc commemoro, ut omnibus iam obuia.

Huius rei ampliſsimum eſt teſtimonium nunquã intermoriturum in celeberrima S. Mariæ perpetuæ Virginis & matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanctiſsimiq; patris & Doctoris Eccleſiæ egregij S. Auguſtini canonicorum regularium Gurcenſi cathedrali Eccleſia Carinthiorum, cui nunc præſidet Reuerendiſsimus in Chriſto Pater & Dominus Carolus

lius de nobiliſsima & antiquiſsima ſuperioris Carinthiæ Grimingen familia, Epiſcopus ſuffraganeus & prælatus, vitæ morumq; integritate perſpicuus, in cultu diuino vigilantiſsimus, atque eiuſdem Sanctæ Hemæ fundatricis œconomus ſolertiſsimus, iſthinc in ſuperiori ambitu ſeu dormitorio fornicibus depictis, reperiri poterant, cuius olim nobiliſsimi Proceres & Illuſtres Generoſiq; Comites iſtarum prouinciarum in fidem catholicam ſuoſq; Principes extiterint animi, feruoris & dilectionis, quorū inſignia nomenq; ſuum ſub regula S. Patris Auguſtini regularium Canonicorum atque ipſius Sanctiſſimæ & intemeratæ virginis Mariæ protectione inſcripſerunt, dederunt atque magno cum Eccleſiæ Catholicæ incremento, omniumq; prouinciarum iſtarum laude ſempiterna conſecrarunt: tantaq; illius loci maieſtas & religionis authoritas omnium penè nobilium animos permouit, vt illuc tanquam ad aſylum quoddam & ſacram anchoram confugerint, ibique animæ ſuæ quietem & rectam uiuendi agendiq; normam appetierint: quamuis nunc deferbuit priſtinus amor & religionis feruor, malitq; magis quiſque aliud quoduis genus viuendi aſſumere, quàm ſancti alicuius ſub inuocatione aut certa quadam viuendi regula conſiſtere. Vnde mirum videri non debet, ſi minor prouincijs iſtis affulgeat felicitas, felicitatiſq; perpetuitas.

Idipſum clarè demonſtrat Illuſtrium procerum CARNIOLAE peruetuſta Cathedralis Eccleſia Labacenſium, vbi plurium fortiſsimorum heroum nomina fortiterq; res geſtas conſpicere licet, atque conſtantem in Principes fidem & catholicam religionem ſincerum animum.

Hæc tam excelſa glorioſaq; maiorum veſtrorum

præ-

præconia, tamque ſtupenda ſemperq; admiranda acta geſtaq; parentum veſtrorum, nunquid in cineres abire patiemini, nunquid gentilitia arma, nobiliſsima ſanguine auorum veſtrorum comparata, partamq; prędam vobis ab iniquo homine auferri ſinetis? nunquid quod famam, nomen, vitamq; maiorum̨ veſtrorum commaculare poſsit, vos vel in vita, vel motibus, vel in religione veſtra quippiam admittetis? profectò ſi hęc mens veſtra eſt, ſi iſthęc intentio ſi hoc propoſitum veſtrum, Generoſi Proceres, planè degenerabitis à maiorum veſtrorum gloria, à conſtantia, à pietate, à fide, à religione, ſicque degeneres videbimini cęteris nationibus omnibus, planeq; impares eorum titulis glorioſis, notiſque paternis: Vt enim parentis ſuorumq; progenitorum nomen armaque non meretur filius, qui non prǽſtiterit in veſtigijs eorundem, fidemque illam & religionem amplexatus fuerit; ſic eos nemo ab illorum ſanguine deſcendiſſe dixerit, niſi quod laudatiſsimi progenitores veſtri crediderunt, opereq; ipſo & ſanguine ſuo conteſtati ſunt, idipſum & vos faciatis, & credatis.

Non eſt Illuſtres & Generoſi DD. grauitates con ſtantięq; veſtrę, negligere tot ſeculorũ ſpacia, comprobatam religionem, & amplecti eam, quę noſtra memoria, neſcio vnde, repentè exorta eſt: non eſt huius ſtatus veſtri, cuius excellens quondam extitit fidei, religionis, fortitudiniſq; gloria, deſerere à maioribus, ab Apoſtolis, ab ipſo Chriſto accepta miſteria: noua quędam & apud infideles inaudita, neſcio quorum nulla authoritate hominum commenta ſectari, quę neque vllo miraculo martyriove con firmantur, & omnibus terris? vbi ſtudium pietatis viget, exſibilantur & exploduntur.

Quid

Quid verò illud ſit quæritis? Citius dixero, quàm explicauero. HAERESIS EST, Malum hoc abominandum, hoc caput veſtrum petit, iugulum inuadit, vitalibus vulnus infligit, corpore ſaluo animam interimit, vt ait S. Ambroſ. in Luc. cap. 10. Nec quicquam maius adferre Chriſtianæ Reipub. poſſe nocumentum, nihilq; quod impenſius deuitari oporteat, quam hæreſes, nos maniſeſtiſſimè docuit Apoſtolus ad Tit. 3. Cum enim nuſquam à tyrannis, quos in eos qui ſibi fidem & nomen dediſſent, ſequituros præuidebat, vt ipſos à recto religionis tramite deterreret & auocaret, cauendum nobis eſſe dixit: palam tamen ne vnquam è memoria hominum excideret, nobis præſcripſit, vt ſubdolos hæreticorum ſermones, cum ob illorum calliditatem, tum etiam ob animorum ſuorum ferocitatem omnino dedixemus. Nam quemadmodum nautæ Scopulos illos, quos ſub aquis deliteſcere ſciunt, maiori fugiunt diligentia, quam eos, quos longè prominere vident: ita ſane quorum maleuoli animi ſub tegumento aliquo beneuolentiæ latitant & occultantur, inimicos ſapienti viro magis, quam eos, qui ſtatim quales ſint, ſe produnt, euitandos eſſe docuit doctiſſimus Nazianz. in vita Baſilij.

Vnde S. Ambroſ. in c. 3. epiſt. ad Tit. hæreticorum ingenium & naturam proprijs quaſi coloribus exprimens, eos eſſe dixit qui per verba legis legem impugnant proprium enim ſenſum (inquit ille) verbis legis adſtruunt, vt prauitatem mentis ſuæ legis authoritate commendent. Sciens enim impietas authoritatem legis multum valere, fallaciam ſub nomine eius componit, vt quia res mala per ſemet ipſam acceptabilis eſſe non poteſt, bono nomine commendetur. Et Vincent. Lirinen. in eo libro,

quem

quem pro Catholicæ ſidei antiquitate aduerſus pro fanos omnium hæreſum nouationes ante annos mille edidit, præclarè amplificat Saluatoris illud noſtri
„ dictum Matth.7. Attendite à falſis prophetis, qui
„ veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus à
„ ſunt lupi rapaces: æquiſſimè præponerans inquit, ouium veſtitum nō niſi ſacrorum vatum & ſantiſs. Apoſtolorum eſſe proloquia, quæ ijdem ouili quadam ſinceritate agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquam vellera quædam texuerunt. Sæuos à lupos rapaces ſenſus hæreticorum, feros appellat & rabidos, quibus caulas eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti quaque poſſam, dilace-
„ rant. Vt autem (ait) facilius incautis ouibus obre-
„ pant, manente luporum ferocia, deponūt lupinam
„ ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententijs velut qui-
„ buſdam velleribus obuoluunt: vt cum quiſque la-
„ narum mollitiem præſenſerit, nequaquam aculeas
„ denſium pertimeſcat. Idipſum teſtantur Irenæi, Tertulliani, Epiphanij, cæterorumq; patrum, qui hęreticorum dogmata retulerunt, ac refutarunt monumenta. Vnde Apoſtolus magno dolore præſentiens elapſum eiuſmodi virus in Gallathas. cap.5.
„ Vtinam abſcindantur (inquit) qui vos conturbant reſecandæ profectò ſunt putridæ carnes, inquit S. Hieron. in Comment. & ſcabioſa ouis à caulis, ne totum putreſcat & intereat.

Qui verò fieri poteſt, vt eiuſmodi deceptiones hęreticorum prudentiſſimorum heroum animos percellant, à veròque ad ſimulacrum quoddam veri perducant? quid eſt inquam, Inclyti Proceres, vos rurſus appello, quod vos domi foriſque ita conturbat, contumelijs afficit, ſtatumq; veſtrum tot calamitatibus obruit? Dicam liberè, vt mea fert natu

ra,

„ ra, quod Cyprianus ait, lib. de vnit. eccleſ. Hoc eo
„ fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec ca-
„ put quæritur, nec magiſtri cęleſtis doctrina ſeruatur
Quid ita? Præclarè ille quidem: initium namque hæreſum & ſchiſmatum eſſe Romani Pōtificis contemptum proculdubio intellexit, neque enim in-
„ quit idem Cyprian. epiſt. 55. Aliunde hæreſes obor-
„ tæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm rade, quod
„ ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ec-
„ cleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex, vice
„ Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria di-
„ uina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo diſ-
„ ſidio vnitatis Chriſti ecclеſiam ſcinderet, nemo ſibi
„ placens ac tumens, ſeorſim foris hæreſim nouam
„ conderet.

Auctus fuit quondam ſtatus veſter, & per vniuerſum propè orbem radices egit, & propagatus fuit, nulliſq; barbarorum excurſionibus vaſtabatur aut vexabatur, quando à vobis Sereniſſimi Romani antiſtites, vt diuinæ religionis cultores religiosè audiebantur, & quod ſiue legis præſcripto recreuiſſent, ſiue paterno affectu admonuiſſent, id firmum & in perpetuū ratum omnes habebant: floruit tunc reſpub. Chriſtiana, quando princeps cum membris arcto religionis fędere coniunctus fuit, quando qualis princeps, tales & proceres; qualis populus, talis & dominus: At nunc, quando diuiſum eſt regnum, ſenatus diuiſus, populus diſtractns, quando tot religiones, quot capita extinguntur, quid bone Deus, quid inquam vtilitatis, aut reipub. aut eiuſdem moderatoribus accidere poteſt? Vt verò negligentia noſtra & diſcordijs noſtris aliud nihil ſperandum eſt, quàm omnis boni diſperſio: ſic animorum vnione facta, debitaq; principi noſtro prædita obedien-

tia, pax, trãquillitas animæ pariter & corporis ſalus.

Nec quenquam veſtrum eſſe exiſtimo, Generoſi Proceres, qui non vehementer exoptet, vt de ſtimulatoribus & concitatoribus ſeditionũ, de commentitiæ religionis interpretibus, Chriſtiana reſpub. triumphos agat: vt qua ex parte collapſa eſt morum diſciplina, in antiquum ſtatum, in priſtinam dignitatem reſtituatur: vt infeſtiſſimos hoſtes & domeſticos & exteros expugnet, proſternat, & exterminet. Agite ergo (per Deum immortalem vos rogo obteſtorq; Proceres inclyti) agite inquam, ſi hanc ſummam felicitatem cum Principe veſtro, atque repub. Chriſtiana exoptatis, vt populus veſter quẽ geritis, ciuitates quibus præeſtis, reſpub. quas moderamini, veram & auitam fidem religionemq, catholicam admittant, ſacerdotes catholicos habeãt, Principi ſuo obediant: voſque ipſi eorundem progenitores ſitis, & admonitores: ipſiq; relicta errorum omnium cultrice HAERESI, agnoſcatis vnã, veram, ſanctam, catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, quam ego vobis vnicè colendam exopto, atque (quamuis ortus ſermoq; peregrinũ me fecit, religio tamen & beneuolentia, quam erga omnes habere debeo, amicum veſtrum fratremq; germanum me fecit, vt veſtris commodis non minus homo longinquius alienigenaq; gaudeã, quàm ſi his eiſdem ſedibus natus, educatus, & inſtitutus eſſem) quàm ſit hæreſis atrox, ferox, & immitte malum, certo quodam argumentorum genere docebo, mileq; quam ſit ſuauis, mitis, & iucunda fides catholica. Quæ omnia non niſi propè perſpecta fuerint à vobis, approbari cupio, fidemq; veritati accommodare. Ac primò quidem nulli dubium eſt in quæſtione de commutanda religione ſemper à

Docto-

Doctoribus, tam Græcis quam Latinis, plurimum antiquitati tributum fuiſſe, exiſtimabant enim quorum vſque ad Chriſtum & Apoſtolos, ſuperiora repetendo, nullam originem reperiremus, ea rata & fixa eſſe oportere; noua verò paucorum hominum decreta, illis aduerſa eſſe inducenda. Quomodo Euſeb. Cęſarienſ. lib. 5. hiſt. eccleſ. cap. vlt. impium illum errorem Artemonis & Theodoti Coriarij, qui hominem tantum Chriſtum fuiſſe affirmarunt, nulla alia ratione confutauit, quam docendo omnes ſcriptores, qui proximi Apoſtolis fuerũt, Chriſtum & hominem & Deum fuiſſe confeſſos: ex qua probatione neceſſario effici putat, ſententiam illam ab Apoſtolis fuiſſe profectam, eamq; ob cauſam ab eccleſia firmiter eſſe retinendam.

S. Auguſt. in lib. 4. de baptiſ. contra Donat. cap. 24. frequentiſſimus eſt in hoc argumentationis genere, ideoq; plurimum eidem ſemper attribuit, vt dum probandam fuiſſet, baptiſma puerorum infantium non eſſe inutile nec inane, quamuis nec animo credere ad iuſtitiam, neque ore confiteri poſſint ad ſalutem, aliunde firmius argumentum à ſe depromi non poſſe putauit, quàm ſi demonſtraret, hoc ſemper fuiſſe poſitum in more & Eccleſiæ vniuerſalis inſtituto, neque vllius Concilij decreto primum inductum, ſed omnibus ætatibus, etiam ante concilia æcumenica factitatum, ita vt nullum vnquam tempus fuerit vel extiterit, quo pueri ad nouum & diuinum ortum, ſacro non fuerint abluti fonte. Quo ſic probato, conſequens illud eſſe, verè arbitrabatur, pueros nihil adhuc intelligentes, lauacro nouæ generationis abluendos; huiuſq; conſequentiæ nullos alios authores, quam ipſos Dei Apoſtolos extitiſſe.

Præterea quæſitum fuit aliquando ex eodem S. Auguſt. de tempore atque ordine miſteriorum die Iouis hebdomadæ maioris; manè an veſperi; à ieiunis, an à cœnatis ea peragi ac participari oporteret, non aliud probandi genus adhibendum eſſe duxit, vt patet in epiſt. 118. ad Ianuarium, licet Chriſtus à cęna diſcipulis dediſſet myſteria corporis & ſanguinis ſui, tamen eorum magnitudini & religioni magis conſentaneum viſum eſſe demonſtrauit, vt cęleſtis ille panis ante vulgarem corporis cibum ore caperetur: ex eoque principio ieiunij conſuetudinem ante myſteriorum perceptionē introductam eſſe: quam conſuetudinem, cum vbique terrarum ſine vlla varietate ſeruet Eccleſia, colligit eam ab Apoſtolis ortam eſſe, ac præcipuè à D. Paulo 2. Corinth. 11. nam dum, poſteaquam Corinthios obiurgaſſet, quod ſuis menſis Euchariſtiam miſcerent, nec ſingulari veneratione ſepararent à cæteris cibis: eoſque manuiſſet, vt conuenientes ad Domini cęnam, alij alios expectarent: Si quis eſuriret, tamque molli eſſet animo, vt appetentiæ cibi temperare tantiſper non poſſet, dum alij conuenirent, is domui ſui potius famem expleret, ſubiecit, cætera ſe vbi ad eos veniſſet, præſentem eſſe ordinaturum. Quare vir Sanctiſſimus inſtitutum hoc Eccleſiæ ipſis Apoſtolis æquale, ad ſpiritum ſanctum authorem referre non dubitauit, quod mihi merito ac iure facere videtur: quid enim ſperemus, accepiſſe nos à ſpiritu ſancto, ſi quæ ab ipſis religionis noſtræ principibus tradita, Eccleſia vniuerſa omnibus ſeculis obſeruauit, ea non à ſpiritu ſancto profecta eſſe credamus?

Quorum plura quidem extant exempla, quæ omnia ſingulis quibuſque fidei noſtræ articulis accommodari poſſent, ex illiſque probari, nullam eſſe reli-

gionis

gionis noſtræ partē, quam doctiſſimi viri non oſtenderint à Chriſto & Apoſtolis manaſſe: quia verò hoc noſtri inſtituti non eſt, ſed ſolum oſtendere, hæreſim ideo ex prouincijs, Procerumq; omnium iuriſdictionibus eliminandam eſſe, quia res nouas & falsò confictas in ſe continet, longeq; diuerſas ab Apoſtolorum & Chriſti, aliorumq; ſanctorum patrum doctrina & interpretatione.

Quod enim & ipſi hæretici nobis Apoſtolorum ſcripta obtrudunt, vt ſemper omnes hæretici fecerunt, & eorum quaſi teſtimonijs conantur ſomnia ſua confirmare, id magis declarat, quam longe commenta iſtorum, ab illorum temporum vetuſtate diſtent, ſiquidem eoſdem ſacrarum literarum locos aliter illi, nimirum aptè ad ſuam impietatem accipiunt, nos aliter, accommodatè ſcilicet ad noſtram religionem catholicam interpretamur. Cuius rei diuerſitas ex hoc conſtat, quod nos explanationis noſtræ duces ac principes habemus priſcos illos diuinorum librorum interpretes, quorum ſumma eſt & propter vitæ ſanctitatem, & propter facultatem ingenij, & propter doctrinæ abundantiam, apud omnes authoritas: illi verò ne vnum quidem ſuæ interpretationis teſtem ex omni vetuſtate producunt, quin repudiatis vetuſtiſſimis ſacrorum librorū interpretibus, nouos quoſdam nouarum ſectarum magiſtros, & nouam religionis normā inducunt. Non intelligentes Ioannem Sanctum Euangeliſtam &
„ Apoſtolum Ieſu Chriſti tradidiſſe. 1. Ioan. 4. eos
„ qui talia agunt, ex Deo non eſſe, quia ſoluūt Ieſum,
„ & antichriſti ſunt.

Quod ſi, qui Chriſti rempub. diſcindūt, qui Chriſtianam diſciplinam commutant atque diſſoluunt, qui maiorum noſtrorum inſtituta conuellunt, ſatel-

lites

lites ſunt & adminiſtri Sathanæ, antichriſti ſunt, & Ieſum ſoluunt: profectò qui abiectis vetuſtiſſimis illis viris (magno videlicet Athanaſio, Hilario, Gregorio, Nazianzeno, Baſilio, Chriſoſtomo, Cirillo, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio Magno, cæteriſque catholicis & eruditiſſimis patribus) profanis, ſeditioſis & turbulentis, ac ſceleratis hominibus ducibus & magiſtris vtuntur, miniſtri diaboli & antichriſti præcurſores erunt.

Quis verò neſciat moderni temporis hæreticos, vel maximè effugere catholicorum conuentus, nec vſpiam locorum audire poſſe, veterum Sanctorum Patrum explicationes, idque hoc ſolum, quod venerādæ antiquitatis oſares ſunt, & nouarum rerum amatores: & in hoc conquieſcunt hæretici, maximeq; gloriantur, ſe nouum aliquid, quamuis humano generi pernicioſiſſimum, edidiſſe. Sunt enim hæretici amatores nouitatis, & acerrimi vetuſtatis hoſtes: hinc tot ſpurios partus, tot nothos, ſuppoſititios & adulterinos librorum fętus emittunt, vt falſa pro veris, nouitia pro antiquis, ignaris & incautis hominibus vendicent: hinc luxuriantur in ſcripturis ſacris, variant lectiones, immutant & permiſcent, vt nullum apud eos certum ſit amplius iudicandi, de ſcripturis ſacris tribunal.

Quam verò exitioſum ſit Chriſtianæ reipub. harum rerum nouitas, ac præcipuè in rebus ſacris peruerſitas, plus quam notorium eſt in Germania, vbi viri illuſtres, magnates, potentiſſimi proceres, Sereniſſimique Principes adeo dementati ſunt ab iſtis nouatoribus, vt ſe ſuoſque in maxima pericula coniecerint, nec adhuc modum inde ſe extricandi facile inueniunt: pudet namque tam fortes heroes viroſque intrepidos ab eo leuiter reſilire,

lire, in quod oſcitabundi prolapſi ſunt.

Nihil dicam de nobiliſſimis quarundam prouinciarum ſtatibus, qui ex hac nouatorum perſuaſione, nedum certum animarum ſuarum periculum incurrerunt, ſed etiam bonorum ſuorum iacturam, nominiſque maculam contraxerunt: teſtes eſtis huius rei vos proceres inclyti prouinciarum STYRIAE, CARINTHIAE & CARNIOLAE, quam varios motus, diſtractiones, difficiles, ærumnoſaſq; curas hæc noua religionis facies, veſtris diſtrictibus intulit, quamque ſolicitas vos eſſe velit, ne incaſſum incidatis, neue, quod doloroſiſſimum eſt, vos, coniuges, liberoſque veſtros, in diriſſimam ſeruitutem ſubiugetis: non eſtis vos harum laruarum authores, ſcio vtique, at rerum veſtrarum moderatores, animarum veſtrarum curatores, ſacculorumq; veſtrorum exburſatores: hi, hi ſunt Dij veſtri, & egregij inclamatores, quibus ſacrificaſtis, bonaq; res, & animas veſtras confiſi eſtis.

Nec adhuc, niſi pęniteat facti, conijcite quæſo oculos veſtros, & ſolicita mente perpendite, quam durum ſit æquo animo videre Principem veſtrum manus ſibi pedeſq; à nefandis hominibus conſtringi, ligari, & oculis clauſis huc illucq; in opprobrium ſubditorum ſuorum traduci: at verò triſtiſſimum, luctuoſiſſimumq; id erit, ſi turpiſſimis hominibus, ſceleratiſq; carnificibus eundem tradi videatis, ad flagellandum, varioq; mortis genere innocentiſſimum trucidandum. Certè iſthæc generi veſtro, vobiſq; ipſis accidere exiſtimate: quid enim aliud eſt, à vera catholica religione deſciſcere, quam Principem ſuum, ideſt, animam pretioſiſsimo ſanguine Ieſu Chriſti redemptam, diabolis tartareiſq; tortoribus excruciandam, perpetuoq; damnandam exponere?

nere?

nere? quid eſt ligari, manibus & pedibus conſtringi, quam nobiliſſimos ſenſus veſtros, impia, nefaria, luxurioſaq; religione contaminari? quid clauſis oculis huc illucq; traduci, quam intellectum eo dirigere, vt niſi fictas ementitaſq; fœdi, fragorum fabulas contempletur? Hæc verò omnia & ſingula effecit nouitiorum veſtrorum concionatorum metamorphoſis.

Quid verò exiſtimatis, Proceres? nunquid iſthæc Princeps FERDINANDVS æquis oculis intuebitur? nunquid ſibi pupillam oculi ſui inquinari patietur? nunquid membrum ſibi nobiliſsimum abſcindi, aut ſenſus ſuos recentes validoſq; tabefieri permittet? ſi per impoſsibile fieri poſsit, quod mater obliuiſcatur vteri ſui, is tamen princeps veſter, hæc non ſupportabit. Vos verò eſtis pupilla oculi Principis veſtri, vos eſtis nobiliſsimum membrum ipſius, ſenſus validiſsimi eiuſdem. Vobis namque aſpicientibus cuncta perluſtrat oculo ſuo, puniendaq; concernit, & præmianda videt, vobis aſpectantibus id efficit: is tamquam membro ſuo nobiliſsimo, veſtro vtitur conſilio, authoritate & fortitudine, ad profliganda omnia hoſtilia inimicaq; prouincijs: is denique perſentit in corpore ſuo, quantum mali ſibi accidat, ſi vos inſenſatos inueniat cæcos, atque in meridiana luce palpitantes.

Si verò iſthæc vos, Generoſi Proceres, tamquam membra in Principe veſtro, in capite, in Archiduce veſtro, non perferre poteritis, quomodo is Princeps veſter, caput veſtrũ, Dux & director veſter, eadem in membris ſuis tolerabit? quomodo iuſtiſsimum iſtum ſuum dolorem intra pectoris ſui ſecreta attemperabit? non poteſt non diu cęlatus ignis erumpere, flammaſq; emittere, & arcere: quod etſi vobis

mo-

moleſtum videatur, nouumque genus vulneribus medendi, attamen diu approbatum, iamque ab antiquis temporibus, veterum Sanctorum Patrum obſeruatione confotum: neque refert, vtrum ſecando vel vrendo medicus ſanitatem procuret, modo ſanitatem adferat. Sic vobis idem putandum eſt, noua enim hæc ſunt vulnera, recenteſque morſus veneratorum, ideo non nouis, ſed antiquis opus eſt medicamentis, vt noua ſubinferre pertimeſcant vulnera, quæ vetus aprimè nouit ſanare religionis catholicæ authoritas, cuius eſt noua ſemper in agro Dominico ſubolentia zizania, extirpare, penituſq; eijcere, ne in Eccleſia Dei noua veteribus potiora cognoſcantur.

Idque iuſta Dei prouiſione factum eſt; Si enim Ariſtoteles Princeps ille Philoſophorum, vbi ex veterum legum noua correctione, peſſimaque leges diſſoluendi conſuetudine, multum mali reipub. exoriri animaduertit, maluit perferri quædam legum latorum & magiſtratuum peccata, quam quod ciues & nouis legibus aſſuefierent, magiſtratibus non parere: Cur nos maxime ſalutaria Eccleſiæ veteris inſtituta, nouæ factionis, pernicioſis inuentis deprauari, magno cum Eccleſiæ detrimento, & nullo eorum, qui præſunt, bono, patiemur? Ariſtot. 2. Polit. cap. 6.)

Hoſpes Athenienſis apud Plato, lib. 7. de legib. ſummum affirmat eſſe malum in ciuitate, reprehendi ac vituperari vetuſtatem; & hanc quidem in contemptum venire, magno autem in honore & pretio eſſe nouitatem: nos inſtituti rebus optimis, ac cęleſtis philoſophię præceptis abundantes, antiquis præferemus noua? ille in puerilibus ludis permagnum putat momentum eſſe poſitum, ad firmitatem le-

gum, nos rationem religionis, quæ totam continet humanæ vitæ diſciplinam, negligemus? ille, ſi ludi ſic inſtituantur, vt ijſdem ſemper pueri delectentur, futurum credit, vt quæ magna cura ſanctæ ſunt leges, perpetuò fixæ maneant; ſi vero nulla ſit in illis conſtantia, ſi noua crebro genera excogitentur, ſi nouæ ſæpè commutentur, ſi nunquam eadem grata pueri appellent, & in veſtimentis, in coloribus, in reliquo cultu corporis, denique in omni inſtructu & ornatu, alias, alijs in rebus decorum & indecorum ponant; ſi quis ſemper aliquid noui pariat, & induat aliud, quam in communi conſuetudine poſitum ſit, eum præcipuè mirentur & colant, nullam capitaliorem dicit eſſe peſtem ciuitati vniuerſę: nos verò ſaluam & incolumem exiſtimabimus illam poſſe eſſe rempub. in qua ſingulis diebus, horis, momentis, ſingulæ nouæ diuinis de rebus opiniones, religiones, ceremoniæ exiſtant? in qua vetera frequenter nouis, tanquam teſtamenta codicillis, abſque fideicommiſſo permutentur? ille quotidianis ludorum commutationibus peruerti ſentit, occultè puerorum mores, neque fieri poſſe ait, quin alij viri euadant, aliam vitam, alia ſtudia, alias leges quærãt, qui ludicris in exercitationibus aſſiduò moliantur noua: nos illos quieſcere poſſe arbitrabimur, rebuſque præſentibus viuere contentos, qui ne religionis quidem alicuius antiquitati honorẽ vllum tribuendum putent? ille rationem aliquam ineundam monet, qua ciuitas illud conſequatur bonum, vt quibus in legibus educati ſint ciues, eas venerentur, ac vehementer timeant, peruertere præſentem reipub. ſtatum: nos leuiculos quoſdam clamantes cupidos nouarum rerum, maximis de rebus audiemus?

Athenienſes olim, Val. Max. lib. 1. de relig. Phidiam

diam ſculptorem præclariſſimum de Mineruæ ſimulacro faciendo, non ſatis honorificè, in curia loquentem, à ſe magna cum ignominia repulerunt: multo vero rectius fecit Socer ille Moyſis Deut. c. 13.17.18. qui falſos doctores lapidibus obrui iuſſit, & Rex Babylonis, Hierem. c.20. in igne ſrixit eos, qui in nomine Domini fallaciter vaticinabantur. Sic S. Paulus ad Tit.c.3. hæreticum hominem poſt vnam atque alteram admonitionem omninò euitandum edicto ſanciuit: Ecquid igitur, Vos viri ſapientiſſimi & nobiliſſimi, hac ætate, hoc vſu, ſatis officio veſtro feciſſe videbimini, ſi quod ſartor aliquis aut lanio, aut coquus immoderato pactu ſomniauit, aut quod veterator callidus, confecto corpore, perturbata mente, atrabili dominante, improbè fuit de religione commentus, perſequamini?

Vos proceres, quid nobilitate veſtri ſtatus dignũ ſit, quid maiorum veſtrorum hominum ſanctiſſimorum exempla poſtulent, diligenter cum animis veſtris conſiderate; vt facitis: & exiſtimate eã vnam ſequendam eſſe religionem, quæ à Chriſto doctore omnium gentium, & ab Apoſtolis eius miniſtris per omnes Eccleſiæ principes ad nos vna inuiolabilis & incontaminata peruenit. Iſta verò doctrina veſtra, paucis abhinc annis inuenta, mihi credite, vetuſtatem non feret, aceſcet, & euaneſcet breui, vt Arrianorum, Sabellionorum, Eunomionorum, & aliorũ nouas opiniones videmus planè euanuiſſe. Poteſt illa quidem inſtar muſti Noëm, ebrium facere, grauiq; ſomno oppreſſum, nudum abijcere ad terram. Gen.9. at verò mentem exhilarare verè, & corroborare nullo pacto poteſt: nec vnquam, quæ malo inchoata ſunt principio, bonum conſecuta ſunt effectum; ſic neque religio iſta nouorum hominum,

bonos vnquam accipiet fines, ſicut nullo bono principio inchoata eſt.

Neque Chriſtum Ieſum redemptorem generis humani, neque Apoſtolos, in omnes partes ab illo dimiſſos, neque Apoſtolorū ſucceſſores, armis aut bello fundaſſe, aut propagaſſe fidem religionemq; catholicam video, quam tamen poſteritati conſecrarunt, quæque in hodiernum vſque diem perſeuerat in fide Petri: multa verò illos cum fidei fundamenta iacerent, lego fuiſſe perpeſſos, ſcio contumelijs affectos, crudeliter excruciatos, bonis, exilio, morte mulctatos, exercitu & caſtris obſeſſos, atque ad internecionem cæſos; aliquid verò ipſos eodem ex genere attentaſſe nuſquam reperio, ſiue idololatræ, ſiue hæretici eſſent principes, quorum illa iuſſu fierent, ſemper eorum, quamuis iniquis imperijs exiſtimarunt ſibi eſſe parendum: non illi animi ferocia, ſed ſubmiſſione, non nimis ac terrore, ſed lenitate & beneuolentiæ ſignificatione; non inſtructis copijs, ſed à Deo imploratis auxilijs: non armis, ſed animis, non feriendo, ſed ferendo: non occidendo, ſed moriendo dimicauerunt: quo nouo & inuſitato pugnæ genere, quantum profecerunt, opulentiſſima regna & imperia, per homines fermè nudos, deuicta declarant, & terrarum orbis ſub Chriſti ditionem poteſtatemq; ſubiectus; ceſſit inconditæ indoctorum hominum voci, compta Philoſophorum eloquentia, ceſſerunt innumerabiles copiæ propè nudæ paucitati, gladij baculis, haſtæ contis, piſcatorijs nauiculis claſſes ornatiſſimæ ceſſerunt. Hoc armorum genere, hoc marte, hoc bello ſancti Dei perſtiterunt & regna adepti ſunt, fidemq; animis infidelium incultauerunt.

Qui verò ab Apoſtolica ſede doctrinaq; catholica

lica quacunque de cauſa diſceſſerunt, eorum longe aliam fuiſſe intelligo rationem, atque viam, vt ſuam nouam fidem, & ſub ſcamno ereptum Euangelium hominibus perſuaderent: nam cum ſpecies illa ſimulationis parum valeret contra veritatem, arma illi & omnia crudelitatis auxilia ſibi adhibenda eſſe duxerunt. Videre eſt, quam atrocia in Chriſtianos ſupplicia excogitauerint, ſub Valenſis imperio, per vltimas Orientis ſolis auſtriq; plagas, Arriani.

Quid Nero? quid Domitianus? quid Decius? quid Diocletianus? nullus vnquam Vandalorum, Arrianam impietatem ſequentium, furorem ſuperauit. Teſtis eſt Perinthus, quæ Lampſacenæ ſynodi legatos, Valenti ſupplices, in exilium miſſos, & eorum eccleſias Arrianis epiſcopis attributas vidit, Nicephor. lib. 11. cap. 3. ibid. & cap. 21. 24. 25. Teſtis Antiochia vrbs Syriæ præclariſſima, quæ & ſuarum & finitimarum Eccleſiarum rectores, cum optimatibus, fortunis omnibus euerſos, partim omni ſupplicio cruciatos & necatos, partim in profluentem deiectos, partim per agros & Orontis ripas, abſque lari familiari vagantes, adſpexit, cum eis eſſet pro domo mundus, pro tecto cęlum, pro lecto ſolum, pro pane fructus agneſtes, fluuialis aqua, pro vino, Nicephor. lib. 11. cap. 20.

Teſtis item Africa, quæ Iuliano religionis deſertore regnante, cum baſilicas Donatiſtæ recepiſſent, ciuium rectè ſentientium ſtrage confecta, Gildonianorum temporum acerbitatem ſentit, & cum gemitu luctuq; pertulit Circumcellionum, omnibus latrocinijs formidabiliores excurſiones, Augu. 2. contra lit. Peril. cap. 83. idem contra duas epiſt. Gaudent. cap. 20. & 3. contra Creſon. Grammat. c. 42. 48. & epiſt. 48. & 50.

Non

Non eſt opus omnia conſectari, hæc ſola tam ab humanitate remota, tamque longè à diuina Saluatoris noſtri & Apoſtolorum ratione abhorrentia, fidem nobis facere poſſunt, vnde natæ fuerint, quæ tam exitiales tulerunt fructus religiones, à Deo ne, an ab illo, cuius facinora egregia, cædes eſſe pronunciauit, Chriſtus. Ioan. 8. quem homicidam ab initio fuiſſe dixit, & hominum ſanguine delectari.

Nunquid verò, Proceres Generoſi, noui religionis interpretes longius aberrarunt ab iſtorum hominum immanitate? nolo quicquam ex me dicere, ne iniuriam veſtram alicui à me factam vociferemini, ipſorum buccinatorum, & quidem ipſius fundatoris noui Euangelij verbis, ero contentus, nec aliud velim vos exiſtimare, quam quemadmodum ipſi exiſtimandum eſſe iudicarunt: non eſt obſcurũ iudicium illud Martini de ſacramentariorum genere vniuerſo, lib. 2. contra cęleſt. prophet. qui principum & magiſtratuum animos accēdens, ad eorum (ſcilicet ſacramentariorum, quos iconomachos vocat) impetum comprimendum, ab imaginum demolitione veniri, dixit ad cędem, & quid illis propoſitum ſit, quo ſpectent eorum conatus, vt mihi videtur, verè magis, quàm eleganter is idem explicauit,
„ non hic eſt (inquit) diaboli ſcopus, vt oppu-
„ gnentur imagines: aduertite diligenter quæſo proceres, & conſiderate ſingula Martini verba nos diaboli conſuetudine ignari, quod videmus, hoc illum etiam agere, voluiſſe putaremus, vt ſcilicet ſacris imaginibus euerſis, tantum de animorum pietate diminueret, quantum de externo cultu Eccleſiarũ, à maioribus noſtris ex Apoſtolica doctrina conſtituto, detraxiſſet: ille vero, qui ſe multos modios ſalis cum diabolo eſſe gloriatur, ſenſus eius pulchrè

callens,

„ callens, hoc nos errore liberat, ne (inquit) erretis,
„ mali dęmonis conſilia non eo pertinent, non id agit
„ per ſacrarum imaginum oppugnatores: aliud ille
„ machinatur, quod intelligit Deo maxime diſplicere,
„ quòd hominum generi exitio futurum non ignorat.
„ Quid verò illud ſit, explicat Luther. Vult (inquit) ſibi foramen fieri, per quod ſanguinem fundat, & cædes faciat in orbe terrarum.

Verùm quomodo cogitabitis, Proceres, de veſtris præconibus, tales eorum eſſe cogitationes, ferrum ſcil. & flammas emittere, cum nihil eorũ exeat ex ore eorum, niſi religioſum, niſi pium, niſi diuinum? „ fallimini (dicit Luther.) ſpiritus iconomachorum non eſt bonus. Veſtri verò concionatores tollunt idololatriam, & reſtituunt pietatem & diſciplinam Eccleſiaſticam. „ Inanis (inquit Luther) eſt hic ſonitus verborum, ſpirant enim cędes & ſeditiones. Mirum ſanè hoc eſt, de iſtis euangelicis prædicantibus, cum nihil tale præſeferant, in vultu, in motu corporis, aut verbis, „ Parum (inquit Luther) intelligis, cælant & diſſimulant ad tempus, quam diu non vident opportunitatem.

Eccè quantum iudicium Lutheri de ſacramentarijs hæreticis. Certè ſi quis Catholicorũ tale quippiam tuliſſet in Lutheranos, falſam commiſiſſe diceretur, ſicut plerique id quod ex Martino citatum iam fuit, non ſerio ipſum dixiſſe obganniunt.

Verum ne quiſquã ſe iniquo iudicio oppreſſum conqueratur, quem vos iudicem ferre vultis, qui neſcio quo in angulo latentem pietatem inueniſtis? num aliquem ex grege eodem? an verò ex Catholicorum numero arbitrum habere quæritis? at ſunt inimici. (dicetis Catholici, multaque ira, inuidia, odioque Luthero impoſuerunt) ideo nullam in

teſtimonijs dicendo, vel ſententia ferenda, authoritatem eos habere par eſt. Num ex ſacramentarijs iudicem vultis? at difficile eſt, atque arduum hoc iudicium illorum, quibus furioſum impetum attribuunt ſacramentarij, omniq; humanitate eos ſpoliant, tyrannos, cyclopes, factionem ſuperbam gigantum appellant. Sic Euangelium Euangelio inimicum eſt, pietas eſt aduerſa pietati, veritas cum veritate certat: at in re manifeſta, quid inimicorum teſtimonijs vel ſententiis opus eſt?

Dicat ipſe Martinus, an ſcripſerit ruſticorum coniurationes, Munçero duce, paſsim per Germaniam furentes: gladium principibus imminere, poſtulata ruſticorum eſſe tam æqua, patronis vt iniicerent ruborem: effudiſſe Deum in principes iram ſuam; illos authores diuini furoris: nihil ipſis ex animi ſententia euenturum, clientes nec poſſe iam, nec velle tyrannidem eorum pati; niſi illi facerent, alios fuiſſe facturos: ſi delerentur omnes armis, alios à Deo excitatos iri, non ruſticos ipſis reſiſtere, ſed Deum: Chriſtianum hominem, dummodo credat, non poſſe damnari: liberos prorſus eſſe chriſtianos: nullis eos humanis legibus teneri. Euãgelium vi quadam atque diſcordia inſtaurari oportere. cum ſe Chriſtus veniſſe fateatur, non vt pacem hominibus afferret, ſed vt gladium immitteret in terras, &c. in lib. de captiuit. Babylon.

Quid veſtri iſti clamatores cum illa nobis frequenter inculcant, non veni pacem mittere, Matth. 10. ſed gladium, hunc eſſe diuini verbi quendam quaſi genium, vt nunquam emergat, quiete ac dormiente Sathana; cum libellos clam ſpargunt ad minuendum principum, (vt vos dicere ſoletis) Euangelio aduerſantium, ius & authoritatem, videnturne vobis

bis ad concordiam ciues adhortari, an impellere ad ſeditionem?

Noueritis Schlammingenſes ciues, ſuperioris STIRIAE, nuper ex tali prædicante Euangelium nouum, aduerſus ſuum legitimum Principem FERDINANDVM incitatos, arma induiſſe, plurimamque ſtragem cogitaſſe, & rebelliones in finitimis locis, niſi maturè compreſſi, & celeriori gladio domati fuiſſent.

Meminiſſe iuuabit, Proceres Illuſtres, quoties inuitis vobis, prædicantes, in eccleſijs, in vicis, in plateis, in tabernis, in diuerſorijs & conuiuijs, imperitum vulgus, ad huiuſmodi Euangelicæ audaciæ & præſumptionis faces accendendas, conciunculis ſuis extimularint, dum reluctãtibus prouincialibus omnibus, ipſoq; Principe ſeriò prohibente, publicè decantarent, illud canticum blaſphemiæ pleniſſimum, & furoris cędisque Erhalt vns Herr bei deinemvvort, vnd ſteur des Babſt vnd Turcken mord,
„ die Ieſum Chriſtum deinen ſohn, ſturzen vvollen
„ von ſeinem thron. &c.

Profectò, ſi Euangelicæ profeſſionis foret Princeps FERDINANDVS (quod longè Deus auertat) iuxta fidei ſuæ profeſſionem, omnes huiuſmodi rabuliſtas & cantatrices, igne ferroq; multaſſet; Verùm cum non capiat niſi veram Ieſu Chriſti fidem, religionemq; Apoſtolicam, ſeſe eidem conformare voluit, atque contra aduerſæ religionis proteſtantes, non gladio, ſed bonorum vel publicatione, vel ceſſione libera, iuxta leges Imperiales procedere: nefas ergò maximum eſt, tali ſectæ adhæreſcere, quæ nil niſi ſanguinem ſitiat, doceatque, maximumque pietatis genus, eiuſmodi ſanguinolentos manſuetè, & in ſpiritu lenitatis corrigere, vitaque

ſuperſtite, ex prouincijs eliminare:

Liceret hic plura in medium adferre exempla, quæ paſſim per Germaniam ex nouo iſto Euangelio prodierunt, ſi maledici conuiciatores officio potius fungi, videri vellem, quam modeſti & Chriſtiani exhortatoris: ideo cum non moueant hominem, ad ſuſcipiendam veram fidem, ſed potius perſiſtendi cum contumacia in errore, faciant occaſionem, ijs omnibus ſuperſedendum iudicaui, atque demonſtrandum, ſanctam Romanam & Apoſtolicã fidem non cogere quemquam armis aut ſanguinis profuſione, ſed meritis Sanctorum, Chriſtum & hanc fidem profitentium, miraculis quoque & ſignis confirmantium, quod eſt certiſsimum argumentum veræ & infallibilis veritatis.

Deus enim cum ſemper idem ſit, ſemper ſui ſimilis, ſemper vniuſmodi, vt natura, ſic voluntas & ſententia diuina non mutatur, neque ſibi ipſi aduerſarius eſſe poteſt, aut ſecũ ipſe pugnare: quod cum ita ſit, fieri nullo pacto poteſt, vt quod catholicæ fidei profeſſoribus ad conteſtandam firmitatem religionis catholicæ tribuit virtutis & miraculorum, id ipſum non etiam tribuerit aduerſæ religionis aſſertoribus, ſi eadem firmitate & fundamento nitantur: Verum quia non tribuit, ſignum eſt, illorum fidem non eſſe veram, ſed fictitiam; alioqui ſequerentur illa ſigna & miracula, quemadmodum in Romana & catholica fide factum legimus: aut certe dicendũ foret, Deum in ſua ſententia mutari, quod planè impium eſt.

Hanc verò ſignorum & miraculorum perficiendorum vim & virtutem, eſſe ſignum veræ & intemeratæ fidei catholicæ, Deus ſic conſtituit, vt & dubitantibus & vero etiam negantibus fidem facerẽt,

illis ad firmiter credendum, his verò ſine heſitatione ad aſſentiendum. Cuiuſmodi fuerunt in Moyſe & alijs Sanctiſsimis prophetis, ſimiliter in noui teſtamenti principibus Apoſtolorum, Sanctis Petro & Paulo, & alijs Apoſtolis, Sanctiſque Dei amicis, qui earum rerum, quas patrabant, admiratione, omnium in ſe oculos & animos conuerterunt, multas miſerabileſq; res & nouas, vel vno ſolum verbo efficiendo, vt ægris valetudinem reſtituendo, ſurdis auditum, aſpectum cæcis, mutis vocem, ingreſſum claudis, &c.

Illius verò Euangelii noui prædicatores, quantumuis ſe ſpiritu diuino cęlitus afflatos dicant, quæ nam ipſi habent ſuæ fidei probationis argumenta, caſu quo quis negaret illos ſpiritu diuino afflatos? cui ægro ſanitatem? ſurdo auditum? aſpectum cæco? muto vocem reſtituerunt? quem mortuum ad vitam reuocarunt? nam iactare diuini ſpiritus inſtinctum, eius autem inſtinctus indicium nullum poſſe proferre, vel ſtultitiæ vel amentię mihi videtur eſſe. At ſcio, quod iſtorum Euangelicorum in promptu eſt obiectio, noſtros etiam ſacerdotes & catholicos viros hodie nullum vel rarò facere miraculum. Verùm nunc non quæritur, quid fieri debeat in confirmationem veræ & apoſtolicæ religionis, ſed quid factum eſſe debuit. Vnde tametſi noſtri catholici antiquiſsimam ſequantur diſciplinam, à Chriſto ad nos, & ab Apoſtolis vſque propagatam: quam cum illi & quos ipſi Eccleſiis præpoſuerunt, tam multis rebus mirabiliter diuina virtute perpetratis confirmarunt, neceſſe nunc non eſt, eam hoc genere denuo comprobari. Iſtis verò nouis euangelicis, & omnis ſacræ vetuſtatis reformatoribus, qui priſcorum patrum doctrinam, omnibus ætatibus retentam, &

conſeruatam, funditus delere ſtudent, noua quæ adferunt ſomnia, factis mirabilibus atque diuinis, confirmanda erant, vt nos eorum non ſermonem, ſed virtutem, hoc eſt, vim & poteſtatem res admirabiles efficiendi, cognoſceremus, non enim in ſermone eſt regnum Dei, inquit Paul. 1. Corint. 4. ſed in virtute.

Verum eſt inquiunt, diuini afflatus non habeamus argumenta, quibus nouam fidem noſtram approbare poſsimus; habemus tamen alias coniecturas, bonas & firmas, quibus conuincere poſſumus, hanc Euangelicorum fidem veram & indubitatam eſſe: quam multi, inquiunt, ſunt, qui in Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, pro fide ſua omne mortis genus, magna animi conſtantia ſubierũt, in tantaq; quaſi tyrãnide & populorum principumq; ſæuitia, longè lateq; propagarunt, hanc eandem fidem, vt iam omnes ferè terrarum oras occuparit.

Negare non poſſum, Proceres Illuſtres, quin hæc prima facie ſatis ſplendida ſit oratio, omneſque catholicorum conatus infirmare videatur: verùm ſummo iure contra eandem ego non agam: quod ſi facerem, omnes mihi concedi oportere faterentur: etiamſi multorum martyrio diſciplina iſta niteretur, quod fieri nequaquam poteſt: ſed ſi niteretur, fidem tamen eis nullam adhibendam eſſe, quæ veterum Patrum ſententijs, quæ cõciliorum decretis, quæ Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ omnino repugnat. Proferam memorabilem illam B. Pauli ſententiam ad Gal. 1. quæ omnem hæreticorum cauſam vno ictu iugulat: Licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet nobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit, ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizauerit præter id

„ quod accepiſtis, anathema ſit. Sic agam, vt iſtos velle ſentio: quid dicunt? quid vociferantur? An martyrum quamplurimorũ cruciatu atque morte ſuum euangelium fuiſſe fundatum? audio, Veruntamen dicant mihi quorum? quando? apud quos? ego enim ita mihi videor ex antiquiſsimorum & optimorum ſcriptorum monumentis didiciſſe, non ſuppliciorũ genere martyres fieri, ſed conditione cauſæ: non ſi quis extremos corporis cruciatus mortemq; ſubeat voluntariam, ſed ſi quis hæc vltrò pro vera religione (quod ipſis probandum incumbit) & fide catholica ſuſtineat, ei vni tam illuſtre martyris nomen eſſe tribuendum. Vt enim eum, qui probabili ratione aliqua, periculum adit, vt pro incolumitate patriæ, pro ſalute communi, fortem appellamus, qui verò temerè ac nulla ratione ſeſe offert in medium periculum, hunc licet idem, atque ille, faciat, indignum fortitudinis laude dicimus, inconſideratam & audacem nominamus: non ſecus maiores noſtri ſingulari ſapientia viri, qui ſinceræ religionis integræq; fidei cauſa patiendo certans, mortem occubuiſſet, hunc verum, hunc perfectum, hunc ſolum martyrem eſſe putauerunt: Si quis verò vt opiniones ſuas tueretur, vt fictas à ſe fabulas defenderet ac perſuaderet alijs, contra ueterum ſcriptorum eccleſiæ uniuerſæ & Apoſtolorum authoritatem, ab ijs qui in poteſtate eſſent, iure damnatus, ultrò mortem oppetijſſet, etiamſi omnia tormenta ſine uoce gemituq; ſuperaſſet, non eum martyrem fortem & conſtantem, ſed nocentem reum, audacem, ſuperbum, contumacem, nuncupandum eſſe rectè cenſuerunt, cuiuſmodi multa eiuſdem generis accidiſſe ubique gentium non inficior, proinde uideant iſti, quid uelint: Si enim omnia pro quibus uitam unquam multi contem-

tem-

tempſerunt, pro ueris & ſinceris habenda eſſe contendunt, Mahometanorum diſciplinam, atque Anabaptiſtarum errores, pro quibus non pauci vitam & ſpiritum ſponte profuderunt, integros & ſinceros eſſe, cogentur profectò confiteri; quare ſupplicia ſuorum commemorare deſinant, illudq; doceant, recentem iſtam religionem, nullis falſis opinionibus eſſe deprauatam, cum veterum ſcriptis, cum eccleſiæ catholicæ moribus & inſtitutis, cum Apoſtolorum Chriſtiq; doctrina cõgruere, ex omni parte; hoc vbi planum fecerint, tunc illud eis tribuemus & dabimus, vt ſuos illos participes & ſocios euangelij, modo primum naſcententis cauſa, damnatos, cruciatos, necatos, editis etiam libris in martyrum numerum adſcribant.

Nec tam latè patet iſtorum Lutheranorum ſecta, vt ipſi gloriantur, in Germania enim plures ſunt Principes, de populo vero plures ciuitates, qui conſtantiſſimè tenent, patriam & antiquam religionis diſciplinam. In Gallia ſimiliter videmus indies refloreſcere magis magisq; religionem catholicam, exareſcere vero nouam Euangelicorum, adeò quidem, vt non ſine cauſa ſperare poſſimus, aliquando futurũ, vt erroribus iſtis ſublatis, omnes vnanimes vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

In Italia ſunt nonnulli peſſimis moribus & opinionibus imbuti, ſed illi latent in tenebris, nec ad lucem prodeunt: dixerim & illud, ſalua pace, Illuſtres & Generoſi Proceres, multos eruditione, moribus, præclaraque indole præſtantes, ex filijs veſtris, in florentiſſimis Italiæ vrbibus, non quam fortè intus tenent religionem prodere, ſed conformes ſeſe reddere vbique locorum antiquæ & auitæ catho-

licorum

licorum fidèi & ceremonijs, quemadmodum hoc ſacro Iubilei anno in vrbe plures conſpectati ſunt; Vtinam Deus illorum animos (vti ego ſpero) intus permoueret, vt quod ad extra ſimulatè fortè oſtenderunt, intus in corde, recta & ſincera mente, coram Deo & hominibus conteſtentur.

In Hiſpanijs nullum credo huius fidei hominem reperiri, etenim eſt illa tota prouincia valdè inimica huic nouitati: ſalutaribus inſtitutis ita munita, vt ad eam iſti noui homines nullo modo accedere audeant, Falſo igitur iactitant iſti, ſuum Euangelium diſſeminatum eſſe per omnes terrarum oras. Nec, conceſſo etiam, quod toto terrarum orbe peruagatum fuiſſet iſtorum Euangelium, ſequeretur quod propterea probabilis ſit & laudabilis dicenda religio, cum multæ ſæpè graues ac pernitioſæ péſtes latiſsimè promanarint, vt Arrianorum hæreſis fuit, aliorumq; ; nunquam tamen pro veris fidei doctrinis acceptatæ fuerunt.

D. Paulus ſcribens ad Romanos. 10. cap. ait, omnem dicendi & inſtituendi authoritatem miſſione conſtringi; Vnde ſic: Si verum eſt, quod nouitij iſti gloriantur, ſuum vbique terrarum perueniſſe Euangelium, profecto debuerunt à quoquam mitti, ſi alioqui populum inſtituere & docere voluerunt, vt omnis illorum eſt occupatio in prædicando verbo Dei. Item, ſi miſſi ſunt, debuerunt, etiam poſtquam ex prouincia vna in aliam relegati fuiſſent, (vt fecerunt Sancti Dei Apoſtoli) poſt ſe fructum prædicationis & veræ miſſionis inditium relinquere: horum verò neutrum illis applicari poſſe, ſic demonſtratur.

Primum namque Sanctus Hieronymus eximia ſanctitate & doctina vir, initio comment. epiſt. ad

Galat.

Galat. quatuor ſtatuit genera miſſorum ſeu Apoſtolorum. Primum eſt planè diuinũ, eorum quos non homines, neque Deus per homines mittit, ſed occulto quodam afflatu & inſtinctu ſolus Deus impellit. Alterum ſuperiori dignitati proximum eſt, eorum, quibus Deus quidem, vnde hæc omnis poteſtas & authoritas eſt, per homines defert populi erudiendi munus. Tertium quod à priorum grauitate & splendore longè abeſt, eorum eſt, quos non Deus, ſed homines mittunt. Quartum execrandum eſt & deteſtabile genus, eos complectitur, qui nec à Deo, nec ab hominibus, ſed à ſe ipſis mittuntur, hoc eſt, qui prædicandi Chriſti munus cum ij à nemine præpoſiti fuerint, temere vſurpant.

Qui primis tribus generibus comprehenduntur, hi propriè ac verè dicuntur mitti: quarto verò in genere qui numerantur, non illi quidem mitti, ſed vltro impudenter accurrere, non aduocari, ſed inſerre ſe atque intrudere: non accedere, ſed irrumpere dicendi ſunt. Itaque in illis primis dicenda eſt poteſtas & authoritas: in his, quoniam miſſi non ſunt, quamuis ſe miſſos eſſe ſimulent, nihil eſt præter audaciam proiectam, & nefarium ſcelus.

Veteres illos vates Ioannem Baptiſtam, duodecim Apoſtolos, & extra numerum duodecimum B. Paulum, qui ſe non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum Apoſtolum eſſe factum, aliquando neceſſario gloriatus eſt, ad Gal. 1. hos ego in primo genere pono. Iudam & Silam ab Apoſtolis legatos Antiochiam, cum publicis primi Concilij mandatis, Actor. 15. Timotheum, Titum, denique omnes, ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus præpoſitos Eccleſiæ, ad ſecundum genus arbitror pertinere: niſi forte Iudas ille fuit Iacobi

frater,

frater, quem ſcimus in duodecim Apoſtolorum numero fuiſſe.

Quicunque verò ſtudijs hominũ ſacerdotia conſequuntur, eos ad tertium genus referendos puto, quibus tamen authoritas non deeſt, & diuina; modo legitime fuerint ordinati, ſed ab hominibus, non à Deo dicuntur mitti, quia non id expectant, vt à Deo vocentur, tanquam Aaron. Hæbr. 5. verum humano fauore abutentes honorem ſibi ipſi aſſumũt.

Poſtremò omnes falſos vates, quos non miſerat Deus, ipſi tamen alacriter currebant. Ierem. 23. quibus nihil loquebatur, nihil ſignificabat Deus, ipſi verò vaticinabantur: omnes falſos Apoſtolos, operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, vt cum ſint Sathanæ miniſtri, ſpeciem quandam adumbratam miniſtrorũ iuſtitiæ præ ſe ferunt, quarto genere comprehendo.

Nunc ergo videndum eſt, quo in genere iſti noui Euangelici comprehendantur. Fuit quidem inter illos quidam impudẽs homo, qui ſe alterum Eliam prædicabat, quare is forte ab ipſo Deo miſſus fuit? Cuius ſi virtutem quæramus & effectus, nullam inueniemus, quæ Dei miſſionem redoleat: cuius tamen, viri præſtantiſſimi, aſtu & fraude, decepti ſunt: Verum non ſunt iſti miniſtri verbi diuini, non vindices Eccleſiæ, non Euangelij aſſertores, ſed vna cũ mendacibus prophetis, vna cum falſis Apoſtolis adnumerandi. B. Paulus quamuis certò ſciret, ab ipſo Deo ſe fuiſſe ad erudiendum populum extraordinariè aduocatum, multumque ac diu Apoſtolis & vniuerſa Eccleſia probante, fuiſſet in eo negotio verſatus; tamen peragraturus orbem terræ, ſibi manus imponi paſſus eſt, & humanam authoritatem, cum diuina coniunxit, idemque poſt 17. annos, quam

Chriſtum denuntiare cęperat, vt ipſe narrat Actor. 13. iterum admonitu diuino Hieroſolymam contendit, & cum Apoſtolorum principibus contulit doctrinam ſuam, ne forte operam illam & laborem tantum fruſtra conſumeret. Tanti vir ſanctiſſimus putabat eſſe faciendam legitimam hominum poteſtatem.

Iſti Euangelici tantum abeſt vt à Deo miſſi dicantur, quod etiam nec ab hominibus ad id legitimè vocatis & deſtinatis, functionis ſuæ & miſſionis probationem aliquā adferre poſſint: Taceam quod Euangelium ſuum & doctrinas, prout Paulus fecit, vniuerſalis Eccleſiæ iudicio approbandas offerant. Velint nolint ergo, ad quartum genus vocatorum reijciuntur, in quo nulla dignitas, nulla poteſtas, nulla niſi ficta & ſimulata authoritas, contra ſumma turpitudo & infamia. Hoc quam verum ſit, Proceres Illuſtres, vos ipſi noueritis, quantum ipſi debacchentur in ordines eccleſiaſticos, quos ſacros vocamus, quibus etiam per homines diuina tribuitur hominibus, ad hoc ſingulariter ſelectis & deputatis, authoritas prædicandi Euangelium, conficiendi & adminiſtrandi ſacramenta. Huius verò cum extorres ſint poteſtatis euangelici, nullius gloriari poterunt.

At verò videamus, quandoquidem ſe cęlitus miſſos vocatoſq; dicant, quid poſt illos boni in mundo permanſerit, aut qualiter ſeſe, cum ex vno loco in alium proſcripti fuerint, geſſerint.

Ego ſic rem intelligo, Proceres grauiſſimi, quod poſſum ex ſacris literis probare, cum aliquis exiſtat, qui ſe Dei iuſſu & inſtinctu veniſſe dicat ad docendum, ſi cætera ſigna deſint, de quibus ſupra, neceſſariò exitum illius ſpectari oportere; Stephano crudeliter

deliter à Iudæis interfecto, cum cæteri quoque noſtræ religionis homines ad vincula, ad ſupplicia, ad mortem raperentur, illi tempori cedentes, alij alio diffugerunt; ex eo numero nonnulli Antiochiam peruenerunt, tametſi nihil eis ab Apoſtolis fuerat mandatum: Chriſtum tamen etiam Græcis, ideſt, idololatris, denuntiare cęperunt: ab errore quamplurimos ad veritatem conuerterunt, cum diuina vi multa facerent præter conſuetudinem, ſupra omnium hominum facultatem. Erat enim inquit S. Lucas, manus Domini cum eis: qui ſi nihil eiuſmodi feciſſent, tamen ex ijs quæ poſt acciderunt, cognoſci potuiſſet, eos fuiſſe diuinitus impulſos, ad multitudinem docendam. Nam ſtatim vt ea res peruenit ad Apoſtolorum aures, Barnabam illi miſerunt Antiochiani, qui cognita Dei gratia, hortabatur omnes, vt in ſuſcepto conſilio, propoſitaq; ſententia permanerent. Quo idem Paulus poſtea ductus eſt à Barnaba: eorum & aliorum opera tanta multitudo breui ad fidem adducta eſt, vt in illa vrbe primum appellarentur diſcipuli Chriſtiani Actor. 11.

Hæc ſunt Proceres grauiſſimi, probationis argumenta tam clara, vt illis clariora deſiderare non poſſint: probauit enim eccleſia factum eorum, qui primi inſtituerant Antiochenos, Barnabas miſſus ab Apoſtolis cognoſcendi & iuuandi cauſa, quæ illi tradiderant, confirmauit: eadem Paulus docuit.

Ex hoc quid colligemus, Proceres? Nonne ſi populus Antiochenus aliquam falſam didiciſſet doctrinam, iure optimo conqueri potuiſſet, à Deo ſe fuiſſe circumuentum, ſicut & non multò poſt exorti ſunt alij, qui pari ratione cum nullam ab Apoſtolis poteſtatem accepiſſent, populum eundem vltro docuerunt, & circumciſionem in Eccleſiam intro-

ducere voluerunt, quos tamen non ſuſceperunt, tan quam admonitu diuino non miſſos: ideo ſe illis oppoſuere Paulus & Barnabas, Actor. 15. eorumq; doctrinæ peruerſæ vehementer reſtiterunt. Quæ res poſtmodum ad cõcilium Apoſtolorum relata fuit, illi Spiritus Sancti ductu decreuerunt falſa & inania eſſe, quæ docuiſſent, neque qui veniſſent ab idololatria, circumcidendas eſſe.

Fieri ne poteſt, quod iſti Spiritus Sancti inſtinctu miſſi fuerint, qui ea docuerunt, quæ Barnabas & Paulus atque vniuerſum Apoſtolorum concilium apertè damnauit? Sanè nunquam fieri potuit mendacium veritas.

Ecce quid Apoſtoli fecerint, & illorum ſucceſſores? quomodo Spiritus Sancti ductum aſſecuti, & in omnem veritatem progreſſi ſint, verumq; vocationis à Chriſto & miſſionis ſymbolum in omnibus gentibus, verbo & vitæ actionibus comprobarint. Quod ſi nouorum Euangelicorum prædicantium doctrinas cum ſuo ſymbolo ſeu miſſionis & vocationis initio accommodauerimus, minus certe ad finem eiuſdem cõperiemus: ſiquidem veriſſimum eſt illud, quod ſupra citatum fuit, quæ malo inchoata ſunt principio, finem bonum conſequi nequeũt: vnde quia peſſima illorum vocatio fuit, ideo deteriores poſt ſe reliquerunt effectus. quales ſunt, opinionibus diuerſis inter ſe pugnare, ſacra, ceremonias, imagines Sanctorum, omnem antiquam religionem euertere, noua quædam & ad id tempus inaudita pijs inducere, in eorum locum, contra veterum ſcriptorum Sanctiſſimorum & doctiſſimorũ hominum ſententias & inſtituta, ſiue ſcripta nobis à Chriſto & Apoſtolis tradita per manus, repudiare, eccleſiæ generaliumq; conciliorum, & Pontificis

Rom. ſupremum iudicium authoritatemq; deſpice re: contra literas diuinas non à ſe corruptas, verùm àb antiquis interpretibus, & ab Eccleſia rectè explicatas, repugnare, &c.

Ex quibus multorum hominum mentes plurimum commotæ ſunt, non obſtante eo, quod complures integritate ſingulari & doctrina viri, & Epiſcopi contradixerint iſtis omnibus palam, & ſcriptis & oretenus: Neque iuuit quicquam ad correctionem iſtorum hominum, quod res iſta delata fuit ad Rom. Pontifices, quorum ſemper fuit, vt etiã nunc eſt, & poſthac erit, ſummum in Eccleſia iudicium & authoritas, qui omnes factum ad inſtar Apoſtolorum improbarunt, diſciplinam falſam & irreligioſam eſſe ſtatuerunt: ad hoc Triden. Concilium œcumenicum conuocatum fuit, quo facilè iſti, modo voluiſſent, adire potuiſſent, libera eis poteſtas diſceptandi facta, publica fides data, cum per legatos eſſent perhumaniter inuitati, non adfuerunt, abſentes condemnati, & anathematis pœna, quod more maiorum, non niſi grauiſſimis in rebus fieri ſolet, affecti ſunt.

Cognoſcere licet iſtorum hominũ effectus, poſtquam ex prouincijs Sereniſſimi Principis & Archiducis veſtri & cum vxoribus ſuis liberiſque amandati ſunt, quantum conuitijs & blaſphemijs ipſum proſequuntur, & dira nefandaque eidem imprecantur, cuiuſmodi non fecerunt Apoſtoli, neque noſtræ religionis homines, ſi ab ethnicis & hæreticis quandoque (vt ſæpè fieri ſolet) proſcribuntur, ſed excutientes puluerem ex calceamentis ſuis, pacem præcantur, & à Deo conuerſionẽ ipſis exoptant: quemadmodum & pro illis communes in eccleſia preces fieri ſolent: & in lytanijs, vt hæreticos conuertere, &

eorum

eorum impios conatus ad nihilum Deus redigere dignetur, aſsiduè precamur. Hoc ſignum eſt boni animi, & hominis, à Deo per homines vocati & miſsi.

Nec id ſolum conuitiandi exercitium contra Eccleſiam Catholicam catholicoſq; principes & reges inſtruunt, ſed etiam in ſeipſos crudeliſsimè exacuunt, dum ſeſe mutuo odio pluſquàm vaticano laceſſant irritantque: nec vnquam de fidei articulis, eccleſiaſticarumq; ceremoniarum ritibus conuenire in vnum poſſunt, vt vos Proceres Generoſi, teſtimonium perhibere poteritis, de prędicantibus illis, quorum aliquot ex Gretio de ſynagoga veſtra, ob variam & nouam fidei articulorum interpretationem, & rituum Eccleſiaſticorum diuerſitatẽ, proſcripti ſunt: quomodo ergo diuini ſpiritus inſtinctu loquuntur? aut quomodo à Deo ſe miſſos perhibent, nunquid iſtis adhuc, Proceres Sapientiſsimi, fidem attribuetis? aut afflatum aliquem diuinum dabitis, quorum doctrina, omnibus in quibus eſt aliqua poteſtas, patribus antiquis & eccleſiæ vniuerſæ contraria, tantas in ijs quaſcunque attigit, oris tragędias excitauit?

Altercantur quidem & noſtri quandoque. Verum eiuſmodi de rebus contendunt, de quibus liberum cuique eſt opinari quid velint. In rebus verò fidei, omnes idem dicunt, vnus omnium conſenſus reperitur, idemque ceremoniarum vſus. Quod ſi quando accidit, vt etiam de fide quæſtio aliqua exiſtat, Pontificis Maximi vel Generalis Concilij decreto, omnis controuerſia terminatur, ipſi verò nullum habent caput, iudicio cuius in concordiam reducantur.

Non ergo cuiuis graui & prudẽti viro diſpliceat,

ſi ob

ſi ob inconſtantem in religione ſua animum, nouorumq; dogmatum gloſſandi mutabilitatem, HAERETICI dicantur, aut iuſtius cum Sanctis Patribus, vt Origene in 13. Matth. dicantur Petræ adulteratæ, eo quod ſprendorem falſum à ſe emittant. Chryſoſt. in 19. homil. in Matth. peiores brutis animantibus. Gregor. Nazian. orat. 1. Cont. Iul. Cameleonti cõparantur, quod ſe in tam diuerſas formas, ideſt, ſectas tranſmutent. Damaſc. 3. de fide cathol. hydræ, quæ ſemper venenatiſsima capita erigit: Cyprian. in Concil. Carthagin. adulteri, eo quod adulteratæ ſunt à fide catholica. Hieron. in epiſt. ad Cyprian. araneæ, quæ texit retia ſua ad capiendas muſcas, ſic ipſi ad decipiendos idiotas. Origen. tract. 3. in epiſt. D. Ioan. Antichriſti. Chryſoſt. homil. 5. in Matth. membra putrida & ramos abſciſſos vocat de ſtirpe ſeu arbore eccleſiæ catholicæ. Orig. Pſal. 36. hom. 3. falſificatores monetarum, quod ipſi corrumpunt ſacras ſcripturas. Chryſoſt. hom. 46. in Matth. ſerpentes cum tribus caudis. S. Auguſt. in Pſal. 36. dracones. Orige. in hom. 4. in Cant. vulpeculas Samſonis, quæ incendunt triticum, ſic ipſi fructus bonorum operum. Chryſoſt. hom. 46. in Matth. viperę. idem Orige. in tract. 31. in Matth. Iudæ Iſcarioti. Nazianz. in orat. Poſtquam reuerteretur latroni. S. Auguſt. lib. 2. Euangel. qq. q. 4. leproſos & peſtilentes. Hieron. ſupra Oſe. lib. 7. c. 7. fornaci bullienti, in quo coquuntur panes antichriſto. S. Auguſt. de conuenient. 10. plag. ranæ garulæ & importunæ clamanti. Chryſoſt. in epiſt. ad Nouitia. coruo egredienti de arca Noe, & firmanti ſeſe ſuper arenam; arbori ſterili non ferenti fructus: fluctus feri maris ſydera errantia. &c.

Scio quã ſit odioſum nomen HAERETICVS;

verum

verum quando ipſi nos idololatras & blaſphemos appellant, quid faciemus? certè par pari referemus, ſi monſtrauerimus, recentem iſtam fidem, impietatem dici. Nolim tamen quemquam offendere, nec quicquam in odium aliorum dicere: verè ne impietas dici poſſit iſta noua religio, an non poſſit, omitto. Vim verbi aſpiciemus.

Hæreticos à maioribus noſtris impios vocari ſolitos, patet paſsim legentibus, neque illos hoc loco, Illuſtres & Generoſi Proceres, qui diſtant à Catholica religione, hæreticos eſſe dico, neque dicam, illos intelligi volo, Valentinianos, Martioniſtas, Arrianos, Manichæos, & alios quos ipſi nobiſcum hæreticos eſſe confitentur. Ego nullam diſciplinam nominabo, niſi veſtro etiam iudicio cōdemnatam; de genere tantum hæreticorum vniuerſo dicam, ea quæ vos ipſi ſpero mihi facile concedetis, nemoq; ex vobis mihi iraſci poterit, niſi qui ſeſe hæreticum eſſe voluerit antea confiteri.

Impius itaque is dicitur, ſeu ἀσεβὴς, qui expers eſt pietatis, qui parum ſanctè pietatem colit, qui cogitatione, voce, facto, pietatis iura reſcindit: & quoniam philoſophi latini pietatem, græci εὐσέβειαν, non ſimplicem eſſe dicunt, ſed partim aduerſus conſanguineos, partim aduerſus patriam, partim aduerſus Deum adhiberi, omnes impij ſunt & ἀσεβὴς, à quibus quātumuis horum trium pietatis genus nullo modo violatur. Quod ſi non omnes, qui vel in patriam, vel in parentes inexpiabiles fraudes conceperunt, continuò Deum omninò nullum eſſe putauerint; vbi nam illi ſunt, qui neminem impium eſſe arbitrantur, niſi qui Deum vllum eſſe inficiantur? an illud ſibi volunt? etiamſi & in patriam & in parentes impij multi ſint, non omnium religionum

penitus

penitus expertes, in Deum tamen impios dici non ſolere, niſi qui diuinum principatum funditus euertant? quid ergo eſt, quod Mar. Tull. Verrem ait Deorum (Pro Fonteo) quos veneraretur, templis ac religionibus, bellum ſacrilegum & impium indictum, ſemper habuiſſe? quod priſcos illos Galliæ incolas, qui non omnino tollebant vim Deorum, ſed eos humanis hoſtijs credebant ſacillimè placari: & aliarum gentium religiones, direptis, incenſiſque templis, propè deleuerunt, impios appellat? Quid tot Græcorum, tot Latinorum ſcriptoribus ornatiſsimis faciemus, qui ſæpiſsimè impiè quid in Deos dixiſſe aut feciſſe aiunt, illos ipſos, qui Deos eſſe fatebantur? Nihil ne græcè illos, nihil latinè ſciuiſſe credemus? & ſermonem reprehendemus eorum, à quibus initia græcè latineq; loquendi ſumere debemus? An illos potius putabimus errare, qui eundem eſſe ἀσεβῆ, ideſt, impium, & ἄθεον affirmant? Etenim ſi liberos erga parentes impios eſſe confitemur, non ſolum qui parẽtes illos eſſe negant ſuos: quos eſſe conſtat, ſed etiam qui ſceleratè quid faciunt, aut dicunt in eos, quos parentes ſuos eſſe non diffitentur: cur non aduerſus Deum pari ratione, non illos modo impios exiſtimemus, qui tollunt è medio ſupremam illam immortalemq; naturam, & beatam, ſed etiam eos, qui vllo aut verbo, aut facto violant ampliſsimam illius, quam non negant eſſe, naturæ diuinæ dignitatem? Sic ille elegantiſsimus poëta, qui dicta ſibi negat impia verba, in ſanctos Deos, alioq; in loco, magnos Deos inficiatur, impia ſibi lingua læſos, lib. 1. eleg. 3. & lib. 3. eleg. 4. Sic eiuſdem ſententiæ fuiſſe videtur Arnobius Africæ quondam lumen, lib. 1. contra gent. qui toties gentes abhorrentes à veritate impios eſſe, vereq; in

impietate iacere confirmat, non quod eas omnino nullam, ſed quod falſam colere religionem arbitrarentur: toties chriſtianos oſtendit impios habitos eſſe vulgo, qui certè nō omnem funditus religionem extinxerunt, ſed falſam introducunt in locum veræ. Quamobrem etiā Sanctiſsimi patres noſtri, vt iam ex eorum monumentis reſerauimus, hæreticos tàm varijs nominibus appellitabant, varijſque rebus & ſignificatis comparabant: Alij verò hæreſim ματαιότητα, ideſt, ſtultitiam, & δεισιδαιμονίαν, ideſt, ſuperſtitionem, & δεισιδαίμονα ἄνοιαν, ideſt, ſuperſtitioſam amentiam perhibuerunt, vt Conſtantinus ille Magnus (apud Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant.) in ea epiſtola quam ad omnes hæreticos edidit. Sic Cyprin. epiſt. 3. ineptias, inſaniam, peſtem & profanam peruerſitatem, vt idem ſcribens ad Cornelium Pontificem Romanum, ſed quoniam hæreſis nulla eſt, quæ non cum diuina veritate pugnet, illis etiam vocabulis eam crebro deſignauit, quibus omnia dicta atque facta, diuinam maieſtatem minuentia ſignificantur, quam ſæpè blaſphemiam appellant Iuſtinus, Ireneus, Cyprianus. Quam frequentia ſunt illa verba apud Cypri. ad Iubaianum, ſacrilega, prauitas, ſacrilegi, in hæreſi hæreticiſq; declarandis?

Floruit altero ſeculo Iuſtinus (in dialogo cum Triphone) Apoſtolorum temporibus vicinus, & philoſophiæ doctrina, & martyrij corona illuſtris, an non is hæreticos impios vocat? Floruit eadem ætate Irenęus Epiſcopus Lugdunen. ex Polycarpi diſciplina, non apud eum hæc oratio ſæpè vſurpata eſt, vt hæreticorum ſententiæ & dogmata, impia dicantur & irreligioſa? Vixit tertio ſeculo Dionyſius Alexandrin. & Cyprianus Carthagin. ille apud Euſebium in illis literis, quas de baptiſmate miſit ad

Sixtum

Sixtum Pont. Rom. Sabellij doctrinam impietatis verbo notat: Et in epiſt. ad Dionyſ. Rom. tunc quidem præsbyterum, poſt paulò Pontificem, multos fratres à Nouatiano fuiſſe ſcribit attractos ad impietatem: hic de ſchiſmatibus quibuſdam ſcribens ad plebem vniuerſam, adulterum, impium, ſacrilegum vociferatur eſſe, quicquid humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur: & alijs in locis non rarò hæreticis impietatis nomen imponit.

Alexander ille, qui Arrij furorem pauliſper repreſſit, in ea epiſt. quam ſcripſit ad omnes Epiſcopos ante Synodum Nicenam, Arrianam hæreſim impietatis nomine ſignauit. Euſeb. Cęſarienſ. lib. 3. de vita Conſtant. omnes illas hæreſes vetuſtiſſimas, quas Conſtantinus penitus extinxit, impietatem vocat. Athanaſ. de decret. Nicen. Synodi, Baſilius in Eunomium, Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratian. c. 2. & 9. Hieron. in Eluidium. Auguſt. 2. contra liter. Petill. c. 8. epiſt. 48. & 2. con. epiſ. Parmenia. c. 23. eadē cenſura hæreticos perſtringunt.

Extant huius rei Apoſtolorum teſtimonia clariſſima, vt ſuperuacaneum ſit alia quærere: quid enim S. Ioannes de hæreticis cenſuerit, quos non ſemel antichriſtos compellauit, aut quid S. Petrus & Paulus, quorum alter 1. Pet. 2. impietatem loqui hæreticos, alter verò 2. Timot. 3. adumbratam ſpeciem pietatis habere, virtutem autem eius abnegare, ſcribunt?

Quid verò ad hæc dicent, qui hæreſim impietatem dici non poſſe contendunt, audebuntne tot tantiſque viris, Sanctiſq; Patribus antiquiſsimis contradicere? Si verò conceſſerint, libenter & ipſis concedemus, quòd ipſi volunt, idem ſcil. eſſe impium, & atheum. Euſeb. Nouatianos, Valentinianos, Mar-

tioniſtas, Paulinos, & alios hæreticos, quos Conſtantinus ſuo edicto ſuſtulit, atheos, lib. 3. de vita Conſtant. Ad ſuos autem Cęſarienſes ſcribens, poſt Niceni Concil. decretũ, Arrianam hæreſim atheam vocat, Socrates Schol. 1. hiſtor. eccleſ. Cum quibus Sanctis patribus ego malo eſſe Chriſtianus, quam cum alijs nouis Euangelicis religioſus; non tamen quenquam illorum hæreticum dico, neque dicam, ſed facta comparatione hæreticorum intra ſeſe modernorum & antiquorum, ipſis perſuaſum fiat, quales dicendi ſint.

Moderni iubent perfugas noſtros nuntiũ remittere Pontifici Rom. eiuſque obedientiam abiurare; & hoc habent à Nouatiano, Euſeb. lib. 6. hiſt. eccle. cap. 43. qui oblatione perfecta, cum partem vnicuique daret, ad iuſiurandum miſeros adigebat, nunquam ipſo relicto ad Cornelium, qui tunc Eccleſiæ Rom. præerat, eſſe redituros.

Domus iſtorum, quo ſolent conuenire, percrepant virorum, fęminarum, ſenum, puerorumq; vocibus, noua carmina concinnentium: eadem conſuetudo fuit Apolliniſtarum, Nicephor lib. 11. c. 12 Theodor. lib. 3. hæret. fabul. compend.

Sacrum ex baptiſmo chriſma tollunt, ſuſtulerunt & Nouatiani.

Se genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, populus acquiſitionis eſſe dictitant, nos verò impiorum, idololatratum, hoſtium Dei loco habent, noſtras eccleſias tanquam idolorum templa fugiunt, aliud non faciebant Donatiſtæ. (Epiphan. hæreſi 59. Cypria. lib. 2. epiſt. 8. Theodor. lib. 3. fabul. hæret.) cum orthodoxorum altaria, in quibus ipſi ſæpè operati fuerant, vel frangebant, vel remouebant, vel radebant. Quid aliud Nouatiani, qui ſe

puros

puros & ſanctos; cæteros pollutos & contaminatos eſſe prædicabant. in ædificia religioſa quam in profana, in epiſcopos, ſacerdotes, monachos, quàm in alios ſunt crudeliores. Eccleſias incendunt, inuertunt altaria, ſacra vaſa, & veſtimenta transferunt ad communes vſus. Legite Gregorij Nazianz. orationes, vnam de ſe & Arrianis; alteram ad Neronem Philoſophum præſtantem, legite 6. lib. Optati; legite Africanæ calamitatis hiſtoriam, à Victore conſcriptam. Duobus in generibus hæreticorum Donatiſtis & Arrianis, eadem omnia reperietis, tanto antè deſcripta, vt nunc opus non ſit inſtituere longiorem comparationem inter modernos & antiquos hæreticos.

Verum grauius hoc erit, ſi quæramus, an Chriſtiani dicendi ſint, nec ne? Certe S. Ioannes nunquā antichriſtos dixiſſet, quos Chriſtianos putauiſſet, nec Tertullianus de præſcrip. hæret. qui hæreticis quicquam eſſe negat, cum Chriſtianis; & qui ſint hæretici, Chriſtianos contendit, eos eſſe non poſſe. Non Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. qui conſtanter ſeiungit, ab hæreticis Chriſtianos. Ac de Nouatiano ſcribens, negat Chriſtianum eſſe, qui in eccleſia non eſſet; & quòd ante fuerat, amiſiſſe cōtendit, qui nec fraternam charitatem, nec eccleſiæ vnitatem tenuiſſet. Non Hieronymus in princ. dial. aduerſus Luciferianos, qui eam in partem interdum diſputando fertur, vt inficietur hæreticum vllum eſſe chriſtianum. Non Auguſtinus de vera relig. cap. 5. lib. 16. ciuit. cap. 2. 1. de ſerm. domini in monte, non longè à princ. qui perſpicuè ſcripſit, hæreſes eſſe à regula chriſtianitatis auerſas: ab hæreticis animos decipi nomine Chriſtiano: & dum Chamo medio inter filios Noe, ab vtroque ſe diuidente, & inter vtrumq;

remanente, nec in primitijs Iſraëlitarum, nec in ple nitudine gentium, hæreticorum genus iudicari con tendit, apertè ſegregat hæreticos à Paulo Chriſtiano ex Iſraëlitis, gentibuſque conflato. At ipſi ſe tamen chriſtianos eſſe profitentur.

Audite Proceres fortiſſimi, Iuſtinum in dial. cum
„ Triphon. Chriſtianos ſe ipſi dicunt, non ſecus atque
„ ij, qui in gentibus nomen Dei rebus manu factis tri-
„ buunt, & illicita atque impia ſacra participant. Au-
„ dite Cypria. in lib. de ſimplic. prælat. Sic ſe Chri-
„ ſtiani eſſe profitentur, quomodo & Chriſtum dia-
„ bolus ſæpè mentitur, ipſo Domino præmonente &
„ dicente: Multi venient in nomine meo dicentes,
„ ego ſum Chriſtus, & multos fallent: ſicut ille Chri-
„ ſtus non eſt, quamuis fallat in nomine illius; ita nec
„ Chriſtianus videri poteſt, qui nō permanet in Euan
„ gelij eius & fidei veritate. Audite rurſus eundem.
„ Rapit de ipſa eccleſia homines, & dum ſibi appro-
„ pinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem
„ videntur, alias neſcientibus tenebras, rurſus infun-
„ dit, vt cum Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione
„ eius & lege non ſtantes, chriſtianos ſe vocent; Et am
„ bulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment,
„ blandiente aduerſario, atque fallente, qui ſecūdum
„ Apoſtoli vocem transfigurat ſe, velut angelum lu-
„ cis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſti-
„ tiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute,
„ deſperationem pro obtentu ſpei, perfidiam ſub
„ prætextu fidei, antichriſtum ſub vocabulo Chriſti,
„ vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtili-
„ tate fruſtrentur.

Chriſtiani ne ſint hæretici, miſſum nunc facio.

At dices, baptizati ſunt? Verùm dum Eccleſiam Chriſti, matrem & magiſtram habere nolunt, fidem

quæ

quæ Dei donum eſt, amittunt, opinionem tantum quandam retinentes eorum, quæ credere videntur. Vrges, habent ſcripturas ſacras, & multa cum catholicis ſentiunt. Ita eſt. Sed plura ab eccleſia reijciunt retinenda, & ſcripturas accipiunt ſua interpretatione deprauatas. Vnde S. Thom. 2. 2. q. 5. & q. 10. ar. 5. & q. 11. ar. 1. ponit hæreſim partem infidelitatis eſſe.

Quare fixum ſit illud & ratum, impios omnes illos eſſe, qui aliquo ſcelere violant vel religionem aduerſus Deum, vel aduerſus patriam, & ſanguine iunctos charitatem. Hos inter & hæreticos non eſſe aliud diſcrimen, quam inter virtutem & magnanimitatem, vt cum impij ſint omnes hæretici, multi tamen impij reperiantur, ab hæreſi remoti: idem inter impium & atheum intereſſe; nam cum atheus proprio nomine vocetur is, qui numen diuinum ait eſſe nullum; abutuntur antiqui ſcriptores iam hoc verbo ad impietatem, quamuis in Deum ſignificandam. Ex quo etiam hæreticos aliquando maiores noſtri atheos, tanquam proprio vocabulo nominauerunt. Sed multo latius patet nomen impietatis; quippe quod illos etiam, qui ſceleratè quid dicunt aut faciunt, comprehendat.

Hæc cum ita ſint, nunquid vobis adhuc dubitandum eſt, proceres, à quo ſint ſparſa ſemina religionis nouæ, cuius fruge omnia corrupta ac perdita cernimus, aut quærimus adhuc, vtrum Deus an Diabolus initium attulerit huic nouitati, quæ orbem terræ, infinita cæde funeſtarit, turpitudinem illiberalem in hominum ſermonem induxerit, inſignium hæreticorum veſtigia ſtudioſe perſequatur, omniũ nationum, quarum mentes occupauit, publicos priuatoſq; mores deprauarit? Si hæc leuia putatis, quæ grauiſſima vobis videri debent, vtpote ex ſanctis antiquiſ-

tiquiſſimiſq; patribus recitata. Valeat apud vos hac de re Pauli authoritas, 1. Timot. 4 qui recentes doctrinas eorum, qui ab eccleſia deſciſcunt, doctrinas ait eſſe dæmoniorum, aut ſi ſe iſti ab eccleſia deſciuiſſe nouique quid adferre inficiantur, valeat certe apud vos Lutheri vox & oratio, qui ſe totum hoc quod nouo mundo præbuit, ex infernalibus deſumpſiſſe teſtatur latebris. Vidiſtis hoc, Proceres, & attendiſtis iam paulò ante, quando comparationem inter modernos & veteres hæreticos attulimus, an non ab ipſo Cerbero hæc omnia euocata fuerint.

Clariſſimus Saxoniæ DVX GEORGIVS, cuius in Chriſtianam religionem cõſtantiam omnis æternitas prædicabit, in ea epiſtola, qua blandiſſimis Lutheri literis diuina grauitate reſpondit, teſtificatur, nunquam adulteria tam multa fuiſſe commiſſa, quam poſt illud præclarum Lutherani Euangelij decretũ, licere mulieri quærere, à quo grauida fiat, ſi nequeat à viro. Scribunt alij, poſteaquam in Germania doceri cęptum eſſet, caſtitatem à nemine ſeruari poſſe, adoleſcentes à puellis vltro eſſe petitos. Eraſmus in epiſt. ad pſeudo euangelicos, & ad fratres German. Infer. quam multa egregia facinora narrat eorum, qui euangelico falsò dicerentur: qui illud etiam ſcripſit, quod nunquam ex animo nobis effluere debet, ſe neminem eorum, qui ſe ipſo factus non eſſet longe deterior, aliquando vidiſſe.

Ac ne quis mihi reſpondeat, ab inimicis magis iſta accuſatoriè, quam vere iactari, legite ſi vobis ad vtilitatem permittitur & ad eorum confuſionem Hieron. Menzelium de paſtoribus in Poſtilla Dom. 1. aduent. legite Ioan. Spangenberg. legite Lutherũ ipſum, intelligetis iſtos ipſos nouitatis amatores, nedum iſta ſenſiſſe, ſed etiam ſcripſiſſe.

Vos

Vos nunc Proceres Illuſtres & Generoſos, vos inquam viros grauiſſimos, & ſapientia omniq; genere ſcientiarum clariſſimos appello, veſtram prudentiam requiro & efflagito, iudices vos & diſceptatores habere volo, quid de hæreſi & fide illorum nouorum euangelicorum cogitetis ſentiatis & ſtatuatis, quam hactenus nouam nullo bono principio inchoatam, neque ſignis aut vllis miraculis confirmatam, ſed portentoſis factis, cædibus, & rebellionibus propagatam vidiſtis, nullam veram miniſtrorum vocationem, neque diuinum aliquem ſpiritus diuini inſtinctum habentem, ſed inſaniam, profanamq; peruerſitatem, blaſphemiam, & ſacrilegam prauitatem, omnes veteres ſanctiſſimoſque patres contemnentem, eorum interpretationes, ſacrarum literarum faſtidientem, ſpurios fœtus, ſuppoſititioſq; librorum codices præbentem, ſeſeq; ſacrilegos, hoſtes, & oppugnatores Dei, hoc eſt, impios, perfidos antichriſtos nuncupari. Neque aut Chriſtianorum aut fidelium numero reponi patientem; ſi hæc ſic à me pateſacta, & ex Sanctorum Patrum Diuorumq; Apoſtolorum ſcriptis illuſtrata & confirmata audiſtis, neminem veſtrum tam imprudentem eſſe puto, qui reſiſtere & repugnare audeat contra tam manifeſtam veritatem, quam & oculis veſtris cernitis, & manibus palpatis: Aut amplius populū veſtrum ex eadem coinquinari permittetis? aut publicis priuatiſq; in locis eandem de nouo prædicari aut excudi, aut ſeparatim ab alijs collectis viribus intra vos defendere molimini? res iſthæc veſtro omnium damno grauiſſimoq; cædit præiudicio, neque populus inde erroris pęnas accipiet, ſed vos, proh dolor, timendū eſt, qui iſthæc prohibere, impedire & amouere poteſtis, ne ſerò ſapiatis.

At inquiet aliquis veſtrum, ſic educati, ſic inſtructi, ſic à parentibus noſtris accepimus: non eſt ergo quod maiorum noſtrorum inficiamur ſequi veſtigia, aut religionem noſtram contra inimicos armata manu defendamus, poteſtatemq; habeamus, religionem liberam facere.

Profectò proceres, credite mihi, non eſt hæc veſtra ſententia, non animus, non propoſitum, aliud mihi de veſtrorum maiorum præſtanti ingenio, fide ſincera, religione non ficta perſuaſum eſſe, ſupra demonſtraui. Nec maiores iſti dicendi ſunt veſtri, ex quorum doctrina hanc labem contraxiſtis, quos & ipſa hæc rabies inuaſit, vt Deum ſic colerent, putarentq; hanc eſſe fidem, cuius ſolum vmbram conſpectati ſunt, nec ideo vobis eam retinendam putetis, quod ſic edocti à parentibus, ſed tantò magis eam abijcite, quo parentes veſtros, ex eadem lapſos intelligitis. Lapſos verò eſſe, ex ſupradictis vobis compertum eſto: neque pudori id adſcribendum eſt, aut leuitati, à parentum quandoq; deuiare vijs; ſi illos à verò aberraſſe certò comperimus, quin magis virtuti excelſoq; animo veſtro ideſt conuenientiſſimum, nec acerbum hoc vos proceres exiſtimabitis, ſi diligenter & accuratè perpenderitis: „ Nulla „ remedia tãtum dolorem adferre vulneribus, quam „ quæ verè ſunt ſalutaria. An verò à patrijs legibus diſcedere vos acerbum eſſe abnegatis? minimè gentium, tanto verò remedia oportuna magiſq; ſalutaria vulneribus veſtris apponuntur, quanto à charioribus vobis inflicta deprehẽditis. Vere ergo hoc remedium veſtrum eſt, maximeq; ſalutare, ad priſtinam reuerti fidem, & antiquam maiorum veſtrorum religionem.

Quod verò poteſtatem habeatis religionem li-

berám

beram facere, non mei hoc eſt iudicij diſquirere: auſim tamen dicere, nunquam eiuſmodi cogitationem mentibus veſtris inſediſſe, quamuis ex vulgo paſſim talia ferantur: religionem enim liberam facere, cum ſit eccleſiaſtici iudicis, & ſupremi hierarchæ eccleſiæ viſibilis, & hic in terris militantis, nullius ſecularis aut profani hominis officio id competet, quantumuis id conari ſatagat: ſemper tamen veritas victor, victiq; audaces manent.

Aliud verò multo grauius, Proceres, ex hac vulgi perſuaſione ceruicibus veſtris incumbit infortunium, longeq; funeſtius, dum liberam ſibi fieri exoptat religionem, & quoduis libuerit, facere: exinde namque omnem politicam ſuperioritatem excutere, leges aſpernari, principem prodere, vos denique totamq; patriam proſtituere, atque in duriſſimam Turcarum ſeruitutē inducere cogitat. O miſeram conditionem, vanamq; ſpem veſtram: ſiquidem illi hunc finem habent, vt in prouincijs iura, leges, ritus, religionem Ieſu Chriſti, hactenus per vos conſeruatam, impurus Solymannus occupet, vt Baſſæ impuri, atque ſerui illi gentis Othomannicæ, templa ſpolient, aras deijciant, ſepulchra maiorum euertant, liberos ante ora parentum, vxores ante coniugem ſtuprent, violent, bona, fortunas abripiant, nomen ipſum genuſque veſtrum excidant ac deleant: Poſtremò occupatis prouincijs, ſolum Mahometicum conſtituant, in quo regnarunt ac Chriſtum coluerunt, mortuiq; ſunt omnes maiores veſtri. Qui ſi vna voce loquerentur. (Attendite proceres Stirij Carinthij, & Carnioli, attendite inquam attentiſſimiſq; auribus auſcultate) nos (dicerent) Proceres Generoſi, regnauimus olim in Stiria in Carinthia,

& in Carniola; in quibus vos nunc: nec quicquam potuit prouincijs iſtis Turcica vis, non metuimus excurſſiones, non incendia, non deuaſtationes, omnes vno ore vnaque manu ſimul collecti, hoſtem profligauimus pacem prædamq; retulimus, & cum hac ſpe, quod vos ſucceſſores noſtri, idem faceretis; nos in hac terra ſepulti ſumus, hîc aras, hîc tumulos, hîc monumenta virtutis, rerumq; geſtarum condi nobis voluimus, quæ laterent in tutela ac præſidio armorum veſtrorũ: quæ tamen omnia præter ſpem noſtram, ex vulgi proditione commoueri videmus, imò vos ipſos iniquos virtutum noſtrarum, fidei & religionis ęmulatores conſpicimus, voſq; collectos in vnum aliud longè, quàm nos, ſapere videmus, & moliri: Iam hîc aderit Solymannus de nobis mortuis pęnas occiſorum maiorum exacturus; inſultabit crudelis ille, captis arcibus & ciuitatibus veſtris, & nobis ſepultis: Hæc ſpolia, & hos manubios, hæc etiam ipſa triumphorum inſignia, quæ nos de Turcis viui retulimus, & quibus omnia prouinciarum noſtrarum templa atque parictes exornauimus, eripiet, exterminabit, exſcindet, cum oſſibus & cineribus noſtris.

Quod ne accidat, Proceres fortiſſimi & magnanimi, veſtrarum partium erit aduertere & prouidere, imprimiſque curare, quomodo hæc omnia præclara à maioribus veſtris derelicta, quæ in templis, in foro, & in prouincijs videtis, conſeruetis, virtute armis, ac opibus veſtris: ſacras etiam ceremonias, ac religionem catholicam, quam ipſi ſanctiſſimè coluerunt, & vobis tanquam ſucceſſoribus illorum, tradiderunt, omni ratione defendatis, hancq; patriam veſtram, pro qua olim maiores veſtri multũ ſangui-

nem

nem effuderunt, hæc ſepulchra illorum, in quibus nunc quieſcunt, vobis commendata habeatis.

Atque ſi vnquam tempus fuit, Proceres, quo vos de fortunis veſtris, ac de veſtra coniugum, liberorumq; veſtrorum ſalute conſulere oportuit, hoc præſens profecto huiuſmodi eſt, ſi ſalui cum fortunis veſtris eſſe velitis. Iam enim non eſt prouocare Solymannum, aut intra ſeſe ciuilia iurgia diſſidiaq; inteſtina exercere, aut vltrò ſeſe Turco tradere; iam appropinquat mænibus veſtris, ante fores operitur vos: Audiſtis iam ex Vngaria tot ſtrages, tot eruptiones, & deſolationes: vos ipſi adfuiſtis, inſpexiſtis, manibus veſtris auertere Solymannum ſtuduiſtis. Caniſium iam obſeſſum intellexiſtis? quid amplius illi eſt obſtaculo, quod cogitatum facinus aggrediatur, vos intra vos inuicem conſumat? militem veſtrum diſpergat? promptuariaq; veſtra euacuet? Scit facultates veſtras, expertus eſt vires veſtras, ſcit diſcordias ciuiles; audiuit vos diſſentientes cum Principe veſtro, intelligit, quam multum ſibi proſit non ſubditis Principem, non Principi ſubditos coniunctos eſſe domi; Scit denique quod non religio, non ritus, non Deus vobis vnus, idemque omnibus communis eſt. Scit denuntia nobis in Deut. per Moyſen facta, denteſque beſtiarum ob delicta Deum in nos miſſurum: hi canes rabidi immiſſi ſunt in ouile Chriſti, quando iam dudum Chriſtiani Principes arma ex Aſia in mutuam ſuam conuerterunt cædem, ſic nudata Chriſtianis præſidijs Syria, cum Iudæa & Hieroſolymis à Mahometi diſcipulis oppreſſa eſt: Vnde illis gradus imperij eſt factus, ſi tamen Imperium dicendum eſt, quod latrocinio comparatur; Aſiam inquam, inde Pamphiliam, Ciliciam,

Cappadociamq; cęperunt: poſthæc diſſenſione mutua; cum arderet Italia, Byzantium atque omnem Græciam Turca poſſedit. Aegyptum verò dum Galli cum Hiſpanis de Sicilia & de Neapoli contendunt, occupauit. Iam verò Croatiam, Dalmatiam, Vngariam, quis Turcis addixit, niſi noſtræ diſcordiæ?

Verendum profectò vobis eſt, Proceres, dum quiſque ſuis potius, quam communibus rationibus proſpicit, alius verò haud omiſſis diſſenſionibus vnum ſentit, non omniũ vota in vnum incumbunt, non denique omnium labor & meditatio ad communē Reip. Chriſtianæ defenſionē confert, dumq; de religione diſputatur, omnem planè amittatis, atque vna cum illis miſerè ſeruiatis, ſicut Iacob ſeruiuit, cum filijs, Ioſeph vēdito Aegyptijs, ſic regnum amiſit Saul, cum parceret Amelecho Iſraelis hoſti: ſic Iudæa deſpicaciſſimè ſeruit, ſeruietq; ſemper, quod Romano regno perterrita, regnũ Chriſti promouere noluit. Vlciſcitur Deus ſemper neglectam religionem, nec quauis pęna eſt contētus, ſed delet de libro vitæ, & radicem negligentium, ac ſtirpem de terra, cæde, ſupplicio, atque ſeruitute tollit. Contra verò qui iuſtitiæ religioni, pietati, atque vnitati opem ferunt, nunquam deſerit, ſemper illis præſto eſt, ſemper manum illis ſupponit, ne cadant. Pauci Hebræi, quot gentes Chananæas deleuerunt, paruus Dauid, quantum proſtrauit Goliath, Iudit imbellis fœmina, enſe cruento abſtulit Holophernis caput.

Sed video verſari quandam inter vos opinionem, quæ vos in hoſtem penè ruentes animat; fœdus inibimus, cum ipſo Turca, tributum ſoluemus,

ſicque

ſicque in prouincijs cum liberis fortuniſque noſtris tuti & ſecuri erimus. O inanes curas, atque ſteriles cogitationes veſtras. Græciam inteſtinis ægrotam odijs cum caperet, dixit, ſe pacem illi regno offerre, & finem domeſticis diſcordijs impoſuit. Illyriam etiam, cum contra Venetos genti illi auxilia ſubmitteret, nonne vniuerſam occupauit, Vallachiam verò quomodo poſſedit? Vngariam qua fraude & dolo ingreſſus eſt? Recordemini Proceres, maiorum veſtrorum, quos iam ante conſpectum veſtrum reſuſcitatos, coram ſic loquentes auditis, quò ruitis proceres? quomodo adducti fidem Turcicam ſecuti eſtis? aut quid hæ copiæ veſtræ, armorumq; ſtrepitus? Ecquam gentem, quod regnum? quod oppidum? quem denique priuatim & publicè, hoc tyranno ſine exitiali malo, vſum eſſe ſcitis, an dementes putatis fuiſſe nos, quod illius fœdus ſemper cauimus, ſocietatem nunquam appetiuimus, Principi & capiti noſtro adhæſimus, copias armaque noſtra illi obtulimus, pro ipſo, & non contra ipſum pugnauimus? Quid igitur eſt, quod arma conſtruitis, & tam fœdo, immani, & barbaro vos ſubiugare paratis? num mores traxerunt ad illum vos? num officia, num fides? nihil horum. Vt otio ſcilicet conſuleretis veſtro? Itane verò? Nos in bello occubuimus, vt eſſet quod vobis morte noſtra partum ſit pro Principe pugnauimus, vt patriam ab otio Turcarum eriperemus.

Hæc Proceres, ſi maiores veſtri vobiſcum agerent, non tantam reprehenſionis infamiam ſuſtineretis. At cum præſentes non poſſunt, mortui vobis patriam commendant, religionemq; auitam.

Proponite vobis, quæ facies rerum, quæ conditio

tio veſtra futura ſit, ſi Turca victor erit: Infelices veſtras coniuges, ærumnoſos liberos, veſtros contumelias animo iam nunc perpendite, tunc etiam quales Dominos ſitis habituri, cogitate, qui humani generis tales hoſtes ſunt, vt in furorem agantur, hominum occurſu, vultum illorum atque habitum recordamini, quam ferus ſit & barbarus, quam minarum plenus, minax ſemper frons, furioſa facies, truces oculi, os inhumanum, furore, libidine & amentia plenum: huiuſmodi Dominis non ager erit tutus, non victus, non vxor, non liberi; Idem erit vitæ & necis dominus, non lege ſed fuſte, carcere, catena, verberibus, ad omnes vos ſuas conſuefaciet libidines.

At confœderati ſumus cum Solymanno, dicetis? O miſeri Proceres. Siquidem aliter perire non potuiſtis, quam inito fœdere, nec aliter Turca inter vos regnare potuiſſet, niſi prius veſtra illi religio viam aperuiſſet. An vos, Proceres, homini poſt homines natos perfidioſiſſimo, quem non fides, non iuſiurandum, non hominum pudor, non Dei metus, à cogitato facinore prohibuit, huic vos aliud ſuffragari putatis in tyrannide condenda, quam fœdera? quam periuria? quam dolos? quam fraudes? Teſtis eſt Valachia, teſtis eſt Vngaria; Quem Strigonio capto non læſit? quam religionem, quam fidem non violauit, dum Albam Regalem petit? nulla res fuit neque in cęlis neque in terris, per quam tunc, cum hæc caperet, non iuuaret, ſcilicet ſe deditione contentum, ciues pati abire quò vellent, & facere & credere, quod luberet, an hoc ille non iurauit per thronum imperij ſui? At videte quæſo quàm pactis ſteterit: Nam cum ex Strigonio

nio ciues miſeros atque infelices, hac eadem condi-
tione eieciſſet, miſit vltra Danubium, qui fugientes
exciperent totum illum infelicem Comitatum in-
feliciſſimè perdidit; Cum hoc ne vobis fædus ſan-
ctum putabitis, proceres? huius fædere tenebimini?
cum eum in finem vobis fædus polliceatur, vt vo-
bis nihil, ſibi verò omnia licere velit: Is contra vos,
ſpe incautos, atque opinione tutos omnibus occa-
ſionibus vtatur; neque metuit vos ab ipſo læſos, in-
iurias perſecuturos; Dominus enim veſter eſt, ſic-
que omnes conatus veſtros fraude, fædere, atque
periurio eludet, omniaque machinabitur ſub ſpe-
cie fæderis, contra prouincias principis veſtri: Ne-
que ex hoc ſibi ſatisfactum putabit, ſed ne quod ve-
ſtigium gentis, ne quod ſanguinis veſtri, ne quod
Stiriæ, Carinthiæ, aut Carniolæ exiſtat amplius,
ideo pacem vobis promittit, vt hinc ſecurus vadat
quo uelit, & bellum inferat, cui libeat.

Quod ſi in priuatarum rerum uſu pactiones ratæ
non fiunt, niſi apud utramque partem peræquè cu-
ſtodiantur; ita ut ſi quid in pactione ab altero fue-
rit uiolatum, alter pactione non teneatur: Quid tan-
dem ſentire debetis in hac cauſa, qua ſola nititur
imperij ueſtri ſalus? quæ, quantò maior potiorque
eſt, tantò fœdus hoc funeſtum atque exitioſum,
nulla neque religione neque ueritate conſtrictum:
non fœdus, ſed dolos, technas, ac inſidias mahome-
ticas exiſtimare debetis. Quæ omnia latent in hoc
ſpecioſo atque ſancto fœderis nomine, quod uos
uiolare fas non eſt, illi uero fas eſt, quod Mahome-
tus iubet, & lege ſua licet, qui religionem & fidem
laquei uice contra ipſos Chriſtianos exporrigit, ut
uel iſtis inaniſſimis nominibus, illos, ſi ſecus non

poſsit, captos de medio tollat, & quouis malo mactet.

Si igitur hæc Solymannus confitetur, quis tantum periurium, tantum ſcelus, fœdus eſſe audebit affirmare, cum is hoſtis ſit Romani Imperij hoſtis inquam ſanguinis ac nominis Auſtriacorum? An ſic Principem veſtrum in manus Mahometis tradi patiemini, aut prouincias iſtas fœdere iniquo, per Turcarum ingluuiem ſubrui ſinetis? Metuendum vobis ſane eſt, Proceres, ne crimen hoc veſtrum ſit, ſi iſthæc nomini veſtro excelſoque dignitatis gradui affingere permittatis: Hoc namque periurium (quod abſit à vobis) non prouincijs, non Principi veſtro, ſed Deo ipſi ſit, cum is Princeps Dei locum, vicariamque operam in vos exerceat; & principis proditor Dei proditor dicitur, vt eſt 23. quæſt. 5. cap. ſi apud. & 2. quæſt. 7. cap. non poteſt. & Prouerb. cap. 8. Non ergo conſentiatis in hoc peſtiferum & flagitioſum genus, neque errorem veſtrum faciatis. Deus enim non irridetur.

Quid ergo, Tributum Principi veſtro denegabitis? aut iuſtam ſupremi in vos dominij recognitionis facultatem reijcietis? ſanctamve obedientiam recuſabitis? Ipſe protector veſter, ipſe Princeps veſter, ipſe curas & ſolicitudines ſupportat pro vobis: & quia curas ærumnoſas, noctesque vigiles pro vobis ſuffert, iurene diſtrahetis illi tributum? contra id quod eſt in l. bene à Zenone. C. de quadrien. præſcrip. in fi. & eſt text. in Auth. Vt iud. ſine quoque ſuffr. in princ. ad idem text. in Auth. Vt diuinæ iuſſiones in princ. vbi Imp. dixit, ideoque voluntarios labores appetimus, vt ſubiectis quietem præparemus: quia etiam hoſtes repellit ex finibus veſtris,

an opem veſtram ſubtrahetis? hoc eſt communem vtilitatem negligere, & priuatum bonum curare, cum tamen Princeps, vt communi bono conſulat, ſuum proprium negligit, ſeque in apertum campum contra hoſtes effundit, ſolum vt ſubditi ſui vaſallique pace perfruantur, iuxta quod notatur in l. nemo carcerem. circa fin. C. de exact. tribut. lib. 10. quia etiam ſupremum veſtrum caput eſt, cui veſtrum ſubmiſiſtis imperium, nullo modo contra eundem inſultare poteritis, ſiue offenſiuè, ſiue defenſiuè, ſed recognoſcere debetis ſuper vos potentiam & Dei authoritatem, vt not. per Bartol. in l. comperit. C. de præſcrip. 30. ann. non ergo licet ei quicquam detrahere, aut celare tributum: multoque minus dare Mahometo aut Turcarum confæderationi: Ad hoc Chriſtus Ieſus exemplo vobis eſſe poterit, qui licet non tenebatur, tributum tamen perſoluit, ne ſcil. occaſionem daret alijs, ſeſe ſubtrahendi ab huiuſmodi debito, Quod Sanctus Auguſt. ſcribens ad Polent. dicit, & habetur in cap. iam nunc. 28. quæſt. 1. vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Nunquam enim in bonum ceſſit quicquam ijs, quorum contra ſuos legitimos ſuperiores potentia reſtitit. Neque poſito, quod ab eiſdem ſoluendis per Principis beneficium abſoluti, tamen ne imperito populo occaſio fiat, reſiliendi à debita in ſuos Principes, obedientia; nihil tale neque audiri debet inter vos: Cùm & negantes, & ſuadentes negare tributum Principi, incurrant crimen læſæ maieſtatis; committunt enim contra Principis honorem & ſecuritatem; facit ad hoc tex. in extra. qui ſint rebelles. in princ. ibi, contra honorem noſtrum; læditur namque Principis

ſecuritas ex denegatione tributi, quia ſi Princeps tributa non habet à Prouincialibus, ſtipendium militibus, quos pro ſecuritate ſui & ſtatuum tenet, vtique ſoluere non valeret; tributum enim inde dictum eſt, quia ex eo militibus contribuitur, text. eſt in l.ager.§. ſtipendium.ff.de verbor. ſignificatio. & præter, quod contra ius naturæ, ciuile, & diuinum fiat; inſuper per alias leges imperiales prouiſum eſt, contra non ſoluentes tributum, vel temerè abnegantes, vt contra eos & captis pignoribus, & diſtractione eorum proſpici debeat reipub. l.1. & 2. de cap. & diſtr. pig. trib. ca. C.lib. 10. & l.fin. C.ſi prop. pub. penſita. vendit. fuer. celebr. & l.2. de exact. trib. C.lib.10. ne morari Principem oporteat negotia publica, propter non ſoluta tributa, & ſi quis tantæ temeritatis inueniatur, qui perſonam debitricem tributorum, & captam ſubtraxerit, vel exemerit à cuſtodia, ipſe pro eo teneri debet.l.quoties quis.3.de exact.trib. C.lib.10.

Reddite ergo Proceres Illuſtres, Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo; ſic tutiſſimæ erunt prouinciæ, diſtrictus veſtri, tuta erit religio, diuina lex ſincerè & piè conſeruabitur, paterni ritus non profanabuntur, maiorum teſtimonia vbique fidem habebunt, Chriſti & eius Eccleſiæ hoſtes è finibus Chriſtiani orbis expellentur, & vos ipſoſmet expelletis: omnibuſque rebus in priſtinum reſtitutis ſplendorem, eminebit ille optimus reipub. ſtatus, quam Chriſtus in ſua ſancta ciuitate à ſe condita, & ſanctiſſimis legibus munita, diuinitus inſtituit.

Da ergo, bone I E S V, per pietatem illam ego te ſupplex oro, qua pro nobis vitam cum ſanguine fun-

fundere voluiſti, da, inquam, Chriſtianis Regibus & Principibus virtutem & fortitudinem, da ſapientiam, & dexteritatem, vt ſeſe miniſtros & paſtores populorum, iuris patronos, & iuſtitiæ cuſtodes exhibeant, expellant hæreſes, ſcelerum & flagitiorum germina eradicent, & publicæ tranquillitatis, pacis, & vnitatis vincula cuſtodiant. Da, vt qui Regibus & Principibus à conſilijs ſunt, recta, vera, & quæ ſalutaria ſunt, conſulant, mala futura à longe proſpiciant, & recto, prudentique conſilio amoueant. Da pie IESV, qui vnus es cum Patre & Spiritu Sancto Deus æternus, vt vnum ſint Princeps & Proceres, cum repub. & tota Chriſtiana plebe, vt idem omnes intelligant, dicant, ſentiant, & faciant: procul ſit inuidia, diſcordia, ira, ſeditio, & omnis rebellandi materia; perpendantq; ſedulo vna cum pio Principe FERDINANDO, quod barbaræ nationes ad perturbandam Chriſtianam illorum rempub. & vnitatis vinculum diſrumpendum moliantur; dico verò nouos illos concionatores, qui hactenus corde veſtra ſubruerunt falſis & inanibus verbis, vt eos dignos æternis, (niſi reſipiſcant) iudicetis ſupplicijs. Da Domine Ieſu; rurſus te oro per MARIAM ſemper Virginem digniſſimam matrem tuam, vt omnes qui inſigniti ſunt tui ſacri nominis caractere, velut ſymbolo, omnes & ſinguli, priuato omni odio depoſito, & proprijs diſſidijs ſemotis, in communes infeſtiſſimos & teterrimos nominis tui hoſtes, (hæreticos dico & Turcas) arma conuertant, & in hoc vnum, potentiam & omnes vires ſuas intendant; hac maximè tempeſtate, in qua illis tam ampla ſub FERDINANDO Archiduce Auſtriæ occaſio datur, & Chriſtiani nominis,

religioniſque catholicæ & Rom. Imperij dilatandi, atque de tota repub. benè merendi, vt ſic vnum Deum verum, & omnipotentem, cum Patre & Spiritu Sancto ęqualem glorificemus, adoremus, & veneremur: pacemque, & ſalutem nobis omnibus aſpectantibus, Principes noſtros in benedictione habeamus, atque hîc Sanctorum Ciuium conſortes, illinc Dei amici, ac regni cœleſtis participes efficiamur.

LAVS DEO.

Ego Frater Cæſar Lippius à Mordano Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor Patauij publicus Metaphyſicæ profeſſor percurri diligenter totam hanc adhortationem D. Matthæi Scholaſtici & non inueni aliquid, quod fidei catholicæ, bonis moribus & Chriſtianis Principibus aduerſetur: quare cenſeo, quod tutò edi poſſit, habita & maioribus, ad quos ſpectat, licentia.

Imprimatur accedente tamen approbatione R. P. Inquiſitoris. Datum Paduæ die 16. Ianuarij, 1601. Aloyſius B.u linus Vicarius Paduæ.

Frater Magiſter Felix P. Inquiſitor Generalis Patauinus licentiam imprimendi concedit dicta die.



Patauij, Apud Franciſcum Bolzettam 1601.
Ex Typographia Laurentij Paſquati.
Permiſſu Superiorum.

LIBER PRIMVS.

De vero & Chriſtiano Principe, deq; ipſius viſibili hìc in terris, miniſterio.

CAPVT PRIMVM.

Omnem hominis ſocietatem aliquo capite indigere.

COmmune & peruulgatum eſt illud philoſophorũ axioma quod omne agens propter finem agat, & finis ipſe, cum rationem boni habeat, factum eſt, quod omnes à natura bonum appetant, illudq; ad tuendũ propagandumque, certa quadam lege, & ordine ducantur: ipſius vero contrarium quã maximè deteſtentur, Ducis ſui normam, & quod ipſis in natura ſimile eſt amplectendo. Vnde prouidens illa virtus ſingulis quibusq; generibus à ſe creatis, certas naturæ & efficacitatis leges indidit, adeo vt nihil vel in cœlo, vel ſub cœlo, actionis aut paſſionis expers, eorum aliquod otioſum eſſe voluerit, nihilque quod pro ratione & modo virtutis ſibi inſitæ, conditionisque traditæ, ſui non authoris, ſemper viuentis & agentis imitaretur exemplum, vt ita cuncta admirandam Dei bonitatem atque vniuerſi decorem componerent.

Cuius rei ordinem naturæq; inſtinctum ſingularẽ quibuſcunque libuerit, promptum eſt cognoſcere tũ ex ijs, qui de illorum natura ſcripſerunt philoſophi,

tum ex magni Baſilij in Hexameron narratione in qua mirabilem, & pulcherrimo cum ordine, coniunctam diſciplinam haud obſcure oſtendit, prȩſertim in volucribus & pennigeris, quorum alia ſuo principe carent, alia vero ſuis veluti legibus viuunt, alia vero ſub ducibus militant: neque vlli dubium eſt, quomodo grues nocturnas vigilias alternis vicibus ſuſcipiãt, eaque ratione & ordine, vt dum aliæ dormiunt, aliæ illis tutiſſimum in orbem circumeuntes ſomnum præſtant. Neque ibi ſolum, ſed etiam in volatu hanc eandem diſciplinam ab ipſis exactiſſime obſeruari cernes, alia namq; Ducis quandoque munus ſuſcipit, quod certo in volatu temporis ſpatio elapſo, retro tranſiens, ſequenti tradit. Sic de Apibus magis admiratione dignum videtur, quibus commune domicilium eſt, & communis etiam volatus, vnumq; item opus omnibus, & quod maximum eſt, ſub vno Rege ſeu operis præfecto opera capeſcunt, nec prius ad prata conuolant, quam initium prius à Rege factum eſſe vident.

Cum vero ſuperioris ſit finem præſtituere, & ad hunc producentia eligere, multum mihi aberraſſe videntur ij, qui mũdum fortuna vel caſu ferri poſuerũt, qua in re modeſtiſſime vereque viſus eſt Ariſt. primo Metha. ſum: 2. c. 2. antiquos aliquos nomine ſapientum celebres vocaſſe ebrios, cum ſic ſcriptum reliquit, Anaxagoram prȩ illis ſobrium putare, eo quod illi de quibus diſputarent non intellexerunt: caſu .n. & fortuna id accidere dicitur, quod raro contingit, aut cuius cauſa non in illo cui accidit, ſed extrinſecus aduenit, vt ſi fodiens agrum, theſaurum inueniat, aut forum pertranſiens, tegula ex tecto decidens damnũ inferat; illa vero ex certo naturæ inſtinctu iuſtoque ſupremi ducis moderamine fiunt, quȩ ſi temere fierent, neque plerumq;, neque ſemper euenirent, ac proinde

de

de merito fortunæ caſuique adſcribentur.

Quod ſi quid improuiſum atque inſolitum accidit, rariſſimè id exoritur, & ſuas etiam cauſas habet, quæ nobis infima hæc inſpectantibus, & aperta ignotę ſunt, ſed tamen acutioribus intelligentijs perſpectæ, quod D. Thom. 1. p. q. 22. ar. 2. ad ſecundum acutiſſimè concludit inquiens, ad diuinam prouidentiam pertinet, vt permittat aliquos defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum vniuerſi perfectum.

Ex quo manifeſte cōcluditur quod quemadmodū animantibus alijs, ordinis perturbatio exitioſa eſt, alijs vero illius conſeruatio vtilis, ita omnium maximè hominibus pernitioſa ſine ordine ſocietas: ſalutaris autem & proficua principatus alicuius & imperij ordinatio: præſertim quod hominibus non de vulgaribus ſed de grauiſſimis rebus periculum immineat, ſi Principe ſuo, & rectore deſtituantur; quia non ſolum à recta ratione deficiunt, ſed etiam nemine cohibente, à veræ diſciplinæ norma turpiter exorbitare conſueſcunt, finemque perfectiſſimum ideſt æternam fœlicitatem amittunt: finis enim omnium rerum publicarum & gubernationum eſt conſeruatio humanę ſocietatis, eius autem ſocietatis eſt habere vitam, in qua homo poſſit ſine errore, & quiete Deo ſeruire, omnia enim propter hominem creata ſunt, & ad vſum eius, homo vero ipſe propter Deum: ergo connatæ ſunt res ipſæ cum brutis, ſed rationem nobis præcipuam dedit Deus eiusq; nos ſotios eſſe cum immortalibus voluit; alia eſt nanque natura eſſentiæ ſimplicis, alia plãtæ, alia bruti, alia hominis, alia Angeli, alia Dei: ſed quæ bruta faciunt naturali incitatione, ea ſi homines ratione faciunt, nãli iure facere dicuntur. Nec hoc modo recte viuere diceretur homo, ſed ſic, ſi ex hac natu

rali ratione informatus, bene recteque ad fœlicitatem perueniat æternam.

Bene abſq; vitijs viuere hominis quidem opus proprium eſt, ſed propter aliud, nempe ob fœlicitatem conſequendam; ſicut oculi, pedis, manus, & denique vniuſcuiusq; membri opus quoddam & munus eſt, ſed vltra actionem totius vnum aliud opus finale eſt, ſic etiam hominis quoddam debet eſſe munus proprium, propriaque functio, qualis non eſt viuere, nu trire, augere, quia hoc illi commune cum plantis. Neque id eſſe poteſt ſentire, & voluptatibus corporalibus vti, quia id cõmune habet cum brutis; Quare aliud opus ei neceſſarium eſt, quod ex propria ſua natura re liquis animantibus commune non ſit, nempe ex ratione viuere, & quod rõne obtẽperet, hoc verò eſt fœlici tas ęterna, ad quam homo creatus eſt, quemadmodũ Theologi noſtri docent. Vnde Magiſter Sentent. in ſecunda diſt. 1. a. fin. factum eſſe hominem docet rationalẽ creaturam ad laudandum Deum, ad ſeruiendũ ei, & ad fruendum eo. in quibus ipſa creatura proficit, non Deus qui perfectus, & ſumma bonitate plenus, nec augeri, nec minui poteſt, ac proinde quemadmodum factus eſt homo propter Deum vt ei inſer uiat, ita mũdus factus eſt propter hominem. ſ. vt ei ſer uiat, ſicut D. Paulus 1. Corinth. 3. omnia noſtra ſunt ait ſcilicet ſuperiora, & æqualia & inferiora, ſuperiora quidem ad perfruendum, vt Deus, & Sanctiſſima Trinitas, æqualia ad conuiuendum ſcilicet Angeli qui etſi nobis modo ſuperiores ſunt, in futuro tamen erunt æquales, qui & modo noſtri ſunt, quia ad vſum nobis, & inferiora ad commodum & vtilitatem noſtram, vt Dominum noſtrum in eis exerceamus. Huius rei finis tot tantiſque, & tam varijs indiget adminiculis, vt nec ſolius naturæ inclinatio ſufficiat,

nec ipſa quidem ratio poſt lapſum primorum parentum, niſi bene pieque dirigatur, Quare Diuus Paulus commendat precibus Eccleſiaſticis magiſtratus & Principes, vt ſub ipſorum Imperio viuere poſſimus piè & tranquille, non ob ſolam voluptatem, quam ipſa hominum bene ordinata ſocietas ac conſuetudo inuicem adferre ſolet, verum etiam quod mutuis hominum auxilijs indigeat, quod aptiſſimè Baſilius in Reg. fuſius diſp. interrogat 3. adnotauit, dum ait: naturæ humanæ nil eſſe tam peculiare, quam mutuam inter eos communicationem, mutuamque alijs aliorum operæ indigentiam, quod Gregorius Nazianzenus orat. prima ſic confirmat: nec alijs ſolutam inquiens & effrenem licentiam, & confuſionem ordine, ac Principatu conducibiliorem eſſe cenſeo, nec ipſis hominibus, imo etiam tanto minus conducit quod grauioribus in rebus periclitentur, quibus magnum illud atquè amplum eſt, ſi minus id quod rationis primum eſt, ſeruent, hoc eſt, vt nihil peccent: at certe id quod eo poſterius eſt, cum peccant emendari, atq; in viam reduci. proinde eſſe maximè neceſſariam vitæ diſciplinam actionumque noſtrarum directricem, ex eo vel maxime demonſtratur, quod hanc potiſſimum ob cauſam datus ſit ſermo hominibus, vt alij alios edoceant, & moribus imbuant, atque quid iuſti, quid æqui quiduè iniqui, quid boni aut mali rationem habeat, aprime ſuperiorum ſapientum monitis & præceptis rerum ignari conſequantur.

CAPVT SECVNDVM.

Vt humana ſocietas capite ſeu ſuperiore indiget : ita eadem ſine legibus diu ſalua conſiſtere nequit.

CVM ad hominum ſalutem & decorem ipſiuſq; dignitatem conſeruandam neceſſariam fuiſſe ſocietatem liquido appareat, eādem præſtanti alicuius authoritate & poteſtate indigere, qua communi vtilitati proſpiceretur, efficaciter priſci ſapientes colligere videbantur: quî enim fiet vt rudis, & imperita hominum multitudo, qualisq; in omnibus pene rebus publ. reperitur, ſtatum ſuum tueri poſſit, ſi ab omni lege & directione deſeratur? vbi enim non eſt gubernatio, ibi populus corruet, vt Salomon ait prouerb. ij. Nemo autem ita ignorans eſt, quia non proprijs oculis intueatur, quam Deus Opt. Max. miro artificio hanc mundi machinam perfecerit, atque omnibus rebus non idem genus, non eandem vim & poteſtatem ingeſſerit, ſed differentes inter ſe eſſe voluerit, vt hac rerum varietate & diſcrimine, eius ſapientia fieret & illuſtrior, totiusq; vniuerſi ordo perfectior.

Sanè ſic terreſtria omnia, atque ipſum cœlum cæteraq; vniuerſa ita diſponere voluit, & moderari, vt hominum mentes eadem intuerentur, atq; in admirationē inducerentur, animaduertentes quod ideo ſuperiora inſtituerit, vt inde inferiora penderent, ac minora maioribus, & imbecillia robuſtioribus ſic ſuppoſuerit, vt hęc ſeſe in proprium eorumdem commodum, & emolumentum exercerent, ſicque adinuicem colligata perpetuò durarent, firmataque permanerent.

Quod

Quod ſi talis connexio & ſubordinatio in rebus imperfectioribus ſtatuta reperitur, quid mirum ſi in hominum animis, qui cunctis animalibus, rebusquè creatis longè ſuperant, idem, multoque excellentius obſeruetur, vt ſic ſaltem communis illa hominum ſocietas, Iure ſuæ communitatis aliquam habeat poteſtatem, qua regatur, & ſtatum ſuum recte tueri poſſit, ſiquidem (vt dicebat ad Athenienſes Demoſthenes contra Ariſtocratem) vniuerſa vita mottalium ſiue magnam vrbem incolat, ſiue paruam, natura & legibus regitur: at natura confuſa eſt, & inæqualis & à naturali cuiusq; pendet ingenio, leges autem communes & ordinatæ ſunt & eædem vniuerſis.

Hinc eſt quod illud rationis noſtræ Iudicium naturale, quod ab æterna illa lege nobis communicatum eſt, multo perfectiori modo & excellentiori gradu in homine exiſtat, quo non ſolum naturaliter quæ facienda ſibiq; fugienda ſint, cognoſcit, ſed etiam ad inſtar regulæ nobis modum ad finem conſequendum præſcribit, quod minus beatorum illa communis æſtimatio aſſequitur, cum finis rationem omninò ignorent; adeo quidem, quod tametſi nulla tunc temporis apnd Romanos lex ſcripta fuerit, qua regnante Tarquinio cautum fuerit, ne vlli ſtuprum inferret, erat tamen ratio ab ipſa natura profecta, ita ad recte faciendum impellens, vt antequam lex ſcriberetur, eadem vim modũq; legis obtineret: quippe ꝙ lex nõ incępit eſſe, dum ſcripta fuit, ſed tunc cum eſſe incœpit: incœpit autem ſimul cum ipſa mente diuina, quod Ethnicns ille Romanus Orator ſapientiſſimè aſſecutus fuit, dum ait Cicero in orat. pro Milone, eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex nttura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam nõ docti, ſed facti, non inſtituti,

ſed

ſed imbuti ſumus: ſic clarius illud ipſum declarat Diuus Thom. 1.2.q 91.a.1.

Eſt ergo vera lex recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, & ſempiterna, quæ vocat ad offitium iubendo, vetando à fraue deterret.

Ex qua ingenita lege, leges deĩde ſcriptas, quibus hominũ vita colitur, & ab immanitate ad humanitatis offitia traducitur, originem traxiſſe: diuinus ille Plato lib. 1. de leg. nobis aperuit, atque naturæ legem particulam æternę legis eſſe, æternamq; re ipſa, quod diuina prouidentia, veteres Theologi definierunt.

Omnes porrò leges humanas ab ipſa lege ęterna naturalique deſcendere probat D. Tho vbi ſupra, a. 3. & Cicero lib. 2. de Iuuent. quod initium iuris eſt à natura profectum, deinde quædam in conſuetudinem ex vtilitate rationis venerunt, poſtea res à natura profectas, & à conſuetudine probatas legum metus, & religio ſanxit; ad idem facit quod ſcribit S. Auguſtinus libro de vera Relig. c. 31. conditor legum temporaliũ, ſi vir bonus eſt & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum eſt, vt ſecundum eius incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore iubendum vetandumque diſcernat, & alibi ęternam igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere, iudicare non fas eſt: & lib. 1. de Arbit. cap. 5. 6. quod in lege temporali nil eſt iuſtum, ac legitimum, quod nõ ex lege æterna, homines ſibi deriuauerint: quamobrẽ recte ſapientes legem deſcripſerunt, qui eam iuris, & iniuriæ regulam mẽtis & rationis deſignationem, prudentem, & aptam ciuitatis temperationem, qua flagitio & ĩpuritati reſiſtitur, omnesq; reipubl. partes in ſuis quæq; officijs continentur, eſſe dixerunt. Neque minus appoſite Pindarus inquit, legem eſſe omniũ mortalium, & immortalium Regem vt teſtatur Plato, in

Demetr.

Demetr. & Demoſthenes, animam leges eſſe dixit. quod quemadmodum humanum corpus, dum animam continet, vitam ducit, eam vero mox atque efflarit, mortuum cadat neceſſe eſt: non ſecus etiã quæuis opulentiſſima ciuitas, nullis informata legibus corruet, & funditus euertetur, qua de re Cic. 2. de legib. ciuitatis vinculum mentem & animam eſſe docuit, quoniam vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus ac neruis ſanguinem & membris vti non poteſt, vnde nullum imperium, nullamq; Remp. ſine legibus diuturnam ſapientes dixerunt. Arma quidem imperia parant, leges verò parta conſeruant, & ſicut ſine armis magna acquiri nõ poſſunt, ita nequeunt ſine legibus conſeruari. Leges dixit Leo Imperator in nouella xix. ſunt velut oculus in Republ. quemadmodum enim oculus res maxime neceſſaria animali eſt non titubans, ita etiam Reip. legum ęquus & rectus ſtatus; per legem enim fit cognitio peccati Rom. 2. lex enim, vt explicat Clemens Alexand. in 2. ſtromat. peccatum non fecit, ſed oſtendit, cum quæ facienda ſunt, iubet, & quæ non facienda ſunt, vetat; Proinde neceſſe eſt, vt tales leges ferantur, quæ populum errare non permittant, & lapsũ erigant, non enim pœnam meretur, quod lege permittente fit, ait I.C. l. Grachus. C. ad l. Iul. de Adult. Plurimum etiam refert ſcire legislatorem in conſtituendis legibus, vt iuxta cuiuſque Reip. & populi cõditiones leges definiat, vt eæ ad Remp. accommodatæ ſint, non autem Reſpub. ad leges.

Sunt autem conditiones bonæ legis, prima, vt ſecũdum patriæ conſuetudinem, locis temporibusq; ſint conuenientes, c. erit autem lex. 4. diſt. perpera enim lex eſt, quæ à nullo poteſt obſeruari. Secundo, ineſſe debet ſeueritas legibus, & pœna contra trãſgreſſores,

eaq; exaſperanda per leges, vbi delicta frequentiora ſunt, l. aut facta §. pen: & fin: ff. de pœn. l. ſaccularij. de extra ordin: crimin: atque ita legislator ex opinione Socratis, ad duo debet reſpicere in lege facienda, ad regionem. ſ. & ad homines, & ad loca vicina, Ariſt. 2. polit. c. 4.

Sicut autem leges, quando feruntur diligenter conſiderari debent; ſic quando receptæ ſunt, & promulgatę, diligenter cuſtodiendæ ſunt, maximè à ſubditis & iudicibus, & ab ipſis etiam legum latoribus, quantum fieri poteſt inuiolatæ cuſtodiri debent, cum enim lex ſit norma ſeu regula vitæ humanæ, fieri non poteſt, quin ea mutata, etiam hominum mores mutentur; quod ſi aliquis defectus ſit in lege, ex æquo, & bono, à magiſtratibus & Iudicibus erit emendandus. Omnes enim leges cum ſint in æquitate, & moderatione, totæ etiam ſunt ad bene beateq; vitam agendã inuentæ: nec pro vnius vel alterius arbitrio relaxandæ, cum non pro vno ſtatutæ ſint: inſtituuntur enim leges, cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur. c. in iſtis. §. j. 4. diſt. & moribus conſonæ ſunt leges, quando tales, qui emendari deſiderant, eis acquieſcunt, alioqui leges fruſtra erũt, nec iucunda vlla hominum ſocietas erit ſine legibus, quod per diſcurſum patebit.

Vtiliſſimum eſt merces tranſportare, & cum exteris neceſſitudinem & familiaritatem arctiſſimam contrahere, maria nauigare, ſed id totum leges præſtant, quæ pyratas acerbiſſimis ſupplicijs vndiq; proſequuntur. Optimum eſt, & neceſſarium, cõmeatus, profectiones, itineraq; conficere, ſed id leges efficiunt, quę latrones arcent, & graſſatores & inſidiarum pericula longè latèque propellunt. Iucundiſſimum eſt liberè in Ciuitate verſari, ſed hoc faciunt leges, quæ efficiũt

ſummam libertatem: neque enim ſublata libertate leges, neque ſublatis legibus, poteſt eſſe vera libertas. nemini vim facere, nemini iniuriam, nemini inſultari patiuntur. ſunt enim leges muri & fundamenta ciuitatum, in quibus bonos quam diutiſſimè detinent, malos arcent, & ijs appropinquare non ſinunt. In his ſalus bonorum, in his conſilia ciuitatis, in his pacis pręſidia continentur. Quod ſtamus, quod incedimus, quod dormimus, ac denique quod ſecuri vitam agimus, id totum eſt legum defenſione attribuēdum, quæ niſi ſceleratorum hominum libidines & auaritiam cohiberent, non mulieres pudicas, non agros, non domos, non vitam tutam haberemus: Virgines è parentum amplexibus abriperentur: furum, latronum, ſicariorum, parricidarum plena eſſent omnia: bonis viris aut nullus eſſet locus, aut turpiſſimis ſemper afficerentur iniurijs; leges enim ſunt, quæ nos à tantis periculis, tantaque atrocitate, ignominiaq; tuentur, & ſummo nos in otio, atque ſumma tranquillitate cuſtodiunt, fortunas vnicuique ſuas conſeruant, vitam denique, corpus & animam in pace contuentur.

CAPVT TERTIVM.

Ciuitates, & leges ſine magiſtratibus eſſe non poſſe.

ETSI verò tanta ſit legum virtus, vt omnia per ipſas ponderibus examinentur, rationeque metiantur; obliqua ad rectam formam reducātur, & inæqualia ad æqualitatem reuocentur, tamen adeo eſt hominum genus ad pernitioſæ libertatis inſolentiam procax, tamque promptum, vt niſi magiſtratus alicuius

ſeueritate metuque pœnarum abſterreatur, nullius leges ponderis fiant, atque fas ſimulq; nefas miſceantur; ſicque ex licentia deteſtabili, in exitialem licentiam, indeque in extremam pernitiem & corporis & animę interitum, humana reſoluetur vita. quapropter prouide factum eſt, quando natura ſingulis de neceſſarijs vſibus prouidit, quod multo diligentius eadem humano generi, vtpote ad ſimilitudinem Dei effecto, proſpicere voluit, ne ex legum ſanctione, atque promulgatione in peius rueret, occaſionemque mali acciperet, ſed vt indè conſtarent vniuerſæ componerenturq; ſocietates; Magiſtratum ad hominum ſalutem deſignauit, qui vigilanti cura legibus pręeſſet, ne obſoleſcant, neue fraude & violentia malorum morum confringantur. certũ enim eſt, quod nec vlla domus, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus, nec rerum natura omnis, nec mundus ipſe, ſine legib., magiſtratusue authoritate conſtare poſſit. Quod ſapiẽtes, ſi eorum monumenta rimati fuerimus, facile nobis perſuadebunt, quorum primus ſe offert Solon vir ille vnus ex ſeptem ſapientibus, iuxta Plutarc. in Solon. qui ciuitati leges ita neceſſarias eſſe putauit, vt ſi ne magiſtratus authoritate nulla ex ipſis vtilitas percipi poſſit.

Sic Plato optimo iure legibus magiſtratũ præfert, quod leges, niſi magiſtratus adſit, prorſus inutiles Reipub. videantur eſſe, cuius rei rationem adfert Cicero 3. de leg. dum legis & magiſtratus naturam, breui, & dilucida definitione explicat, ita vtriusq; conditionem in quouis illorum accommodat, vt nec legem ſine magiſtratu, neque hunc ſine illa rectè Reipub. conſulere aperte ſignificauerit. ſic enim dicit, legem eſſe mutum magiſtratum, magiſtratum vero eſſe legem loquentem.

Melius

Melius meo iuditio faciet S. Ioannes Chriſoſtomus in enarrat. 3. cap. Eſaiæ, dum ſic proſequitur: Iudices & magiſtratus non minus ſunt vſui moderandis ciuitatibus, atque iiſdem tuendis, quam ſint bellatores, dum enim pacem æquis legibus attemperant, ſæpe numero, & in tempore non defuerunt propulſandæ eruptioni hoſtium. Hoſtes enim cum continuè ſuboriantur à radice peccatorum, non difficile eſt legum cuſtodes, ac eos qui pręſident iuridicundo, omni cũ diligentia plura tollere, ac ſupprimere peccata, quæ occaſionem prębent excitandis bellis. Quare igitur eos Deus à terra reuellit? quod ſi ſuperſtites minus decore ſuo functi ſunt offitio? & idem in pſal. 148. tom. j. magiſtratus Dei miniſter, tibi eſt in bonum, ſi hunc autem ſuſtuleris, vniuerſum interit. Si enim cum nunc ſunt Principes & magiſtratus, multiq; ſunt in eis corrupti, & deprauati, tantus tamen eſt vſus rei, vt etiam cum mali ſint, magna capiatur ex eis vtilitas: cogita apud te ſi ij quibus commiſſi ſunt magiſtratus, rectè gererent, quam benè cum humano genere ageretur. Sed magiſtratus fuit quidem conſtituere Dei opus, quod autem impij ad eos prouehantur, & eis nõ vt decet vtantur, eſt improbitatis hominum, hucuſq; Chriſoſtomus.

Vnde medicinæ ſimilis perhibetur lex, ipſi vero Medico bonus magiſtratus, quod ſicut lex generales circumſtantias habet, quemadmodum ipſa medicina, ſed magiſtratus, vt optimus medicus, attento temperamento ægroti, conuenientia adhibet medicamenta; ac proinde neceſſario opus eſt magiſtratu etiam in optima Rep., vbi claræ, & apertæ bonæq; ſunt leges, vt in Ariſtot. 3. Polit. c. xij. & Iulianus, & alij Iuriſtæ l. neq; leges cum 4. ſeqq. ff. de legib. eò quòd multa cadant ſæpe in conſultationem, quæ neq; legibus

com-

compræhendi poſſunt. Quod ſi defuerit magiſtratus qui non pro temporum opportunitate, quæ expedire videbuntur, diligenter cum æquitate legem ipſam tempori atq; loco accommodet, multa exoriantur mala, ſeditiones, & perturbationes in Rep. neceſſe eſt: adeo enim a ſe inuicem homines moribus disiuncti ſunt, tantaq; eſt rerum humanarum viciſſitudo, tamque rerum omnium inſtabilis conditio, vt plane ſupra humanæ prudentiæ vires ſit, vnam ſemel legem præſcribere, quæ vbique, & in omni tempore hominum ſaluti conducat, ex quo enim lex vniuerſitati conſulit, ſingulis ita proſpicere non poteſt, neque quid temporis ratio, aut regionis conditio exquirat, longe ante præuidere, vnde totum hoc ad magiſtratum ſpectat, qui varios hominum euentus, rerumq; viciſſitudines, temporum locorumque mutationes, prout cuiq; Reipub. quam maximè conſultum eſſe iudicarit, perpendere, & iudicare debet, & quid vel toti communitati, vel ſingulis partibus illius magis conſentaneum ſit, ſtatuere, & ſic Iuriſprudentibus ſemper viſum eſt l. neque leges ff. de leg. cum dicant nullo modo fieri poſſe, quod leges humanæ, quæ circa ſingulares hominum actus verſantur, omnibus mortalibus ſemper exiſtant, accommodatæ, ſemperq; ſalutares, in tanta morum diuerſitate, & nationum, & linguarum varietate, euentuumq; diſſimilitudine; variant quippe loca, functionesq; rerum mutantur l. pretia rerum ad l. falcid. l. fin. §. fin. C. de adminiſt. tutor: ob penuriam, vel fertilitatem, indeque fit, quod Ariſt. vij. polit. in Principe æquitatem quandam exigat, qua ipſe ductus à lege diſcedat, ſi ſaluti Reip. aduerſari videatur, licet enim in ſe iuſtitia immutabilis ſit, nullaue lege aut magiſtratu immutari aut inflecti poſſit, tamen vt ait S. Auguſtini lib. 3. confeſſ. c. 7. ratione temporis, in qua verſatur

tur iuſtitia,& quibus illa pręſidet, quoniam pari paſſu non ambulant, mutatio fieri accidit, tēpore enim sūt, in quibus, quæ quibuſdam hominibus ſalutaria ſunt, alijs viciſſim exitioſa euadunt, & quæ ſunt quibuſdā temporibus vtilia, alijs ſunt pernitioſa. Quamobrem omnino neceſſarium fuit, vt legum Iuditium & directio à magiſtratibus pendeat, ſtabiles enim leges figere, ſolius Dei ſummi & ſemper æterni opus eſt, qui cū mortalium actiones & rerum mutationes, & vitæ humanę neceſſitates multo ante præuidit, omnibus his ſapientiſſime prouidere potuit.

Hanc magiſtratuum neceſſitatem ſacrarum literarum teſtimonia adſtruunt; Nam ideo Gethrus Exod. c. 18. Moyſi conſuluit, vt grauiſſimas tantum cauſas ad ſe deferri iuberet, reliqua vero, & minora ſingulorum negotia alijs inferioribus magiſtratibus, quos pro eiſdem eligere, & conſtituere debuit, demandaret, non tamen quos vis ad id negotium indifferenter permittat, ſed qui ſcirent, poſſent, & vellent munus ſibi iniūctum æque exercere, eos ad publica, vel etiam priuatorum negotia pertractanda aſſumendos eſſe docuit:
„ pro vide (inquit) de omni plebe viros potentes & ti-
„ mentes Deum, in quibus ſit veritas; & qui oderunt
„ auaritiam: Quo loco ſeptuaginta (quos ſequitur Auguſtinus ſuper Exod. qq. q. *69.*) vertunt, qui oderunt ſuperbiam, quod non minus ſuperbia ſit fœtidum vitium (maximè rerum publ. moderatoribus vitandū)
„ & conſtitue ex eis tribunos & centuriones, & quinqua-
„ genarios, & Decanos, qui iudicent populum omni
„ tempore.

Ex hoc veteres legum latores cum intelligerent, quod Principum ditiones in dies ſingulos, magis magisque dilatarentur, præter ſupremum magiſtratum, cui omnium cura ſalusq; commiſſa erat, alios etiam

infe-

inferiores, qui vel prouincias vel ciuitates, & oppida gubernarent, prudenter conſtituendos iudicarunt: & illo quidem tẽpore, priſcis hoc Romanis, optimis rerum pub. æſtimatoribus, dum adhuc Idola colerẽt, ſolo lumine naturali inditum fuiſſe, ab eisque ſanctè obſeruatum reperies: primum enim cum humanæ ſocietates & Reſpub. perexiguæ eſſent, vni Societati, & Reipub. commode præerat princeps vnus: vnde multi Reguli, multi Dynaſtæ leguntur, & hoc quidẽ facili labore accidere potuit, non enim tunc temporis de inuadendis vicinis aut de dilatandis Imperij finibus Principes incumbebant; ſed ſua quiſque ſorte cõtentus viuere volebat: poſteaquam verò negotia innouari cœperunt, & fines imperiaque dilatari, atque ab impuris hominibus innocentes falſis criminibus diuexari; paſſimque iniurijs affici, ſoliciti equidem, & per oportunè, magiſtratuum iudicumq; diuerſam poteſtatem in rempub. inuexerunt, ad hoc vt ſuum vnuſquiſq; teneret: neque tenuiores propter humilitatem à potentioribus opprimerentur: Iuris enim Ciuilis ait Pomponius de iuſt. & iure, in pandectis, ſocietas, in quam plurimis cauſis publica indiget ſolicitudine, cumque vnus aut vel pauci omnibus haud commodè ſufficere poterant, operæpretium fuit, ex poteſtate illa ſuprema, partem aliquam in perſonas quaſdã, quæ eius authoritate poſſent celeriter & oportunè ſingulorum rationibus, cum vtilitate conſulere, ſolicitudinis ſuęq; curæ & cogitationis deriuari: haud aliter, atq; in Eccleſiaſtica Hierarchia, quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus multitudinem, paſtorum Eccleſiaſticorum curæ commiſit, non tamen illos paſtores in illius ſummæ præfecturæ gradu conſtituit, ſed eos tanquam optimates in partem laboris vocauit, à quorũ ſinguli ſingulas Eccleſiaſticæ Reip. partes, tam per ſe,

quam

quam per Diaconos & Presbyteros gubernari voluit, vnum autem, qui manifeſtam Chriſti præſentiam ſuppleret, omnibus alijs præfecit à cuius nutu & authoritate reliqui omnes dependerent; ſic in Rep. politica diuerſos gradus magiſtratuum eſſe voluit, vnum vero Principem & Monarcham, qui reliquis omnibus præcipiat, ad Chriſtianæ Religionis elegantiam, & Reipub. venuſtatem conſtituit, de quo principe eiuſq; miniſterio breui nobis agendum erit, quando quæ ad electionem magiſtratuum, eorumq; curam pertinent, diſcuſſerimus.

CAPVT QVARTVM.

Qualis magiſtratus eſſe debeat, & quæ ſit illorum vocatio.

CVM adeo ſit neceſſariùs magiſtratus in omni humana ſocietate, vt neque leges ſine illo, neque ipſa rerum natura ſalua inconcuſſaq; permanere poſſit, ſicut enim in naui nauclero opus eſt, in bello Duce, in corpore humano anima rationali: ſic in Rep. bono magiſtratu: profecto magna cura diligentiaq; incumbit illis, qui ſummam poteſtatem in ſubditos exercent, vt illis tales magiſtratus præficiant, quales ipſimet eſſe tenentur, alioqui omnis populi culpa in eos, qui tales conſtituunt, redundabit, qualisq; Princeps talis magiſtratus, & qualis Dominus tales plerũque ſerui eſſe ſolent. Quod olim præſtitit præpoſtere Antonius ille Romanus, qui Heliogabali nomen ſtultè accepit, & Scenicos, theatritos, aliosq; artifices ad maximas præfecturas imperij promouit, indignabundusq;, contra Aelium ſuum Alexandrum,

quod alio modo à ſe inſtituto viueret, vnde literatos omnes doctosq; viros ex aula abegit, aliquos morte affecit, alios vero exilio, eoquod exiſtimaret, bonis legibus prudentique virorum conſilio filium ſuun corruptum iri. Quo nihil vel ſtultius, vel abſurdiu filio ſuo atque toti ipſius imperio affingi potuit. Quis enim princeps dignum putaret honore ſuo, ſi quiſpiā culinæ ſuæ ſutorem præficiat? aut carbonario veſtem ſuam albam tractandam committeret? aut ſi filium ſuum ægrotantem, fabro imperito medicinæ curandum traderet? magis ergò ęgrè ferendum erit, ſi Princeps rempub. hominesq; ſibi à Deo commiſſos, imperitis peruerſisque magiſtratibus curandam regendamq; permittat, cum ipſe ſolus eam curandam ſuſcepit, Deoq; ipſe rationem redditurus ſit, de villicatione & gubernatione, cum iuditio ineuitabili.

Punientur ſeueriſſimè, qui Rempub. malè rexerunt, vel incapaces & indigni regnum aliquod adminiſtrandum ſuſceperunt, ſed duplici pœna & ſeuerius Principes condemnabuntur, & quod iſti male geſſerunt, & quod ipſi male conceſſerunt poteſtatē, quemadmodum ipſa experientia docuit: ipſo namq; Anthonio, de quo paulo ante, occiſo, atq; totius imperij ſtatu à filio immutato, plurimum cœpit ſibi congratulari populus, de ſublato fædiſſimo Imperatore, & gaudere de reuocatione ſtatus regni reipublicæq; moderatoribus, vt ſcribit Herodianus lib. 5.

Vt vero rem altius repetamus, ſciendum eſt, in primis, iuxta diuerſitatem rerumpublicarum, ſeu ſocietatum magiſtratus fieri debere, ſicut enim non cuiuis pedi quilibet calceus aptus eſt, ſic nec cuiq; ciuitati talis vel talis magiſtratus: ſtatu ergo populi, morūq; & regiouis conditionibus attentis, facile ſuprema poteſtas, penes quem eſt magiſtratus dare, conijcere poterit,

terit, quibus qualibusque magiſtratibus opus habeat; vnde ex diuerſitate magiſtratuum, diuerſa earumdē functionum nomina orta ſnnt. Sic nomen magiſtratus apud Romanos, erat eorum, qui curam, & iuriſdictionem habebant & poteſtatem in ſibi commiſſos, vel maiorem vel minorem, alij alijs nominibus dicti ſunt, pro nationum more, vt Præpoſiti, Tribuni, Centuriones, Decani, Dij, Iudices, Archondes, Decuriones, in populi gubernatione Principes, Athenis ſaluatores auxiliarijq; & cuſtodes, de quo infra. Vnde etiā factum eſt, quod variè apud varios formę creandorū magiſtratuum legantur, iuxta qualitates, ętates & tēpora, de quibus ex legibus cuiuſq; Reipub. videre eſt, prout iam conſtitutę ſunt, vel etiam poſtea mutari contigit reſpublicas.

Per ſortem alicubi creati ſunt, quod populare videtur Ariſt., dum omnes pares volunt eſſe, & ideo nolunt alterius paris iuditio ſubijci: ſic apud Romanos ſortiti ſunt Iudices, ex equitum ordine, & ſorte à prætore ducti dati, ſi qui vero ſuſpecti ex illis litigātibus habebantur, alij in locū eorum ſubſortiti ſunt. Apud Athenienſes etiam ſortem miſerunt, qui ſenatores aut magiſtratus fieri cupiebant: poſtmodum cuique eorum cui ſors obuenerat ſortiebatur alius, vt ſi prior ille vel mortuus, vel improbatus eſſet, eius ipſe loco, vel in ſenatu legeretur, vel in magiſtratu poneretur, vt ait Suidas.

Apud Venetos magiſtratus ex paribus ſorte eligi hodie, teſtatur nobiliſſimus pariter & Doctiſſimus Cōtarenus, lib. primo de Rep. Venetorum ad finem, vbi modum, & proceſſum mirabili artificio deſcribit: Apud alios per ſuffragia eligebantur, alibi per electionem.

Qui omnes modi aliud nihil indicant, quam ſingu

larem in eligendis magiſtratibus curam ſupremis poteſtatibus eſſe adhibendam, nedum cuiuis (vt hominum genus à natura cupidum eſt) aditus ad honores, ſupremaq; officia pateat, alius vel vi, vel tyrannide, aut fraude doloue, ad alta muneris faſtigia prouehatur, ſicq; rerum publicarum interitus præparetur. Quare quibus ſortium vſus fuit, maximè elaborandũ erat, vt cum libera iudicia eſſe debeant, eorum ſuffragia occultiſſima eſſent: qui vero ex delectu proceſſerunt, cum ex pluribus electio fiat, ne digniori indignus præferatur: qui vero ſuffragati ſunt, eorum ne multitudinis ore vota ſuperentur, ſed meliorum, & probatiſſimortm approbarentur, curandum fuit: neque iuſti rerum iudices mihi videntur illi, qui remp. vel ex ſolis diuitibus, vel ſolis ſeruis, & egenis conſiſtere exiſtimauerunt; primum nanque ſequeretur, vt qui omnium ditiſſimus foret, eodem iure alios omnes gubernare deberet. Sic qui præſtaret nobilitate, eorum gubernator eſſet, qui cum ſint ingenui ad inuicem de honore contenderent, quod repræhenſione dignum putat Plato vt in Ariſt. 2. polit. c. 9. in Athenienſibus, eo quod ex ditiſſimis voluerint creandos eſſe magiſtratus, quaſi impoſſibile eſſet egenum bene magiſtratum gerere, ſic enim iter ad virtutes pręcluditur, liberaque ad artes ingenuas capeſſendas volũtas, quando diuitiæ prætioſiores fiunt virtutibus.

Hi vero qui in nimia indigentia conſtituti ſunt, cũ plerumq; deiectum animum habeant, vileſque exiſtant, non tam ad magiſtratum gerendum, quam ad ſeruiliter parendum nati videntur, proinde non ingenuorum aut liberorum, ſed ſeruorum & dominorum efficietur ſocietas, quorum alijs inuident alij, alios vero alij ſpernunt, quod procul abeſſe debet à bene conſtituta Republica.

Nec

Nec omnino tales qui ęgeſtate laborant excludendas eſſe reor, modo ita tenuium non ſint facultatum, vt publicis honoribus pares ſint, & de ſuo ſibi victum acquirere poſſint, ſintq; alioqui idonei: magis tamē illis abundantes præferri vtile eſt & commodum.

Quo fit, vt præclariſſimi philoſophi, qui de reipub. inſtitutione accuratè ſcripſerunt, temperandam eſſe rempub. cenſeant ex optimatum, & populari ſtatu, eo adhibito temperamento, vt in omnibus incommoda vniuſcuiusq; gubernationis euitentur, commoda vero comparentur, quod omne ſingulare offitiū principis eſt; atque ſupremę poteſtatis argumentum, vt cuius authoritate magiſtratus creantur, eiuſdem etiā imperio & iuriſdictione aliorum bona vel iubendo, vel iudicando promoueantur. Quod enim magiſtratus in alios exercet miniſterium, hoc non ſua facit poteſtate, ſed ex conſenſu, vel expreſſo, vel tacito ipſius Principis, qui vel iubet vel probat expreſſe, vel tacite, ideo & ſæpe, quando maxime reipub. expedire putat, ius illis adimit, vel emendat abuſum, ad quod faciēdum omnes principes & ſuperiores fortiter hortatur, S. Cirillus libr. de recta in Chriſtum fide, vos enim eſtis (loquitur autem ad pientiſſimum Imperatorem Theodoſium) omnium ſupremarum dignitatum fontes, & ſupra omnem eminentiam humanæque fœlicitatis, principium & origo: ita ergo ad principis poteſtatem pertinet magiſtratuum creatio, non ad populi fauorem, vti reſpondet Modeſtinus Iuriſcō ſultus l. prima ad l. Iul. de ambitu. ff.

Vti vero delectus ſeruandus eſt in legendis magiſtratibus, ſic ſummopere ſtudendum, ne indiſcriminatim omnibus id peruium ſit, aut quibuſcunque: Solon enim dum præcepta daret ad inſtitutionē Reipub. Athenienſium, ex nobilium, & locupletuum

numero magiſtratum ſuaſit, neque tunc opificibus ſordidisquè artibus ius erat vllum aſſequendi magiſtratum, Ariſt. 2. pol. c. 9. quemadmodum & legibus approbatum eſt ab Imperatoribus l. nequis C. lib. 12. de dignitatibus, l. ſi cohortalibus, ibid. l. 1. de præpoſit. argentuum in reb. C. ne quis ex vltimis mercatoribus, vel monetarijs abiectisq; officijs, omniq; officiorum fece, aliqua frueretur dignitate: Sic Sacroſanctis prohibitum legimus & ſanctionibus Principum, & Imperatorum comprobatum l. fin. C. de iud. l. 5. & l. iubemus C. de Epiſcopali audientia l. fi. C. de poſtula. l. probatorias. C. de diuerſ. off. lib. ij. & l. 15. C. de Epiſt. aud. ne Iudæus ad munera publica, vel honores admittatur, ne .ſ. ſub prætextu officiorum in Chriſtianos graſſarentur. Simili modo iure cautũ eſt, ne ad honores ciuiles, ne dum magiſtratus dignitatem prouehantur, qui catholici non ſunt.

Hinc Octauius Cæſar, magiſtratus, partim ipſe deſignabat, partim alios populo plebique creandos permittebat.

Quod ſi ſtatus hominum ad magiſtratus dignitatem ſubeundorum attendi debet, prout iam liquet, multo magis eiſdem legibus inhærendo fatendũ erit, ad hoc certam quoq; ætatem annorumque numerũ requiri, tanquam honoribus & muneribus idoneũ, de quo Cicero meminit Philipp. 5. ſicque canendo fatetur poeta ille Ouid. in faſtis.

Iura dabant populo ſenior finitaq; certis
Legibus eſt ætas, vnde petatur honos.

Ad quod facit l. ad rempub. ff. de muner. & honor. & c. indecorum de ætat. & qualit. facit. §. minores, de excuſat. tutor. l. fin. C. de leg. tutel. l. nam quod ad ius, ad Senatus conſult. Trebell. ad leg. Iul. ff. de adult. quæ dicit, ad Remp. adminiſtrandam ante xxv. annũ,

vel

vel ad munera quæ non patrimonij ſunt, vel honores admitti minores, non oportet, Ratio ibi adiungitur ne cum damno reipublicæ gerant: & idipſum vult lex minorum, qui enim ſeipſos tueri cauſaſq; ſuas agere nequeunt, multo minus alios regere poterunt, quod leges tanquam damnoſiſſimum reipublicę iudicarunt. Vnde tituli de tutoribus & curatoribus pręſcripti ſunt; quamuis ita complacente Principe, hęc annorum computatio non ad amuſſim introſpicienda ſit, cum Vlpianus dicat, ſententiam à Prætore, vel conſule minore xx. annis valere, quia Princeps qui magiſtratum dedit, eo caſu diſpenſare videtur, vel omnia geſta ab eo decreuiſſe valere, quod ſingulare eſt, & in fauorem Principis.

Expedit in magiſtratu gerendo, nō tam annorum numerum certaque ætas, & vitæ ſtatus, quam pietas, prudentia, magnanimitas, circumſpectio, & longa rerum experientia. l. quidam conſulebat. §. fin. ff. de re iudicat. l. ſi rogatus §. fin. de manumiſ vind. vnde ad prouincias regendas accedere debere dicunt leges, qui ad honoris inſignia, nō ambitione vel pretio, ſed gratis, probatæ vitæ & amplitudinis præſidis prouinciæ eliguntur teſtimonio, qui grauitate morum excellant, habeantq; peritiam rerumpub. l. ſancimus C. ad l. Iulian. repetund. §. quapropter, nouella 8. & nouella 161. §. nos autem, l. 1. C. de offic. magiſt.

Quod Cæſarum & Imperatorum reſcriptum, ſi paſſim obſeruaretur, non eſſent tot ruinæ gentium, ſubuerſiones prouinciarum, & interitus religionis Chriſtianæ: ſæpe enim accidit, vt idonei, & qui totum vitæ tempus in perdiſcendis bonarum artium ſtudijs contriuerunt, non habeant, cui operam ſuam collocent, ex eo, quod imperiti, & neophiti, officia quælibet quæ poſtulant, non meritis virtutum, ſed

gratia

gratia & fauore, non vitæ morumque grauitate, ſed cognatione & affinitate, non experientia rerum, ſed adulatione conſanguineorum venentur, cum tamen tales ſuſpecti ſint, qui ſeſe officio alicui ingerunt, cuius ſi grauitatem & pondus, quod in eo latet, conſiderarent, non tam illud deſiderarent, quam etiam ſponte oblatum, quantum honeſtè poſſent, detrecta rent, quod olim docuit Ariſt. 7. polit. c. 7. Volentem, & nolentem aſſumendum, ſi dignus ſit, & potius fugientibus regiminis locum eſſe deferendum, quam deſiderantibus.

Plato in Dialogo primo de iuſto inquit, offitium quidem gubernandæ patriæ ſi iuſtum ſit, voluntariũ eſſe debere, tamen quia boni viri, neque ambiunt honorem, & præmia, quæ proponuntur gerentibus, minimè ambitioſi, honores non ſectantes, & tãquam non lucri cupidi, præmia non cupientes, additur mul ta, pro illis compellendis, vt & munus ſit illis ſimul neceſſarium, & voluntarium pro vtilitate Reipub.

Sic in ſacris literis plures, honores & oblata munera refugiſſe ſanctos Dei viros legimus Exod. c. 4. 1. Reg. 10. & S. Auguſt. Ciuit. Dei lib. 9. vt Moyſen, Saul. Hieremiam, ibi vero S. Auguſt. ait, Locus ſuperior etſi adminiſtretur, vt decet, indecenter tamen appetitur, & l. ſi quenq. de Epiſc. & cler. de hoc proui ſum fuit, tam ſancte quidem, quam piè & religiosè, vbi Leo, & Anthemius Cęſares, nec pretio inquiunt, nec precibus ordinetur Antiſtes: tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, ſola etiam ſuffragetur neceſſitas excuſandi, eſt enim indignus ſacerdotio, niſi ordinetur inuitus.

Oportet eſſe magnanimum magiſtratum, qui & pericula pro obeundo munere non refugiat, niſi enim

ait ſapiens Eccleſ. c.7. virtute valeas diſrumpere iniquitates, noli quęrere fieri iudex, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.

Eſt inſuper neceſſaria oratio & ſapientia, qua populum regat, leges ſtabiliat, improbos caſtiget, tueatur bonos, laudet claros viros, hortetur ad decus & reuocet à flagitio, conſoletur afflictos: & vt vno complectar verbo multa, duo præcepta tradit Cicero accurate, & diligēter ex Platone, de off. 1. eſſe obſeruanda, vnum vt ita totum reipub. corpus curent, vt dum vnam partem tuentur, reliquas minimè deſerant, alterum vero, vt ſic in ciuium vtilitatem incumbant, vt ſuorum commodorum penitus obliti; quidquid agant, ad illam condidis & ſinceris animis referant.

Ob id etiam cuſtodis nomen obtinuerunt, cuius proprium eſt omnia circumſpicere, & tanquam ex aliqua ſpecula à longe proſpicere futuros caſus: cuſtodem præterea veridicum, liberalem, temperatum, fortem, manſuetum atque prouidum eſſe oportet, ait Plato in 6. de repub. ſi vitam, inquit, inueneris eorũ qui magiſtratibus profuturi ſunt, ipſis magiſtratibus, meliorem tunc primum optime tibi inſtructa ciuitas elucebit: In ea ſiquidem ſola vere diuites dominabuntur non auri dico, ſed cuius oportet virum beatum diuitem eſſe, vitæ probę atque prudentis: ſin autem inopes bonisq; proprijs vatui ad publica aduentauerint, bona illinc rapere cupientes, ciuitas illa fœlix eſſe non poterit, nam vbi de principatu contendendum, cum proprium hoc ſit & inteſtinum bellũ, tum eos qui ita pugnant, tum reliquam ciuitatem perdit. Quod totum bonus Princeps ſumma dexteritate, & prudentia præcauere debet, & à ſibi commiſſo grege eliminare, de quo iam nobis ſermo eſt inchoandus.

CAPVT QVINTVM.

Vnus ſolum Princeps neceſſariò conſtituitur.

PROPOSITIS iam rebus & perſonis, quæ in repub. ſunt conſiderandæ, reliquum eſt, vt de adminiſtratione eorũ inquiramus, formaq́; adminiſtrationis. Talis autem forma commodari debet, qualis & ipſa conſtituitur, reſpublica, vnum quippe nomen eſt, ſed modi adminiſtrandi ſecũdum diuerſam conſtitutionem, dinerſi ſunt.

Seneca libro de beata vita cap. 3. duas ita reſpubl. animo in vniuerſum complecti iubet, vnam magnã, & verè publicam, qua Dij inquit, atq; homines continentur, in qua non adhunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos ciuitatis noſtræ cum cœlo metimur; alteram cui nos adſcripſit conditio naſcendi, & hanc aut Athenienſium puta dici, aut Carthaginenſium, aut alterius alicuius vrbis, quæ non ad omnes pertineat homines, ſed ad certos. Nobis vero neq; de iſta, neque de illa eſt agendum, ſed vnum ſolum neceſſario conſtitui debere caput ſuper rempub. Chriſtianam, viſibile, & monarchicum, cuius reliqua omnia membra, ab ipſo tanquam à fonte, tam in faciẽdo, quam omittendo accipiant virtutem, & potentiã, dicimus; cuiusq; ſolum ſit, rempub. vel ariſtocraticã vel democraticam, aut illam cum iſta, vel iſtam cum illa, aut ex vtraque ad arbitrium conſtituere: quia vero in præcedentibus omnia quantumuis diuerſa ad vnum finem dirigere inſtituimus, nunc etiam opus eſt, vt illud vnum, ad quod alia omnia tanquam ad

finem

finē colliment, publicè demonſtremus, ea enim quę in multitudinem maximam diffunduntur, ita potiſſimum conſeruantur, ſi vnum ex eorum numero caput, & principium reliquis partibus conſtituatur, nec ex alio credunt Philoſophi, vt Plin. lib. 2. hiſt. natur. c. 5. vniuerſam hanc mundi machinam conſiſtere, ſi naturæ uim & rerum ordinem ſpectemus, quam ex eo, quod licet elementa diuerſa planequè contraria ſint, ita tamen inter ſe connectantur, vt ex mutuo con ſenſu diuerſitatis nexus quidam oriatur. Cum enim eorum altiſſimus ſit ignis, proximus huic eſt ſpiritus vitalis, vtique & in omnem loco diffuſus & toto con ſertus, cuius vis ſuſpenſa cum quarto aquarum elēmento libratur terra interiecta, & leuia quidem ponderibus retinentur, ne rapiantur, grauia vero, ne peſſundentur, ſuſpenduntur, leuibus in ſublime tenden tibus: hinc æquali in diuerſa niſu vi quæquæ ſua cō ſiſtunt conſtricta, mundi ipſius exercito motu, quo ſemper in ſe currente, ima, atque media terra in toto ſtat pendens quidem, & librans, per quæ pendeat, ita vt ipſa ſola immobilis permaneat, volubili rerum vni uerſitate circumdata, & cum ipſa ex omnibus necta tur, eidem omnia innitantur, adeo vt quemadmodum dum omnia naturali hac colligatione conſertè contexteque fiunt, optime conſeruantur, ſi vero hic nexus diſſoluatur, cuncta in interitum ruitura videas: ſic etiam quandiu reſpub. partibus inter ſe connexis, capitique adiunctis ſtat, ſalua conſiſtit, ſi autem à ſe inuicem diſſoluantur, proculdubio de illa actū erit.

Nixus autem & conſtitutiuum aliud nihil eſt, quā Princeps vnns, qui ex æquo, & bono vniuerſa Reip. membra inter ſe cōciliat, præfectosq; & magiſtratus mirabili animorum conuenientia in vnum ſociat, cū alioqui tot diuerſaq; capita diuerſis moribus & con-

ſuetudinibus differentia, in vnum coire non poſſint, niſi vitalem quandam & ſpiritualem vim & ſpiritum omnibus caput impertiat, & ſeparatum ab vniuerſis, ſingulis conſulat, & cūctorum rationibus ſimul prouideat. Alij vero magiſtratus, qui partium, & membrorum vicem & rationem ſubeunt, cuiuſcumq; tādem dignitatis exiſtant, cum capite copulentur, & omnes ad authoritatem maieſtatemque illius defendendam conſpirent, neceſſe eſt: ſolet enim qui ipſum caput relinquunt, reliquis membris non parcere. Vnde & populos, & vniuerſas Reſpub. atq; regna ampliſſima diſſidijs conflagrant.

An ne igitur aliquis iſthæc audiens, & attentè conſiderans, adhuc negabit opus fore vno & vniuerſali directore? nullus ſane. Sed non vna omnium mens eſt, & explicatio de vno Principe conſtituendo, dum alius cum populo, alius cum optimatibus eundē conſtituere præſumit, quod fieri nequit. Nam ſi ſunt plures Principes ſubordinati vni, non eſt ariſtocratia, nā vnius eſt imperium, quia quos voluerimus habere ariſtocratiam ſingulos non habere conſtat, ſupremam poteſtatem, quæ in pluribus tamen optimatibus fuit in ariſtocratia. Vel ſi dicamus illis ſummam poteſtatem eſſe, non erit præcipua monarchia, quæ ſolius ſupremæ poteſtatis eſt in ſibi ſubditos: Rurſus ſi dicamus, ad populum pertinere electionem horum principum, penes populum ſolum erit ſuprema poteſtas, (cuius contrarium inferius c.12 probabimus) & non penes electos, quemadmodum nemo negabit, dictatores, qui ſupremam poteſtatem accipiebant à populo Romano, vicaria populi poteſtate functos, & ideo non monarchiam, aut ariſtocratiam geſſiſſe, is enim qui nomine alieno imperat, quamuis cum commoda poteſtate, tamen in eo quod ab alio dependet, ſu-

premam

premam minimè gerit poteſtatem, neque ariſtocraticam, neque monarchicam, quia illæ non pendent à populo.

Fortius apparebit abſurdum huius opinionis ſi cõtingat fieri electionem in locum Principum minorũ demortuorum, tunc quæremus, à quo illa ſit facienda; ſi à populo, erit pura democratia, & reſidet illa reſpub. in beſtiam, ſicque excludemus monarchicam, quæ velut ſtatua in ſuo throno titulis ſuis ornata, ſine ſpiritu & poteſtate ſedebit, ſimilis leonibus throni Salomonis; Si ab optimatibus: rurſus incidemus in ariſtocratiam. Si vero cum illis adhibendum dicamus ſupremum Principem, tunc is ad numerum optimatum reſtringetur, non maioris poteſtatis. Si vero dicamus ipſum eligi à populo ſimul & optimatibus, tunc, vel id fiet ſine, vel cum conſenſu Principis; ſi ſine iuſſu & ex illorum ſola voluntate, erit monarchia; ſi dicamus iuſſu principis & monarchæ fieri, iam monarchiam ſolam cognoſcere cogimur, cuius nomine & imperio alij creentur Principes, ſeu magiſtratus ſubordinati. Nec intereſt ſi dicas, ipſum ꝑ ſe ſeu per alios id facere, quibus committit, cum idem ſit quod per alios facit, atque quod per ſeipſum faceret, & talem hic ſupremum Principem & Gubernatorem intendimus, cuius, in nullo reſtringatur authoritas vel poteſtas. Cuiuſmodi in populo nulla inuenietur, quippe quod populari multitudine nihil eſt inſipientius aut inſolentius ad res agendas, ſine cõſilio, præceps, ad inſtar fluminis, beſtia multorum capitum, amat eos qui eum decipiunt, perſequitur benefactores, ſine conſilio furit, vt non immeritò Senatus Romanus potius elegerit Tribunum Romanis cõcedere, quam ineffrenam licentiam promittere, quæ omnia conturbat, ſine iugo.

Velle

Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto viuitur vno: quod certe populari adminiſtrationi, cum ſit valde periculoſum, & ad ſeditiones incentiuum, magis multò damnoſum erit, Reipub. in ariſtocratia, quo maiorem quisq; de ſua probitate opinionem conceperit ſupra alios, naturalis etiam eſt ad diſſentiendum facilitas, & quot capita tot ſenſus.

Quod ſi quando exſtiterunt Reſpub. democraticæ, vt non negamus; eas tamen non diu perſtitiſſe certũ eſt, atque quandiu perſtiterunt, non tam conſilio populi, quam virorum prudentum induſtria & ſapientia. Quare conſultum eſt c. Oſius de elect: ne populi iuditium quod corruptum plerunque eſt, quis ſequatur, omnesq; ferme qui de populo ſunt, ita ſe rem habere dicent, ſi verum fateri volunt, obnoxios paſſionibus, & affectibus, odio, iræ, cupiditati & amori temerario. Neque id quod arbitrio populi factum eſt, ipſimet poſtea diu placere poteſt, Quare qui populũ bene regere deſiderat, non quod illi placere poſſit, ſed quod bono viro conuenit, & quod vtile ſit, agere debet, quod docuit lepido exemplo Polycletus, vt refert Aelianus lib. 14. hiſt. variæ, qui eodem tempore duo ſymulachra fecit, alterum ad arbitrium plebis, alterum iuxta peritiæ artisque normam, gratificatus vero hoc modo populo eſt, ad ſingulorum acceſſum tranſpoſuit, & commutauit aliquid, morem gerens vniuscuiusq; voluntati, & narrationi; itaq; poſtea propoſuit vtrumque, & alterum quidem omnes admirationi, & alterum ludibrio, & riſui habuerunt; videns autem Polycletus, & hoc, quod vituperatis inquit & reprehenditis, à veſtra arte profectum eſt: quod vero ſuſpicitis, ego ſum mea facultate fabricatus.

Hanc intemperiem populi immaturamq; ſortem conque-

conqueritur Heraclytus, vt eſt apud Cicer. in 5. Tuſculan: quod Ouidius his verſibus expreſſit. de duro & vltimo ferro.

Protinus irrumpit vitæ peioris in æuum
Omne nefas, frigere pudor, verumq; fidesquè
In quorum ſubière locum fraudesq; doliq;
Inſidięq;, & vis, & amor, ſceleratus habendi

Vnde omnes qui hac de re ſcripſerunt, inter formas regiminis rerum publicarum eam magis eligendam cenſuerunt, quæ vnius eſt, & ſi componenda eſt reſpub., illam quoque præſtãtiorem, in qua primæ partes monarchiæ, reliquæ quæ eidem ſubijciãtur ariſtocratiæ & democratiæ tribuantur.

Plutarch. in lib. de monarch. ſi optio inquit eligendi conceſſa fuerit, non aliud eligat, quam vnius poteſtatem. Ariſt. 8. Ethicorum c. x. horum inquit optima regna peſſima reſpub. eſt.

Plato in primis quidem probauit rempublicã optimatum, ſed omnibus regiam proponit, & vnius, ſi Rex talis reperiretur in ciuitatibus, qualis inter apum examina, ſi corpore & animo alijs excellẽtior, inueniretur: Tyranni execratur, qui leges contemnit, & Iſocrates ad Nicoclem, tanto Monarchiam faciliorem non immeritò iudicauerimus, quanto facilius eſt animum ſuum vuius viri inſtituto accommodare, quam multis, & varijs opinionibus placere conari: & proinde cum plures imperant, facile & moribus & voluntate diſſident. Difficile eſt populo æque placere, & ſatisfacere, ideo ex multorum principatu factiones oriuntur, propter diuerſa iubentium & ob temperantium ſtudia, quod Saluator noſter cõ
„ firmat dicens Matth. 6. Nemo poteſt duobus Domi
„ nis ſeruire, maximè diuerſa & contraria iubentibus.

Inter optimates cum plures ibi virtuti incumbant

in pu-

in publicum, vehementiora etiam priuatim odia concitari ſolent; cum enim Princeps quisq; eſſe optet, & in dicenda ſententia vincere, ad ingentia inter ſe odia accedunt, ex quibus ſeditiones exiſtunt, ex ſeditionibus cædes, & cædibus ad vnius tandem imperiũ deuenitur.

Durum eſt vnius tyranni iugum, at longè grauiſſimum duorum vel plurium, quia populus per ſe bonorum inimicus, nobilitatis & virtutis hoſtis, mobilis, & quod ſemel probat facere, eadem inconſtantia reprobat: ſicque ſatius erit ſub periculo vnius Monarchæ cum metu, ne in tyrannũ degeneret viuere, quã ſub pluribus, qui eodem metu nos poſſunt opprimere. Quod certè damnoſius eſt, ſi quidem non tam facilè ſatiantur tres aut quatuor, aut plures tyranni, quã vnus: & plus eſt obnoxium eſſe plurium prædę, quã vnius. Idemq; fiet, ſi ex pluribus vnum colueris, tũc alius grauius te affliget; ſi vni ſis amicus, alium habebis hoſtem; vel ſaltem perpetuo eris ei ſuſpectus.

Miſera res pluribus Dominis ſeruire, & talibus qui imperare & cogere poſſunt.

Aliud accedit incommodum ex ariſtocratia, cum enim in illa tantum munera, & honores diuidantur, reiectis ijs qui ex populo ſunt, ingens ſibi odium concitabunt eorum, qui quamuis inter optimates, ex diuitijs vel nobilitate generis non computentur: tamen & naturali ingenio, & alijs virtutum donis excellũt, vt ſe contemptos ad munera, quibus ſe alij idoneos dicunt, arbitrentur, quò fit vt populus in eos excitetur, & de ſic imperantibus occidendis ſecretò, aut publicè cogitent; & illi nec ſe populo tuto cõmittere, neque inimicis fidere audent, perpetuo metu, velut Dionyſius ille Syracuſanus docuit, & dicentibus ſe eſſe beatum, demonſtrauit, ſuſpenſo tenui filo è loquea

n caput eius, enſe diſtricto imminente, inter preſſas epulas miniſteriaque regia ceruicibus ſuis initum.

Neque poſſunt eodem remedio vti ariſtocratici, ſi t Monarchæ, qui conſtituunt ſine metu magiſtras, & populares participes fiunt dignitatum, etiam uitis nobilibus: nec refert, propterea monarcham pelli poſſe, quod facilè in tyrannidem, vel quodlit audendi libertatem incidere timendum ſit, illud dem enim in alijs omnibus rebuspubl. accidere poeſt, ex eadem enim natura & elementorum qualiatibus cōſtant optimates, quibus & monarcha, vnde dem illis timendum erit, quod iſtis, neque debet ꝑpterea bonus vſus abrogari propter malum vſum, cū humana temeritas & audacia in vniuerſum, & diuinis & humanis legibus abutatur, omniaque reliqua humani generis vſui deputata abroganda forent, quia hominum improbitas ad ſuæ cupiditatis obſequium eadem intorquet.

Qui ergo aliud, quam quod pluribus placuit, certioresq; habet, veritatis probationes, ſtatuere voluerit, non aliud intendit, quam nouam rebellandi contra ſuperiores occaſionem inuehere, prę ſumptionẽq; quandam ſtultam, cum furore, & vi mixtam conſtituere, quod valde ne dum impium, ſed & diuinæ, & naturali ordinationi contrarium. Deus enim cum primùm Angelos creauit, oportuit tunc ſtatim vnũ Deum cognoſcere, ſicque cum primum hominem fecit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, eidem imperium in omnes creaturas contulit, ſicque deinceps ab eodem Adamo conſtitutum eſt, vt omnia omnibus competentia reſponderent membris offitia. Valdè enim monſtroſum foret, ſi quis ſine capite vellet eſſe, aut niteretur conſtituere, vt membra pro capite

E eſſent,

eſſent, & vt ipſa ſe regerent ſine capite, & communi mente: aut ea lege, vt omnia offitia cuique propria, communiter & promiſcue gererentur. Omnia enim membra corporis in id maxime oportet incumbere, vt diſcretionem inter ſeſe, & varietatem actionũ functionumq; retineant, quod eſt vnius corporis ſingulare inditium, vnitatisq; maximum argumentũ, qua vnitate reliqua omnia in toto corpore conſeruantur. Hæc vero vnitas nullo modo eſſe, aut comparari poterit, niſi vnus cognoſcatur Dominus, à quo cæteris omnibus imperetur: quemadmodum enim pugnantia & contraria ex natura ſua elementa, in vnum non coaleſcerent, niſi præſtantior aliquis eſſet, qui tanquã Dominus ea coniungeret, & cui illa obtemperarent (non enim ſingula ad ſuam naturam reſpectantia, cũ alijs depugnant, ſed eum, qui ea ita coagmentauit, dominum agnoſcentia, concordiam inter ſe fouent, & naturaliter quidem inter ſe contraria, gubernatoris voluntate inter ſe amicitiam conciliantur) ſic & ciues moribus inter ſe diſſimiles, nullo modo coniungerentur, niſi Princeps adeſſet, cui illi obtemperantes, in mutuam amicitiam venirent, quo fit vt tunc ciuitatem aliquam & rempub. ex multis, varijsq; hominibus conſtantem, concordia frui, bono ordine, recta diſciplina, & pietate coli, eosq; qui ibi degunt, tametſi diuerſos inter ſe, animo tamen conſentire, nec in ſe inuicem inſurgere, ſed omnes æqualitate iuris pacem tueri conſpicimus: ſtatim colligimus Principem ibi eſſe, qui huius animorum conſenſus & tranquillitatis author exiſtat, quamuis ille in conſpectum ſe nobis non dederit. Ordo enim principis curam moderationemq; demonſtrat, immodeſtia verò, & licentia ciuium rempub. ſine capite eſſe manifeſtè oſtendit.

Huius

Huius monarchiæ primam originem ipſe Adam in poſteros primus transfudit, ipſe enim ſolus creatus monarcha totius orbis, primaque deinde ab eo naſci turorum cauſa creatus fuit: vti autem Deus hominē fecit, vt ſibi ſoli ſubiectus, dominaretur cæteris mortalibus: ita indidit ei etiam rationem, qua poſſet dominari longè præſtantiorem, tanquam legem viuentem & intimam, vt quia per rationem, Dei capax factus eſt: hoc autem non habuit ex propria virtute, ſed ex poteſtate à Deo conceſſa, qui cum vellet ei imperium concedere, voluit quoque in eo ſignum obediē tiæ & ſeruitutis omnium rerum in eius corpore coniungere: vnde mulier ſibi in adiutorium facta, ne monarchia ſimul cum ipſo vti videretur, ideo ex latere, & non ex capite eius formata fuit, & poſtquam decepta à Dœmone, & ipſa decepit virum, ſicque quodā modo poteſtatem & æqualitatem, quam primo habuit cum viro, amiſit, & ſuppoſita fuit poteſtati viri. Gen. 3. Et quamuis ipſe Adam præuaricatus legem Dei, in pœnam incidit, omniumque creaturarum rebellionem in ſe ſenſit, tamen per Chriſtum & ſecundum Adamum ſibi imperium eius confirmatum eſt, & regeneratis à ſe in Spiritu Sancto: ſicque Dei omnipotentis diſpoſitioni complacitum eſt in Adam, qui pater omnium per propagationem carnis eſſe debebat, fieret etiam pater per gubernationem & inſtructionem, ſicut & deinceps factum eſt, ipſiusq; Adami imperium dilatatum, magis magisq; confirmatum, formata ſibi ex coſta ipſius muliere, dum per ſomniū excitatus à Spiritu Sancto, vaticinabatur hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; perpetuum nexum, & vinculum indiſſolubile inter virum & vxorem futurum pronuntians, quod in Repub. Chriſtiana erga ſuperiorem inferiores recognoſcunt.

Si enim Deus ex vno, vt Paulus ait Act. 17. fecit omne genus hominum, Deus caput vnum, vt ait Chriſoſt. in 1. Cor. hom. 34. omnibus dedit ipſum Adam, cur enim e terra, quemadmodum ille; perfecti non ſumus, nempè vt partus, vt nutricatio, vt ſucceſſio generandi nos inuicem ligarent? ob hanc cauſam nec mulierem ex terra fecit; itaque veluti à capite quodam vno, totum humani generis corpus dependet: & quia iam inde à principio duo parentes, fuiſſe videri poſſunt, vide qui conglutinet, qui in vnum lege connubij cõiunget, & eum ex quo facta eſt, maritum mulieri tradit. Deinde hunc imperare, illam ſubeſſe iuſſit: & poſt pauca, cum dixiſſet Adamum fuiſſe caput omnibus datum, inquit; Deum quia nouerat inter æquales æmulationem eſſe, nõ democratiam, ſed regnum conſtituiſſe, cui ſtatim ab initio Adamũ præfecit; qua ſic durante; generatio ipſius Adæ & Euæ ſubſecuta fuit, aliudque imperium nouum cœptum haberi in filios procreatos, ad eos alendos, conſeruandos, & promouendos, quod eſt amicitiæ naturalis cura, & ſolicitudo in ſuos, non minus quam in ſe ipſum, cum naturaliter parentibus de ſubſtantia corporali filij participent, ſicque ex natura ipſi pareant, ſicut viciſſim ex natura ipſis filijs, parentes proſpiciunt; nulla enim tunc lex quæ liberos ſub patria poteſtate eſſe iuberet, lata fuit; hincq; familiæ ſub patribus familias eſſe cœperunt, & principes ſocietatis humanæ primum dicti ſunt, quibus naturali propagatione, Deique monitu procedentibus, in hunc vsq; diem naturalis principum origo legitima eſſe comprobatur: quãuis aliqui ab hoc naturali ordine, & dominatu deſciuerint, eò quod ſeorſim voluerint ab Adamo imperare, & conſtituere plurium dominatum ſeu ariſtocratiam, vt legitur de Caim, Lamech, & Nembroth,

ilij Noë nō fecerunt, qui poſt diluuiū, poteſtatem
eperunt a patre ſuo, diuiſaque terra in tres partes
is, eam incolauerunt nomine patris ſui, donec ſo-
à patria poteſtate, parenteq; mortuo intra ſeſe
libet terram partiti ſunt, & monarchicè domina-
veluti pater legitimus & naturalis eorum, qui à ſe
ſcenderunt.

Quæ omnia fusè comprobantur in x. cap. Gen. &
vbi naturalis regum principumq; ſucceſſio, eousq;
onſtitit, donec Deus confunderet ſuperbiam eorū,
ædificatione turris Babyloniorum; quod mirum
on eſt: cum enim homo ſit animal ſociale, & ſibi a-
iorum hominum ſocietates elegerit, ſi eaſdem con-
inuare voluit, neceſſe fuit, quod modum aliquem re
gendi, & continendi illos adinueniret, quem dein-
ceps communi hominum vſu atque conſenſu, cum
authoritate eorum hominum, qui huic negotio vaca-
rent, comprobarent.

Diuus Auguſtinus lib. 3. de confeſſ. c. 8. generale pa
ctum ait ſocietatis humanæ, obedire regibus ſuis; ac-
cedit Hermogenianus I. C. relatus in c. quæ contra
mores. diſt. 8. qui præclarè teſtatur ex iure gentium
introducta bella, diſcretas gentes, regna condita, do-
minia diſtincta; & Pompon. l. ex hoc iure. ff. de iuſt.
& iur. Iuris gentium ideſt ex iure, quo gentes ferè o-
mnes vtantur, ait eſſe erga Deum religionem, & vt pa
rentibus & patriæ pareamus. quorum omnium cau-
ſam legitimus princeps ſuſtinet, vt miniſter iuſtitiæ
& æquitatis à Deo probatus cum poteſtate, quæ à
Deo pendet.

Hanc monarchicæ poteſtatis rationem, vel maxi-
mè Deus ipſe inſtituit, dum ſuper populum ſibi pecu
liarem, principem vnum, & non plures delegit, ſolū-
que Moyſen, ipſumque ad Regem Aegypti ablega-

uit,

uit, cumq; deſuper poteſtate ſufficienti communiuit, in tantum, quod nec ipſi Moyſi legationem hanc detrectanti, & ſe ob linguæ obſtaculum excuſare volenti, alium ceu comprincipem eadem poteſtate pollentem Deus ſibi concedere noluit, imo iratus Dominus in Moyſen, quòd tanquam non idoneus ſolus recuſaret hoc munus à Deo, exod. 4. ideo fratrem ſuum Aaronem, non tanquam comprincipem, ſed tanquam miniſtrum & executorem, & interpretem ſuæ legationis addidit: „ Aaron frater tuus ſcio quod eloquens „ ſit, ecce ipſe egredietur in occurſum tuū, videnſque „ te lætabitur: loquere ad eum, & pone verba mea in „ ore eius, & ego ero in ore tuo, & tu in ore illius, & o- „ ſtendam vobis quid agere debeatis, & ipſe loquetur „ pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in „ his, quæ ad Deum pertinent.

Exemplum clariſſimum huius vnius principatus eſt illud Num. ij. cum Moiſes propter populi peruicaciam diceret, ſe non poſſe ferre eum populum; tūc Dominus iuſſit ei, vt eligeret ſeptuaginta uiros de ſenioribus Iſrael, & quos ipſe noſſet eſſe ſenes & magiſtros æquos, quod eſt valde notabile, & Dominus (in- „ quit) deduces ad hoſtiam tabernaculi fœderis, facieſ- „ que ſtare tecum vt deſcendam, & loquar tibi, & auſe- „ ram de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecū „ onus populi, & tu non ſolus graueris. Ex quo patet, illos ſolum ibi per Moyſen electos fuiſſe, ad præceptū Dei, non vt alijs præſint abſolutè & imperent, ſed vt coadiuuent Moyſen. Non ſecus in Chriſti repub. dicitur Hierarcha ſupremus, alios in partem ſolicitudinis cooptare, reſeruata ſibi plena in omnes alios poteſtate, quemadmodum princeps ſecularis, alios ſibi magiſtratus, non ea qua ipſe præeſt poteſtate, ſed limitata, conſtituit, alioſq; prefectos efficit in partem

cura-

curarum & inferiorum iuditiorum. Quod maximè Reipub.expedire teſtatum erit,ſi veterum perueſtiga uerimus ſcriptorum & hiſtoriarum monumenta.

Lacedæmonij, Romani, & alij populi penes quos plures olim erant dominationes & principatus, tandem vel inuiti ad vnum imperium redire coacti ſunt: Romani nanque licet ita faſces imperij inter conſules diuidebant, tamen eo modo concedebant,vt non ſimul, ſed ex illis alternatim vnius faſces poteſtatis haberet ſolus, alternis ſiquidem menſibus mutabant ſecures duodecim,vno menſe penes eum,poſtea penes alium,inſignia poteſtatis erant, in caſtris vero ſi morabantur ambo conſules,nō imperabant ambo ſimul ſed alternatim per dies; imo quantumuis nomen regium abominabantur tamen poteſtatem ipſam regiā ipſi Romani coacti ſunt, vix nouem annis exactis regibus, mutato nomine regio,in dictaturam reponere temporalem ſeu ſemeſtrem, ob neceſſitatem ſedandæ ſeditionis,& rei gerendæ in populo,cuius Dictatoris tantus erat apud hoſtes terror,vt eius edictum pro numine obſeruatum fuerit,vt ſcribit Linius in 6.&eo creato ſtatim à mœnibus diſceſſerunt inimici.

Iuſtinus in Trogo lib.41.ad finem ſcribit, quod Eucratides Bactrianorum Imperator, poſt bella magna virtute confecta quibus attritus,cum obſidionem Demetrij Regis Indorum pateretur cum 300. millibus, 60. millia hoſtium, aſſiduis eruptionibus vicit, quinto itaq; menſe liberatus, Indiam in poteſtatem redegit, vnde cum ſe reciperet, à filio, quem ſocium regni fecerat, in itinere interficitur, qui non diſſimulato parricidio,velut hoſtem nō patrem interfeciſſet, per ſanguinem eius currum peregit, & corpus abijci inſepultum iuſſit.

Atrocius facinus refert idem lib.x.de Artaxerxe Re

ge

ge Perſarum, qui vti Plutarchus narrat, ex centum pellicibus, quindecim filios ſuſtulit, quorum tres tantũ ex iuſto matrimonio fuere. Darius, Ariaretes, & Ochus: ex his Darium contra Perſarũ morẽ, apud quos Rex nõ niſi morte mutatur, ꝑ indulgẽtiã pater viuus regem fecit, nihil ſibi ablatum exiſtimans, quod in filium contuliſſet, ſynceriusq; gaudium ex procreatione capturum, ſi inſignia maieſtatis ſuæ viuus in filio conſpexiſſet. Sed Darius poſt noua paternæ pietatis exempla interficiendi patris, conſilium cœpit, tantoque ſceleratius, quanto plures fratres in ſocietatem facinoris fecit, parricidas, & tanti ſceleris authores deprehenſi, cum ſocijs pœnas Parricidij, dijs paternæ maieſtatis vltoribus dedere: coniuges quoq; omniũ, cum liberis, ne quod veſtigium tanti flagitij extaret, interfectę ſunt: hęreditas regni Ocho tradita, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum cæde, & ſtrage principum replet, ſcilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur, atque ita veluti purificato regno, bellum Armenijs intulit, in quo à Cadomano quodam trucidatus, atque regno is potitus eſt, ne quid regiæ maieſtati ſupereſſet. Sicque totũ Artaxis ex ſanguine eius genus extirpatum eſt. Cadomanus cum Alexandro Magno diu variante fortuna, bellum magna virtute geſſit, poſtremo uictus ab Alexandro, & à cognatis occiſus, vitam pariter cum regno Perſarum finiuit.

De Cambyſe filio Cyri regis Perſarum refert Iuſtinus lib. 1. quod is imperio patris Aegyptum adiecit, ſed offenſus ſuperſtitionibus Aegyptiorum Apis, cæterorumq; Deorum ędes dirui vellet, ad Ammonis quoq; ameniſſimùm templum expugnandum exercitum mittit, qui tempeſtatibus, & arenarũ molibus oppreſſus interijt: poſthæc per quietem vidit fratrẽ

ſuum Mergidem regnaturum, quo ſomno exteritus, non dubitauit poſt ſacrilegia, etiam Parricidium facere; erat enim difficile, vt parceret ſuis, qui contemptu religionis graſſatus etiam contra Deos fuerat; adhoc tam crudele miniſterium, magum quendam ex amicis delegit, nomine Comarim, interim ipſe gladio ſua ſponte euaginato, in femore grauiter vulneratus, occubuit, penasq; luit, ſui imperati parricidij & ſacrilegij perpetrati.

Scribit Herodianus lib. 4. cum poſt mortem Seueri Imperatoris, Antoninus Baſſanus cum fratre Geta ſeditiones moueret acerrimas, diuiſerũt inprimis inter ſe regias, ſeparatim, habitantes, & cum non poſſent ad concordiam reuocari, viſum eſt matri & amicis, ipſisq; conſentientibus, imperium inter ſe diuidere, ſed tandem Antoninus imperij totius cupiditate inſtigatus, irrupto fratris cubiculo, nihil tale expectantem, eum ſupra matris pectus, multò inundantem ſanguine ſæuus obtruncauit. Eccè quid peperit multitudo regnare volentium quidue indomita libido? ſatius ergo erit, tutiusq; & ſalubrius, vnius regis principisque dominatu viuere, quam dum multorum regnantium ſæuit cupiditas, hoſtiliter deperire.

Ex quibus omnibus liquido conſtat magnum imminere reipub. exitium, dum ex multitudine regimẽ conſtituitur, quorum omnes ſibi, ſiue per fas ſiue per nefas aditum comparant, nec alium ſibi præferri exiſtimant, ex eo quod æquales ſint inter ſe, quod ſæpe fit, vt & factum eſt, vt qui cum collega principatus cõuenire, vel nolit, vel non poſſit, argumentum ſumat confugiendi ad populum, ſimulando ſe cauſam populi fouere, cum tamen eiuſdem populi præſidio, aliud nihil, quam cæteros collegas à poteſtate deturbare conetur, hocque ſolum incommodum, tam in populo,

quam optimatibus, efficit dominandi libido.

Sicut vero non omnia omnibus communia ſunt: ſic nec omnibus ad eam dignitatis excellentiam iter patet, propter ſummarum rerum & fortunarum confuſionem. Si enim res ipſas & bona hominum conſideremus, ea paria non erunt, ſed pro conditione vnius cuiusq;, aut maiora, aut minora, ſic etiam hominum ſtatus & mores. Si autem omnibus indifferenter, aut pluribus principandi dominium concedatur, oportet vt etiam omnes naturas, vnius diligentiæ, æqualis virtutis, & roboris, ætatis & generis ſint, itemque facere, vt commertia ceſſent, & ſibi quilibet ſufficiat, ex quibus tãtum abeſt, vt conſtare poſſit reſpub., vt etiam maximè confundatur: homines enim æquales eſſe non poſſunt, neque in dignitate, neque in authoritate, neque potentia; alioqui, & leges diuinæ & humanę inutiles forent, quæ vnicuiq; quod ſuum eſt tribuere docent. Quid vero aut tuum aut meum dicam, ſi omnia æqualia, & communia ſunt? quod certè quam abſurdum ſit, is facilè, qui vel ſolum familiã ſuam conſiderabit, nullo alio quam natura admonitore inueniet, quam illi deſipiant, cum nihil tam bono regimini, quam iſtam ęqualitatem & communionẽ, quam nec ipſi in ſua domo pati poſſunt, repugnare certiſſimum ſit.

CAPVT SEXTVM.
Qualis Princeps eſſe debeat.

QVIA omne bonum ciuium totiusque reipub. Chriſtianæ, ab vno ſummo Principe dependet, nullo labore comperiemus, principem talem eſſe debere, qui maximam cum illo ſummo bo-

no coniunctionem habeat, cum neceſſariò illud per quod ad boni alicuius cōſecutionem impellimur, ab alio bono proueniat, tantoque proximius ei ſit, quanto nos promptius & vehemētius ad bonum illud adipiſcendum concitat, eidemque nos quantum fieri poteſt, ſimiles efficere ſatagit: nemo enim non componit ſe ad illius ſimilitudinem, cuius alios æque ſimiles eſſe cupit; Vnde cum principes maximè decet imitari Deum, ſummeque illi bono vniuerſali, ac perpetuo ſimiles fieri, cuius nos vel imaginem aliquam, quando rem ipſam habere non poſſimus, aſſequi deſiderant, manifeſtum euadit, principem pium & religioſum eſſe debere. Quia vero ſæpenumere euenire ſolet, vt tenue ſymulachrum boni præſentis alicubi eluceſcat, & intime operiatur maximum malum, aut ēt, maxima & plurima bona exigui mali obiecto, & in tegumento operiantur, vel aliquid iucundum nos titillet, nunc ad præſens, poſt aliquod vero tempus, inde acerbiſſima mala nobis accidant, atque ita eludantur miſeri mortales, dum circumuenti inani ſpe boni tēporalis, ciuilisq; commodi, demum corruant in maximas, atque extremas, tum corporis, tum animæ miſerias, opus eſt non mediocri ſapientia, ne ſpectris huiuſmodi ſuperiorum Principum eludamur, malumq; nobis pro bono vendicetur; illud autem maximè bonum eſt, quod maximè Deo nos coniungit, & in alios latiſſimè deriuatur, atque effunditur, illos Deo reconcilians, & quantum datur adſocians, quod eſt religio vera, & fides non ficta, hæc eſt actionum noſtrarum moderatrix, norma virtutum, & ſingulare ipſius diuinitatis exemplar, quod nō ſolum oculis intuemur, ſed intimo penitus amore inflammati, in illud conformamur cogitatis, dictis & factis, primumque ante omnia, nos Deum rectè colere docet, & rectam de di

uinis mentem habere inſtituit quam Triſmegiſtus pietatem & Dei cognitionem appellauit, omnique reipub. vel maximè neceſſariã, adeò quod nulla vnquã extitit, neque regnum aut imperium erit, cuius non fuerit primum hoc religionis fundamentum.

Hinc duodecim tabularum conditores, primũ eandem partem ad religionem ſpectare voluerunt, quod præ alijs omnibus virtutibus hæc vna religio reſpublicas, regna, & imperia inſtituat, firmet, ſartaque tecta conſeruet, eaque vnica ſit, cuius cauſa conditi ſumus, atq; hanc in lucẽ procreati, & propter quam reliqua omnia noſtra ſubijciamus, fore credentes, vt exinde præ alijs gentibus exaltemur, quod ſacra illa teſtantur eloquia Deut. c. 26. Dominum elegiſti hodie, „ vt ſit tibi DEVS, & ambules in vijs eius, & cuſtodias „ ceremonias illius & mandata, atque iudicia, & obe„ dias eius imperio: & Dominus elegit te hodie, vt ſis „ populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias „ omnia præcepta illius, & faciet te excelſiorem cũctis „ gentibus quas creauit in laudem, & gloriam ſuam, vt „ ſis populus Sanctus Domini Dei tui. Ex quibus, nõ alium in finem nos conditos habemus, quam vt in laudem. & gloriam prępotentis Dei ſimus, quę ſane ſumma religio eſt, & vnice à principibus terræ expoſcẽda.

Quibus ſic ſtantibus optimo iure, rectiſſimoq; ordine inferemus, principem qui caput eſt reipub. moderatorq; omnium aliorum magiſtratuum, atque in ſubditos ſuos perpetuus influxus, cuius primum maximæq; neceſſarium fundamentũ cum ſit, viua & Chriſtiana religio, ne ex duplici panno vna veſtis texetur, ne ve cum infideli populus iugum ducat, aut ex bene conſtituta hominum ſocietate monſtrum aliquod generetur, in vna ſancta, vera, chriſtiana, catholica, apoſtolica & Romana religione, aprimè inſtitutum

eſſe oportere. Valde enim indignum foret, ſi dei populus olim ethnicum aliquem regem, vel principem elegiſſet; quamuis nemini dubium ſit, Romanum Imperium longè ante, atque aliorum regna ſub gentilibus principibus & regibus rectum, & gubernatum fuiſſe, ſed qualis tunc populus erat, talis eidem reſpõdebat ptinceps, nunc autem non ſic, nam in Hæbreorum populo obſeruatum legimus, Euſeb. lib. 1. hiſtor. c. 5. Iſidor. lib. 2. de diuin. off. quod reges eorum ſimul in religione, Deique præceptis, cum populo ambulabant, idque iuris tam diuini quam naturæ legibus conforme fuiſſe, Sanctorum Patrum concors eſt ſententia, vt nullus alius ad regni alicuius gubernacula aſſumatur, quam is, qui Chriſto, & nomen, & fidẽ dederi. Cum dixeris inquit, Moyſes, Dei nomine ad
» Iſraelitas, Deut. 17. Conſtituam ſuper me regem,
» ſicut omnes per circuitum nationes, eum conſtitues
» quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fra-
» trum tuorum, non poteris alterius gentis hominem
» regem facere, qui non ſit frater tuus. Cur ſic? fundamentum namque regię dignitatis religio eſt, quam duabus veluti alis contineri docet, S. Cirillus Hieroſolimitanus catecheſi quarta, piorum ſcilicet dogmatum certitudine, & bonis operibus ita vt neque dogmata ſine pijs operibus aliquid valeant, neq; opera absq; pijs dogmatibus Deo grata acceptaque ſint. S. Auguſt. lib. de vera relig. meo quidem iuditio apertius, & luculentius dixit, religionem nobis duo ſignificare, & vt benè de Deo ſentiamus, & vt rectum ei cultum exhibeamus. Ergo neceſſarium eſt, vt princeps recta veraq; de Deo ſentiat, Deumq; cognoſcat, ne rectæ adminiſtrationis ratio ſuccumbat.

Quæ enim ſalus erit populo, quæ pax, qúod ſolatiũ, niſi Principem habeat, qui Deum ſciat, vnum eſ-

ſe, &

ſe, & optimum, maximumque, & ſempiternum, & ſummum omnium rectorem, & ipſum iudicem credat, quem nullus effugere poteſt, nec aliquod latere ſecretum, ſimulatq; improborum regum Vindicem eſſe ſeueriſſimum? Sanè in Tyramnidem facilè degenerabit talis principatus.

Debet etiam adhoc eſſe diuinitatis cultor uerus, Princeps ſacratumq; ceremoniarum, quæ in ſacris legibus conſiſtunt, acerrimus propugnator, alioqui minus conſultum erit principatui ſuo, ſed ſcelere & immanitate omnia complebuntur, vt ait Lactant. Trimianus in lib. de ira c. 8. tantoque fœdius regnabit, quanto minori excuſatione dignus habebitur, ſic à natura enim videtur mentibus hominum inditum, vt religioni multum tribuant, & authoritati diuinæ, & quæ arbitrantur ei coniuncta, eo vinculo in maiori veneratione habeant, omnes ait Cicero 5. orat. in Verrē religione mouentur, & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos ſibi deligunt, & retinendos arbitrantur, neq; credendum eſt, Ethnicos hoc lumine naturali caruiſſe, quamquam enim aberrarint in pluralitate Deorum falſornm, tamen habentes impreſſam in anima imaginem de diuino numine, ſemper manſit apud eos, & reuerentia, & metus.

Optime illud præſenſit primus vrbis conditor, tametſi Deum verum non agnouerit, naturę tamen ductu numen aliquod intelligens, cum ſalutatus fuiſſet Rex, ſacra quædam certis ritibus fieri conſtituit, metuens ne ſacris & religione reſpub. deſtitueretur, aut ijs neglectis, populus prophanus efficeretur: quare primum regij muneris eſſe voluit, ſacra fieri, & ſacrificia, per eumq; geri, quidquid ad placandum Deum pertinet, vt ſcribit Dionyſius Halicarnaſ. in 2.

Mos erat apud priſcos illos reges, quod in electione

princi-

principum eorumdemque in augurationibus, certa quædam inſignia, ſalutationesque & apparatus fierēt, quibus indicaretur regem, & principem creatum eſſe, qui Deorum honores, & populi pacem conſeruaret: eorum vero quæ tunc fiebant, quædam recenſet Herodianus lib. 7. quod populus Romanus ad inthronizandum inſigniendumque Imperatorem, ritibus antiquis & ſalutationibus nouis vſus fuerit: talia inquit loquentem, exercitus omnis cæterumq; vulgus, Imperatorem atq; Auguſtum conſalutauit, tum amictum purpura, reliquoque ornatu atq; apparatu, ibidem ex tempore conquiſito, præcedente etiam igne, in Antiochiæ primum templa, mox ad ſuas ędes deduxerunt. Quam inductionem ad templa duabus de cauſis factam fuiſſe idem dicit, vel quod honores viderentur illis dari diuini, vel quod Imperatores initiarētur ſacris, vt omnia etiam ſacra in ſua diſpoſitione habentes, liberè tractarent.

Dictys Cretenſis lib. 1. de bello Troiano in principio, morem fuiſſe dixit in Græcia, pro inauguratione Principum, quod ad templa ductis, confluenteq; turba benigne ſalutati, atq; ibidem multarum hoſtiarū (more patrio) īmolationē celebrarint: ſic quod ignes præferentur hoc acceptum fuit à Perſis, apud quos in more poſitum fuit, ignem diuinis honoribus honorare, & adorare, & inextinctum conſeruare, regiq; ſuo, quem vt Deum adorabant præferre. Strabo lib. 17. & in Eccleſ. ſtiſt. lib 7. c. 8. ad veritatem illius ignis æterni & indeficientis, cuius ſymbolum habebat ille ignis, qui ardere debebat perpetuo in altari, ex iuſſu Dei, Leuit. 6. quod imitati ſunt quidem populi illi, & ignem apud ſe ſacrum confouere conati ſunt, verum non Deo, ſed idolis hoc ipſum ſe facere profeſſi ſunt: Nos vero qui principibus noſtris eorumq; inaugurationi-

tionibus, ignes chorosque celebramus, non tanquam Dijs id facimus, ſed eò ſolum, vt ipſi diſcant, ſe loco Dei hic in terris vices, atque ipſius imaginem gerere, proque religione tanquam pro focis & aris decertare debere.

In igne duo potiſſimũ adnotauit Baſilius in pſal. 28. & vim vrendi, & uim illuminandi, quorum alterum aliud non deſignat, quam quod ſicut ignis in tenebris viſitur, non quia ignis, neque calor, ſed vt participat quodammodo naturam quinti elementi, ſeu ętheris incorrupti, & ſupremi, nempe Dei, & religionis. ad hunc modum olim præcedebat filios Iſrael in deſerto. Exod. 13. & 24. oſtendens eis viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroque tempore, quæ omnia erant ſymbola noſtrorum principum ſecularium quibus ſic ſemper lex Dei, & ſemita mandatorum ipſius adeſt debent, vt ſecundum ea populum iudicent, præcedantq; illum in columna nubis & ignis, ideſt præluceant bonis operibus in vita & diſciplinæ, quia regis ad exemplum totus orbis componitur, quorũ vtrumq; non rectius expeditur, quam ſi ſyncerus in fide & religione Deiq; cultu exiſtat.

Huius religionis ſynceritatiſque cultus Dei, exemplum eſſe poteſt regius ille Dauid, qui ubi à Deo electus, regnum ſuum auſpicatus eſt, à reſtitutione & inſtauratione cultus diuini, & Dominus Moyſi ait, Deut. 17. „ poſtquam rex ſederit in ſolio regni ſui deſcri„ bet ſibi Deuteronomium legis huius, in volumine, ac„ cipiens exemplar a ſacerdotibus Leuticæ tribus, & „ habebit ſecum, legetq; illud cunctis diebus vitæ ſuæ, „ vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodi„ re verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta „ ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fra-

tres

„ tres ſuos, nec declinet in partem dexteram, vel ſini-
„ ſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & Filij eius ſu-
„ per Iſrael. Cum igitur in maxima laude profitum fue
rit ſemper, principem pium eſſe, & religioſum ac de
Deo rectè & ſyncere ſentire: contra vero nil magis
execrandum, ac Reipub. pernicioſum, quam Princi-
pem in impietatem & ſuperſtitionem deficere, fit ſa-
ne, quod non minus flagitium ſit ſi Reſpub. Chriſtia
na hæretico Principi ſe regendam tradat, quam olim
fuiſſet, ſi Dei populus aliquem ethnicum, & idolola-
tram in regem elegiſſet, non enim eſt maius vinculũ,
ſocietatem hominum politiamq; rectam dirigens,
quam cum eiuſdem ſunt religionis probatæ, quæ vna
eſt, & populus & Princeps. tunc .n. à vera politia aber
„ rare non poſſunt, vt Dauid dicebat Pſal. 118. Lucer
„ na pedibus meis verbum tuum.

Deus etiam remunerat cultores ſuos, quando vni-
uoce populus cum Principe conueniunt in eundem
locum, & eandem Eccleſiam, fit enim tunc quod
„ idem regius ille vaticinatus eſt, Pſal, 101. in conue-
„ niendo populos in vnum, vt ſeruiant Domino: (&) do
„ cebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur,
Pſal. 50. ad quod reges plurimum excitantur ait .n.
„ Pſal. 2. & nunc reges intelligite, erudimini, qui iudi
„ catis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei
„ cum tremore, appræhendite diſciplinã, ne quando
„ iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.

Ad hoc ſingulari ritu ab Ecleſia inſtituto, omnia
perficiuntur, dum vnguntur & conſecrantur Chriſtia
ni Principes, quæ quidem vnctio, vti differt ab vnctio
ne Principum Eccleſiaſticorum & Sacerdotum, ſic
differentem in ſe habet poteſtatis executionem: Prin
ceps nanque temporalis vngitur in humeris, Princeps
vero Eccleſiaſticus in capite. quia Imperium eius fa-

ctum eſt ſuper humerum eius. quemadmodum vnctus eſt ab Elia Rex Aſa ſuper Syriam, & Iehu ſuper Iſrael, ſic Saul, Dauid, & alij 3. Reg. c. 19. 1. Reg. 9. & 10, & 16.

Hæc porrò vnctio licet diuerſa in corporis parte fiat, quia tamen vnctio eſt, æque ad illius myſterium in Eccleſia Dei propagandum, ſerioque perficiendũ, adſtringitur Princeps ſecularis atq; ſacerdos; hoc ſolum diſcrimine, quod huius eſt proprium munus, illius vero in partem adiutorij, quare ſicut nemo dicet Sacerdotem legis nouæ, non graue nefas magnũq; piaculum committere ſi vnctionis ſuæ immemor, eãdem vel mortalis peccati reatu, vel fæda mulierum commixtione, aut alio quo vis Sacrilegio contaminet, ſic non minus iram Dei, in ſe prouocabit Princeps temporalis, ſi muneris debitiq; ſui offitij curam oblitus, diuinitus ſibi in partem ſollicitudinis Eccleſiaſticæ poteſtatem conceſſam, vel conniuentia, vel negligentia ſecum computreſcere ſinat, cum non ſolum ad hoc adſcitus eſt, ſed etiam iure iurando ſeſe ad id faciendum adſtrinxerit. Cuius iuramenti formam hic aſcribere liceat, ut omnes intelligant, quanta ſit dignitas & maieſtas Principum ſecularium, ſi bene & religioſè ſuo ſatisfecerint muneri, religioniſq; catholicæ quam vt per ſe ritè & Sanctè ad finem vitæ tenere, ſic quoque in ſubditis ſuis colere, & obſeruare iurarunt, ſtrenui fuerint propugnatores: ex aduerſo quanta illis ſupplitia, cruciatus & mille tormentorum genera permaneant.

Forma iuramenti habetur in Clem: c: vnico §. porro, de iureiurando; quæ ſequitur & eſt talis.

Ego N. Romanorum annuente Domino futurus Imperator (vel rex vel Princeps) promitto, ſpondeo, & polliceor, atq; iuro coram Deo, & Beato Petro, me

de

de cætero protectorem, procuratorem & deffẽſorem eſſe Summi Pontificis, & huius Sanctæ Romanę Eccleſiæ, in omnibus neceſſitatibus & vtilitatibus ſuis cuſtodiendo, & conſeruando poſseſsiones, honores, et iura eius, quantum diuino ſuffultus adiutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide & hæc Sancta Dei Euangelia. prętereа omnem hæreſim ſciſma & hęreticos quoslibet fautores, & receptatores, & defenſores ipſorum ex terminabo pro poſſe, ac nunquam, cum Saraceno, Pagano, Scyſmatico, ſeu alio quomodo libet communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Eccleſię inimico, uel rebelli ſeu eidem manifeſte ſuſpecto, communicabo &c.

CAPVT SEPTIMVM.

An Princeps poſſit eſſe Hæreticus.

HVIVS quęſtionis ſolutio, facile ex præcedenti capite habebitur, vbi principem terræ pium, & religioſum debere eſſe, neceſſario probauimus, nec enim fieri poteſt, vt vtrunq; contrariorum ſimul & ſemel de eodẽ verificari poſſit, præcipue in ijs quæ nullum contrarium admittunt, vt eſt fides catholica, quæ nullius factionis labe commiſcetur, nulliuſq; alterius amori coniungitur, neque vllis annorum ætatibus cõtrahitur, quoniã tota pulchra eſt, & macula nõ eſt ĩ ea, eſt paradiſus magni opificis, ciuitas magni regis, ſponſa, & ĩmaculata Chriſti virgo caſta, ſoli vni Deo ĩ fide deſpõſata illuſtris & promicãs velut matutinus aer, ac aurora pulchra vt luna, electa vt ſol, vt deſcribit eccleſiã ſanctus Epiphanius lib. 3. contrà hæreſes. Vnde cũ eadem ſit contrariorum diſciplina, ſi verum eſt prin-

cipem catholicæ religionis addictum eſſe debere, fal ſum erit quod hæreſum falſorumq; dogmatum aſſer tor, atque defenſor eſſe queat, dum enim huic. i. hære ſi adhæret, alteri. ſ. fidei catholicæ inimicus efficietur, nec enim Deus arbitrarius eſt, vt nunc pro tempore huic, altero alteri, ſicq; ſimul huic, & illi plene & per fecte conſentire poſſit. in religione enim non datur medium, vel enim quis chriſtianus debet eſſe, vel cõ trarius Chriſto, & religioni, quod ipſa ſaluatoris no-
„ ſtri confirmat aſſertio Lucæ. 11. Qui non colligit me
„ cum diſperget, & qui non eſt mecum contra me eſt, „
neque Chriſtus Deus admittit in veneratione, & cul tu ſuæ maieſtatis ſocium, vel ęqualem, honorem. n. in quit (Eſaiæ 42.) alteri non dabo, & ſcriptum eſt, Mat-
„ thei. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli
„ ſeruies, & ſoli Deo omnis honor & gloria in ſecula ſe
„ culorum amen. prima Timot. i. Ipſa porrò poteſtas
& imperium, quod principes, & reges in prouinciis ſuis exercent, longeq; dominantur, etſi inficias ire non poſſim (cum eadem à ſolo Deo ſit, vt infra c. 13 probabimus) quin plures hoc tempore, præcipuè in Germania, Belgica, Holandia, Haſſia, &c. qui minus religionum fideique regulis, iuxta prędeceſſorum inſtituta obſequentes, ſed omni vento religionumque varietate exagitati, hoc quod principale eſt, & vel ex ſucceſſione, vel populi electione, aut communis patriæ conſuetudine acceſſit, non ſecundum Dei beneplacitum, ſed in illorum pænam & populi caſtigationem abutantur, non tamen credendum eſt, illorum regum directiones, principumq; talium dominationes, ex illa parte qua hæretici ſunt, populisque & nationibus per hæreſum ſeminationes præſunt, iuſta veraque eſſe dominia, eaq; legitimo, vel ſucceſſionis vel electionis, aut patriæ conſuetudinis ordine, mo-

doq; ſibi vendicaſſe, cum prędeceſſorum ſuorum aliud veſtigia redoleant, electioq; Dei nutu facta non ſit, nec patriæ mores olim idem ſenſerũt. leges enim quibus ex conſuetudine recepta, vel ex lege regni, qua proximi ad ſucceſſionem vocantur, intelligendæ ſunt, de perſona habili, ſeu idonea, inhabiles enim pro mortuis ſeu non exiſtentibus haberi conſueuerunt l.i.§.& ſi patronus.ff.de coniungen.cum emanci pato.liberis eius,l. ſi neceſſe §.deportatus.ff.de bonis libert. Vnde ob incapacitatem, ſiue perſonæ indignitatem, ſucceſſionis iure ceſſante, alios idoneos & dignos vocandos eſſe, ipſa ratio boni & regni vtilitas ſuadet, non enim præiudicant alijs ex hoc, quod a fide defecerunt, cum eorum delicta perſonalia ſint, proprioſque authores non tranſgrediantur. Vnde illis excluſis alii recipiendi ſunt, quia regna non ſunt conſtituta, propter reges, ſed potius reges ob regna.

Quod ſi ſubditi neque reipub. vtilitati, conſulere velint, neque quid offitij ſui ratio expoſtulat animad vertere nulla commiſeratione digni ſunt, iuſtoque illis iuditio accidit, quod ab hæretico Princi pe, opprimantur, & regantur, ex quo ſimul & patientes, & facientes dignas pænas luunt.

Deus omnipotens ſic quandoque de inimicis ſuis ſe ſe vlciſcitur, neque ideo tales principes Deo magis probati ſunt, ſed eo ſolum fit, vt manifeſta fiat in illis ſapientia Dei, quæ ex malis (quorũ ipſe cauſa non eſt,) bonum colligit, ex dæmonibus, tortoribus, bellis, & rebellibus, alijsque pęnis ſibi emendatos homines facit: oſtendatq; quantum interſit ſubiici Deo & ſubijci hominibus, ideo permittit Deus, in eos dominari flagella tyrannorum, & principes hæreticos, qui quamuis bonum operentur, & vindictam Dei exerceant in populum, tamen non ea intentione agunt, quod

quod ipſi inde meliores fiant, ſed potius ideo hoc Deus permittit, vt ſuæ cupiditati, & inani religioni ſatisfaciant: neceſſe eſt enim quod ſcandala fiant, væ autem homini illi, per quem ſcandala veniunt Matth. 18. ſic Paulus neceſſe eſt hæreſes eſſe &c.

Hanc diram ſeruitutem principium hæreticorum, olim cominatus fuit Samuel populo Iſraelitico, qui relicto Deo ſuo ſibi fieri regem petiit hæreticũ, primo
„ Reg. 12. mementote (inquit) quomodo Iacob ingreſ
„ ſus eſt in Aegyptum, & clamauerunt patres veſtri ad
„ Dominum, & miſit Dominus Moyſen & Aaron, &
„ eduxit patres veſtros de Aegypto, & collocauit eos
„ in loco hoc, qui obliti ſunt Domini Dei ſui, & tradi-
„ dit eos in manu Siſaræ magiſtri militiæ regis Haſor,
„ & in manu Philiſtinorum, & in manu regis Moab, &
„ pugnauerunt aduerſus eos, ſic Ioſuæ prædicens po-
pulo mala ob ingratitudinẽ erga Deum, ait cap. 24.
„ non poteritis ſeruire Domino, Deus enim Sanctus
„ & fortis æmulator, nec ignoſcet ſceleribus veſtris, at-
„ que peccatis, ſi dimiſeritis Dominum & ſeruieritis
„ Dijs alienis, conuertet ſe, atque affliget vos, atq; ſub
„ uertet, poſt quam vobis præſtiterit bona, & per Eſa-
iam prophetam minatur Dominus c. 13. quod datu-
„ rus ſit eis regem ſceleratum dabo eis regem in furo
re meo: in pœnam vtique populorum dantur reges, qui tunc abſoluta tantum poteſtate vtantur.

Sanctus Auguſtinus contra fauſtum Manic. lib. 22 c. 75. non enim ſemper inquit Princeps populi, & eccleſiæ Iudex, per Dei arbitrium datur ſed vt merita noſtra depoſcunt, ſi mali ſint actus noſtri, & operemur malignum in conſpectu Domini, dantur nobis Principes ſecundum cor noſtrum, & hoc tibi de ſcripturis probabo, audi namq; quid Dominus dixit, fecerunt ſibi regem & non per me, Principem & non per

Conſilium

Conſiliũ meũ. Oſeæ 8. & hoc dictum videtur de Saule illo, quē vtiq; Deus, elegit, & regem fieri iusſit, ſed quia non ſecundum voluntatem Dei, ſed ſecundũ peccantis populi debitum, fuit electus, ideo negat eũ, cum ſua voluntate, & conſilio conſtitutum. tale ergo aliquid intelligamus in Eccleſiis fieri, quod pro meritis populi, aut in uerbo, & opere potens, Deo, tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccleſiæ iudex datur, ſub quo famem, & ſitim populus patiatur; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbũ Dei: nec approbat Deus omnem poteſtatem, malā inquam, ſed permittit, ſic permittit & facit regnare hypocritam ſuper populum, propter proteruitatem eius puniendam vel vindicandam.

Sicut ergo ſingulare donum eſt Dei, habere regem fidei & religionis noſtræ, atque ſecundum Dei voluntatem, ita maximum eſt uindictæ & indignationis argumentum, ſuper populo & prouintiis, conſtitui Regem alienæ fidei, & religionis, tantumque abeſt, quod tales veri principes dicantur, quorum ſingularis antea in Deum, & Religionem Catholicam extitit fides, & induſtria, ipſiuſq; propagandæ ſtudium feruens, vt eorum etiam ſucceſſores, quandoquidem ipſi non in vijs patrum ſuorum antiquorũ perſtiterũt, ſolo titulo principis nudoque nomine contenti eſſe debeant, grauiſſimasque deinde ob immutatam fidē pęnas luant.

Ad quod conuincendum vnicum ſolum ſufficiet exemplum. in Iora, qui fuit filius Ioſaphat regis in Iuda pientiſſimi ſimul, ac fœlicisſimi, ſic enim de Ioſaphat loquitur ſacra ſcriptura, 2. paralip. c. 17. Factæ
„ ſunt ei diuitiæ infinitę, & multa gloria, itaque factus
„ eſt pauor Domini ſupra omnia regna terrarum, quæ

,, erant per gyrum Iudę, nec audebant bellare contra
,, Ioſaphat, ſed & Philiſtæi munera Ioſadhat deferebāt
,, & vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pe-
,, cora arietum ſeptem millia, & hircos totidem. Cre-
,, uit ergo Ioſaphat, & magnificauit in Iuda domos ad
,, inſtar thurrium, vrbesq; muratas & multa opera pa-
,, trauit (& mox) fuit ergo Ioſaphat diues & inclytus
multum. Huic ſucceſſit in regno filius Ioram, qui ob litus patris ſui regnique adminiſtrationis, in fide & religione vera, regnandi cupidus, fratres ſuos occidit, atque ſpreta religione parentum ſuorum coluit idola, ſibiq; titnlo principis confiſus, fornicari fecit Iuda, & habitatores Ieruſalem, idcirco uidentes hæc deſciuerunt ab ipſius obedientia idumei, & alij, qui tributū patri ipſius pendebantur allatæq; ſunt ei literæ ab Elia propheta, ſecundo Paralip. c. 21. in quibus ſcriptū
,, erat: hæc dicit Dominus, Deus Dauid patris ſui, quo
,, niam non ambulaſti in vijs Ioſaphat patris tui, & in
,, Aſa regis Iuda, ſed inceſſiſti per iter regum Iſrael, &
,, fornicari feciſti Iudam & habitatores Ieruſalem, imi
,, tatus fornicationem domus Achab, inſuper & fratres
,, tuos & domum patris tui meliores te occidiſti, ecce
,, Dominus percutiet te, plaga magna cū populo tuo,
,, & filijs & vxoribus tuis, vniuerſaque ſubſtantia tua,
,, tu autem ægrotabis, peſſimo languore vteri tui, do-
,, nec egrediantur vitalia tua per ſingulos dies. Quæ
omnia iuxta continentiam literarum facta ſunt vt legitur in 2. paralippic. 22.

Hæc cum ità ſint, tantaque labes ſit & hoſtis hæreſis, omni cura & ſollicitudine agendum eſt, vt in populo rex, & Princeps fiat, qui prædeceſſorum ſuorumque maiorum exemplis inſiſtens, Deum recte riteque colat, alioſq; idipſum facere conetur.

Compertum eſt etiam ipſam hæreſin eo mod

quo regnum aliquod, Principes inuadere parat, & fũ damenta ueræ religionis deiicire, atq; conuellere, potiſſimum in illis regnis, quæ Chriſtiana, & vera religione ſunt firmata, tantoq; modeſtius id aggreditur, quanto cautius virus ſuum ſub boni ſpecie virtutum que colore venditat; ſic gradibus quibusdam ad perniciem ſuam properauit Iulianus, qui relicta in primis eiurataq; clam fide Catholica, aliquandiù dehinc ſe bonum Chriſtianum ſimulauit, poſtea vero cum plures hinc inde de religione orirentur diſcordiæ, cum plebe ſimul Epiſcopos adhortabatur, vt diſcordiis ciuilibus conſopitis, quiſq; ſuæ, quam vellet vacaret religioni, vt author eſt S. Hieronymus ad Nepotianum, & S. Auguſtinus 2. lib. contra Petil. c. 92. quam impietatem adeo deteſtatus eſt Iouinianus, quod etiam Iuliani vita iam defuncti, exercitui ſe Imperatorem ſalutanti dixerit, vt refert Theodoreth. lib. 4. c. 1. non poſſum cum ſim Chriſtianus Iuliani exercitum regere qui tam peſtiferæ doctrinæ præceptis imbutus fuit, omnibuſq; Eccleſiæ hoſtibus fauit, nec ante Imperii onus ſuſceperit, quam milites profeſſi fuerint, ſe quoque Chriſtianam Religionem colere. Quod ſi is indecens, & nefas eſſe duxit, quod Imperator Chriſtianus iis militibus præſit, qui vel Chriſtiani non eſſent, vel quovis modo à Chriſti vexillis defeciſſent (maxime nanq; debet eſſe inter caput & membra ſimilitudo), quanto magis indecorum, & inimicum erit Chriſtianę reipub., clauum huic committere, quem hæreticum nouit certiſſimumq; amittendæ fidei periculum.

Eodem etiam iure diuino, quo olim præcipieabatur Iſraelitis, ne alium, quam ex ſua familia regni gubernaculo præficeret, imperatur & nunc catholicis omnibus, vt non niſi Catholicis Principibus obedi-

H ant

ant iuſtiſſimoque illorum iugo colla prębeant, quomodo enim caput corporis conſtituetur, qui membrum corporis non eſt, aut ſi fuit, eſſe deſiit? aut quæ conuentio luci ad tenebras, aut Chriſto cum Balial? nec ſatis eſt, aliquem ſe Chriſtianum nominare, cum ſit hoc nomen valdè generale, omniumq; hæreſum greges ſub hoc lateant, ad maioremq; ipſorum confuſionem Chriſti charactere inſigniti permaneant, ſed inſuper neceſſe eſt, quod Catholicum ſe profiteatur, perpetuoque illi firmiter adhæreat, quam primum vero à Chriſti caſtris, catholicorumq; cætu ſe alio proripuerit, obſtinatoque animo contra illum ſenſerit, re ipſa, viuum Chriſti membrum eſſe deſinit, confirmat hoc S. Hieronymus in Dialog. contra Lucifer: ſicubi audieris inquit eos qui dicuntur Chriſti non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupati, vtpote Martionitas, valentinianos, Montenſes ſiuè campitas, ſcito non Eccleſiam Chriſti ſed antichriſti eſſe Synagogam. Remouendus & is eſt à Reipub. gubernatione, qui cum Catholica doctrina inſtitutus fuit, deinceps ab eadem turpiter defecit, quemadmodũ ille à faſcibus Regni arcendus eſt, qui hæretica prauitate infectus, animũ pollutũ habet, aliisq; venenum ſuum propinare cogitat, tanti enim communis ſalutis intereſt, Regem Chriſtianum & Catholicum habere, vt neq; infidelis fidelib. præfici, neque apoſtata Fidelium Princeps manere debeat.
Voluit hoc quondam D. Paulus 1. Corinth. 6. atque ſerio corinthiis inhibendo præcepit, ne aliquis eorum negotium habens aduerſus alterum, apud iniquos iudicari audeat, qui licet tunc nullam acceperat poteſtatem in principes gentiles, aut iurisdictionem, attamẽ ſecũdum eam quam habebat à Deo pro munere ſuo, corinthios à gentilium & iniquorum conſortio

ſortio longius ab eſſe duxit, quod ſi Paulus tunc ciues Chriſti à foro & curia gentilium abſtinere voluit, quanto magis nunc prouincias regnaque ab hæreticorum principibus ſibi cauenda cenſebit, qui eadem nunc poteſtate, qua tunc vtebatur (ſi in viuis eſſet) & hæreticum imperatorem intra catholicos iudicandi munere vtentem videret, vteretur, prohiberetq; ne catholici ſibi præficerent virum de fide male ſentientem, & catholicæ religionis deſertorem, aut obfirmato animo impiæ doctrinę adhærentem, regnare paterentur. ſi enim hæretico nec Aue dicere licet, vt inquit Ioannes, qui enim dicit Aue, iam communicat operibus eius malignis; ſane ſine grauiſſimo ſcelere non licebit illum in principem aſſumere, aut obedientiam præſtare.

Euenta miſerabileſque caſus principum demonſtrant, quantum reipub. ipſis regnorum, & prouinciarum ſtatibus exitium immineat, ſi principatum hunc ſuum quo ipſos dignatus eſt Deus, ſingulari ſua prouidentia & clementia, moribus ſuis corruptis uel fide ficta & deprauata corrumpant, quantumque felicius fiat, ſi maiorum ſuorum religioni, pietati & deuotioni adhærentes, principatum hunc non ex ſanguine ſuorum ſibi competentem, ſed pro virtutum actione, & in Deum præſtanti animi religione æſtiment. Legitur de Salomone quanta fælicitate fruitus ſit poſt quam quæ ad magnificentiam ſplendoremque domus Dei pertinebant exegiſſet, ita quod nunquam ſimilem fęlicitatis ſtatum nacti fuerint hæbrei, vt eſt 3. Regum. c. 11. cuius tamen fælicitatis ruinam accepit ipſo Salomone regnante, poſteaquam vt ait ſcriptura,
„ Copulatus eſt mulieribus alienigenis, quæ cor
„ illius auerterunt, vt ſequeretur Deos alienos Aſtartē
„ Deam Sydoniorum, & Chamos Deum Moabitorū,

Moloch Ammonitarum, quibus duobus fana conſtruxit, quamobrem Deus illi apparens ſic dixit; quia
„ habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meũ
„ & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcin
„ dam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo.

Ioas conſtitutus Rex à Ioiada quam diu is vixit, religiosè, & fęliciter imperauit, templum enim Dei quod non modo direptum, ſed etiam deſtructum erat ab Athalia filioque ipſius Ochiozia, vt ornarent templum Baal, reparauit, & omni decorum genere nobilitauit. Verum defuncto Ioiada, acquieuit impiis principum Iudæ perſuaſionibus ac templum Dei deſeruit, ſeruiuitq; Diis alienis, & cum Zacharias Iaiadæ pontificis filius, ob id illum cęteroſq; increparet, conſenſit vt occideretur, vnde poſt annum cõtigit, quòd Syri profligatis Iudeis Hieruſalem totam diriperent, & ignominioſe regem tractatum dimitterent, multis languoribus excruciatum qui mox a ſuis interfectus eſt. 2. Paralip. 22.

Sic Amaſias filius Ioas a principio ſynceræ pietatis cultor extitit, 2. Paralip. 23. Idumeos profligauit, ac prædam plurimam retulit, ſed mox idola eorumdem colens turpiter fuſus eſt à Ioas rege Iſrael: Manaſſes peſſimus initio regni ſui, templa aras & idola falſis Diis exſtruxit, quorum omnium tandem pænitẽs pænitentiam egit, veniamque impetrando à Deo in regnum reſtitutus eſt, 2. Paralip. 22. ſic igitur cunctis ſacrorum librorum voluminibus examinatis, apparebit, pios & religioſos conſtanteſq; principes plurima abundaſſe fælicitate omnem populum in perpetua pace confloruiſſe: e contra vero accidiſſe malis & hæretiris principibus, nec immerito, non enim aliud eſt exẽplum regis atque paſtoris inter greges, cuius prouida prudentia oues confirmat, imprudentia deſtruit

&

& diſpergit, vtique grex ſequitur paſtorem illi con fides, ſic vitam religionemq; principis populus, ob id hodie plurimos videmus, ad principis religionē aut ſuam mutare, aut confirmare etiam ſubditos, & quãuis ipſi ſubditi non immunes fiant à iuditio æterno, eo quod ad arbitrium principis mali, religionem ſuã immutent, tamē grauiora ſubituri ſunt principes ſupplitia, eò quod requirentur oues ab ipſis, quę eorum praua & peſtifera religione perierunt.

Ad hęc plurimum nocentes ſibi ſubditisq; ſuis, maximam in religionem Chriſtianam committant blaſphemiam iurisq; iurandi irrumpentes vinculum, turpiſſime ad ea reſiliunt, quæ ante in ſacro baptiſmatis ſacramento abnegarunt, nam ſic olim obſeruari ſolitum eſt, & in hodiernum vſque diem, vt quamprimũ reges, alienæ gentes ethnicæ, Chriſtianæ alioqui verè Catholicæ religioni ſe ſe dedere volunt, eamq; ampleƈti deſiderant, quod abiuratis illorum opinionibus falſisque dogmatibus, ſacro baptiſmatis ſacramento perluſtrentur, Deoque penitus reconciliati, eccleſiæ Chriſti incorporentur, certiſſimo ſic futuri hæredes regni celeſtis, & cohæredes ipſius Chriſti; promittendo inſuper ſanƈteq; iurando, quod ſathanæ & pompis illius nunquam in poſterum; nullive prædiƈtorum errorum, aut alii quouis modo catholicæ fidei aduerſanti opinioni adhærere velint, imperioq; cuiuſcumque ciuilis principis parere, atque ſuis imperare velle in tantum, in quantum fides id catholica patiatur & permittat.

In hoc ſimilive proceſſu aliud (ſiue tacite, ſiue expreſſe id fiat) non agi certum eſt, quam paƈtum & fædus & iuſiurandũm, cum in omnibus contraƈtibus id quod tacite fit etiam pro expreſſo habere ſoleat, leg. cum quid mutuum. ff. de reb. creditis, ipſiuſq; contra

ƈtus

ctus ſubſtantiam ingrediatur, atque de eſſentia illius ſit, adeo quod ipſo ſublato, contractus inualidus cenſeatur, illudq; pactum, omniaque illa, quæ in, & circa illud pactum concurrunt neceſſario obſeruari debeant, non ſecus, atque ſi expreſſis diſtinctisq; verbis idipſum expreſſum fuiſſet: profecto nullo iure, nulla ve lege ſe ſe principes ab eiuſmodi iuramento expedire poſſunt, quantumuis id legitimè ſe facere poſſe præſumãt, dum non hominibus obſtricti ſunt, ſed ſũmæ & indiuiduæ ſanctiſſimæq; trinitati obligati manent, in cuius rei ſignum ſanctiſſimæ Chriſti Crucis ſigno ſignati, atque perpetuo charactere deſuper confirmati ſunt, quod quo ad uixerint, non ſolum fidem illam religionemq; catholicam pro ſua perſona, ſed etiam apud omnes ſibi ſubditos, omnibusque in ſuis prouinciis exercere colere & ſancte illibateq; obſeruare velint, prout in ſuperius deſcripta iuramenti formula patuit.

Neque quiſquam talium Principum, ad tantam dignitatem promotus fuiſſet, neque ad principatus faſtigium perueniſſet, quantum uis id ſibi vel ex patrio ſanguine, vel iure ſucceſſionis competere clamitent, niſi propoſitis certis quibuſdam conditionibus iiſq; ab ipſis iuratis, quod ſcilicet fidem catholicam & eccleſiaſticam diſciplinam pro poſſe ſuo defendere, nihilq; vnquam quouis modo contra eandem, ſedemq; apoſtolicã cogitare aut moliri velint, alioqui, ſi aliter factum fuerit, ipſorum poteſtate, regioq; ſuo ſceptro ipſo iure factoq; priuatos eſſe, atq; pro priuatis declarari debere.

Vanum ergo eſt eorum, qui ſe de principatus culmine iactitant elogium, quãdo illud, quod illius principatus baſis eſt & fundamentum, ratioq; vera adipiſcendi eiuſmodi principatus, è regno ſuo longè lateq;

teq; amandarunt, proinde mirari non debent, ſi infau ſtos infeliceſq; ſeſe quandoq; offendunt . Non ſolùm enim graue peccatum eſt, quòd ſe Dei munere gratiaq; diuina, qualis eſt omnis poteſtas, indignos reddunt; ſed etiam grauiſſimum ſcelus committunt, in eo , quod ſe turpiter ad id muneris uel ingerunt, vel ſimulatè appetere audent, cùm etiam maledictus ſit ille , qui ſe in minori Dei negotio opereq; diuino negligenter occupat. Quarè in ſignum tantæ tamq; gradis præſumptionis, eiuſmodi ſæpe Principes iuſtiſſimæ Dei vltionis, non ſolum in ſe ipſis, ſed etiam in populo ſibi taliter commiſſo, executores fiunt; Cui rei etiamſi humilioris ſtatus & dignitatis perſona ſufficere posſit, vult tamen illos uiciſſim Deus in tantũ hic humiliare, in quantum ſeſe illi contumelioſe libidinoſèq; exaltauerunt.

CAP. OCTAVVM.

An Princeps partim Catholicus , partim Hæreticus eſſe posſit.

QVantum infelicitatis & miſeriæ Deus omnipotens intulit iſtis regibus & principibus, qui figmentis virtutum non ipſis officiis, fallacia nõ veritate; fraudibus non fide, ditiones ſuas & imperia adaugere ſperabant, prolixiores forte erimus, quàm inſtitutum noſtrum patitur; Patebunt hæc omnia legentibus hiſtorias illorum regum , & Imperatorum, qui non ſolum à Fide, Deiq. vnius & veri cognitione exularunt; ſed Deorum falſorum cultores extiterũt, ementitæq; probitatis ſimulatores, ita vt naturalem vitæ curſum non attigerunt ; nec peruenire potuerunt,

runt, quò alioqui ſuo curſu perueniſſent, quod bonis & Catholicis Regibus haud accidit: licet enim quandoq; Deus vt eſt in Sacris litteris ſimulatores regnare ſinat ob ſimilia populi vitia, vt pari ſcilicet par referatur, atq; in quo vitioſi ante delectati fuerint, iure in eis caſtigetur, vbi tamen exigit eadem iuſtitia, ibi diuinæ vltionis gladius exeritur, ac ſceleſtis regibus vita perimitur. & quod eſt omnium iucundiſſimum, omniumq; iucunditatum caput amittũt, quando venenata immeriti principatus & gubernationis appetitione illecti, fideiq; ,ac religionis ſpecie obumbrati, in aliorum iacturam, ipſisq; in dominationem dãnabilem (quod minimè facere debuerunt) adipiſci & potiri voluerunt, atq; ita cuncti cognoſcant iuſtitiæ ſemitis veræq; ac ſinceræ religionis, virtutumq; aliarum baſi, & non ruinoſę nequitiæ, & ſimulationis tectoriis inſiſtendum. Quis enim eſt mortalium, qui ſi Romanorum facta geſtaq; perſcrutatur, non reperiat, quàm dirum funeſtumq; vitæ huius caſum ſubierunt, dum enim Pompeius Cæſar, & Craſſus, quorum alter rerum geſtarum magnitudine, alter animi præſtantia, alter denique diuitiis potens regni gubernacula gerere, ſoliq; aliis omnibus excluſis ſuſtinere conſpirarunt, alter victus à Parthis interiit. Pompeius vero, à Cęſare profligatus, & is in vbe. 23. vulneribus eſt confoſſus, atq; ad ſtatuam Pompeus, contra quam debaccabatur, collidens, ipſam ſanguine reſpoſit.

Non minus ſtupendum eſt quod contigit Claudio ut idem ſententie: cap. x. & xi. ſcribit, qui vbi maximum virtutis cuiuslibet ſpecimem edidit, imperiũq; quod proſperè, fæliciterq; auſpicatus erat, poſt Caligulam coactus in ſe recipere debuit, abiecta fraude, nulli non ſceleri manus dedit. Neq; Neroni, qui huic

huic in imperio ſucceſsit falicior exitus fuit, teſte eodem Suet. cap. ix. & x. plurimum eleemoſinæ liberalitati, & comitati exhibendæ ſtuduit, ſummamq; ſemper pietatem, ſuperiorum exemplo ſimulauit, do nec quinquennio exacto, iuſtas ſimulationis, doliq; exerciti pænas dedit; cui poſt Galba interiecto, cuius poſt ceruices caput reſciſum pilaq; affixum, per vrbem delatum ſcribunt. Otto ſucceſſit, imperiiq; faſces ſuſcepit, hic vt inquit Dion. leni ſermone, multaq; ſimulata modeſtia iudicare ſolebat, milleq; modis ſe ſe inſinuare populo, pacem cūctis promittere, ſæpe in ſenatum venire, populumq; congregare, dānatis pænas relaxare, cæterosq; muneribus proſequi. Nihilominus quia falſo ſubdolequè iſthæc omnia cogitabat, aliquot poſt diebus, ob deſperatam in bello victoriam pugione ſibi uitam eripuit.

Eadem ſorte vſus Marcus Antonius, Octauius, Tiberius, Caius, Vitellius, Veſpaſianus, aliiq; omnes perierunt. Hic finis ait Sueton. & Plutarc. eorum qui prætextu pietatis, ac iuſtitiæ Rempub. inuaſerunt:

Nec mirum hoc videri debet, alienis à vera religione, ſed nunquid felicius actum eſt cum illis, qui minus à germana pietate aberrarunt, verasque virtutes agnoſcentes, Chriſtum ſe ſequi profeſſi ſunt? ſanè vt ait Paul. ad Rom. primo. „ Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & „ ſeruierunt potius creaturæ quam creatori, propterea „ tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. (& poſt „ pauca) & tradidit illos in reprobum ſenſum, vt ſciāt „ ea, quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, ma„ litia, fornicatione, auaritia, negligentia, dolo, ma„ lignitate, odibiles Deo, Ecce quantum referat a fidei lumine deſciuiſſe; veræq; iuſtitiæ fulgorē, aut prauo voluntatis affectu, aut ſimulatione luxurioſa obtene-

I braſſe,

braſſe, nam idem crimen eſt agnitæ veritati vel reſiſtere, vel eidem praua cum opinionū facie adhærere, quam nunquam lumen veritatis agnouiſſe, cuius etſi vtriusq; par ſit damnationis reatus, maior tamē huic accedet pœnarum cumulus, qui manū ſemel ad Aratrum poſuit, & retraxit, quam qui nūquam eius iugo colla ſubmiſit. S. Auguſt: ſuper pſalm. & refertur diſtinc. 4. de pœnit. c. ſi Iudas. Si Iudas (inquit) tenuiſſet illud ad quod vocatus eſt, nullo modo ad eū, vel ſua preterita vel parentum iniquitas perueniret, quia ergo non tenuit adoptionem in familia Dei, ſed iniquitatem vetuſti generis potius elegit, redijt iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, vt in eo etiam ipſe puniretur. habet enim illa deordinatio, quam is, qui pluribus a Deo beneficijs ſpiritualibus donatus eſt, incurrit, maiorem ſibi adnexam grauitatem, propter ingratitudinem, quam non habet is, qui beneficium nullum accepit, tantoq; grauius quiſque, qui poſt accepta beneficia ſpiritualia ad vomitum redit, punietur, quando benignitate Dei abuſus, ſingulorum beneficiorum dono ingratus extitit de pœnit diſt. 4. §. verum dicens.

Ex quo manifeſtū euadit, quod Chriſtianus Princeps plus peccat adhærens hæreſi, quam infidelis, qui tanta, tamque magna beneficia a Deo non accepit, Quare tam & ſi gentes Deum ex ijs quæ facta ſunt cognouerunt, non ſic tamen Deum glorificauerunt, ſcilicet iuxta fidei illuſtrationem, & ſpecialis motionē gratiæ diuinæ, quę nunquam in ipſas deſcenderunt,
„ ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum
„ eſt inſipiens cor eorum, dicentes, ſe eſſe ſapientes, &
„ ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorrutibi-
„ lis Dei in ſimilitudinem imaginis & volucrum, & qua
„ drupedum & ſerpentum.

Vnde

Vnde Deo etiam magis odibiles redduntur Principes hæretici quã pagani, qui licet vt iam diximus, plures probitatis & virtutum vmbras populo demonſtrarunt, facileq; in virtutibus iſtis moralibus honeſtatem ſinceramq; religionem effingere potuerunt, iuxta quam ab hominibus pro talibus colerentur: nũquam tamen eò dementiæ prolapſi ſunt, vt in cultu falſorum Deorum aliud quippiã, quod ipſi pro Deo non colerent, venerarentur, quemadmodum pluribus Chriſtianis, alijsq; Principibus ſæpe perſuaſum eſt, quod in vno eoq; vero & ſolo Deo colẽdo, aliud quippiam quod Deus non eſt, neq; Deus dixit, ſed ſimulacrum colere, & venerari poſſint, ſimulque ſtare poſſe autumantes fidem Catholicam & hæreſim, adeoque ſimulatam religionem proficere in populo, quod quam abſurdum ſit & pernicioſum planeq; impoſſibile ex tranſcurſu patebit.

Primo quidem Apoſtolus ad Rom. primo rationem aſſignans, quare gentiles ex ijs quæ viſibilia facta ſunt, ipſum Deum eiusq; diuinitatem, non quemadmodum agnouerunt, ſic glorificauerunt, aut gratias egerunt,ità vt ſint inexcrabiles, dicit, quia iuſtitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, iuſtus ex fide viuit, quæ fides cum ſecundum D. Thom. 22. quæſt. 6. à Deo in nobis efficiatur, interius mentem noſtram mouente per gratiam quantũ ad aſſenſum, fieri non poteſt, vt homo tali motione tactus vlli contrariæ motioni conſentiat, ex hac namquè motione volũtas intellectum noſtrum impellit, adeoq; conuincit ad neceſſario credendum his omnibus, quæ dicuntur de Deo, nec ex vlla naturali voluntatis proprietate homini idipſum accidit, quemadmodum voluerunt pelagiani, quia cum homo aſſentiendo his quæ ſunt fidei, eleuetur ſupra naturam

ſuam, oportet quod hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius mouente voluntatem, & hoc eſt Deus, Non ergo poterit cum iſta fide alterius rei firmus aſſenſus excitari, aut fides Catholica cum aliqua hæreſi, ſi enim hoc eſſet, vel fieret ex eo, quod voluntas libera eſt, & ad vtrumquè parata, vel ex eo, quod motio illa Dei non eſſet ſufficiens ad inducendam volũtatem noſtram in ſui amorem, ſed neutrum horum dici poteſt, primum namquè deſtruitur, quia hoc nõ eſt proprium voluntatis vt naturalis quædam eſt potentia, quemadmodum voluere Pelagiani, & quia naturale illi non eſt, fieri non poteſt, vt non neceſſario obediat Dei vocationi, quod patet ex ſecundo membro diuiſionis, quod eſt, quod iſthæc Dei motio non ſit ſufficiens ad conſentiendum ei, quod dici nequit, quia non ſolum voluntatem hominum, ſed etiam Angelorum eo inducit, vt ſibi neceſſarió credatur, iuxta illud Iacob. 2. Dæmones credunt & contremiſcunt. Habent enim fidem ex hoc, quod intellectus eorum conuincitur adhoc, quod iudicent eſſe credendum his, quæ dicuntur de Deo, licet non conuincantur per euidentiam rei. Vnde quod dicit Aug. fidem eſſe in voluntate credentium, quia adhoc, vt voluntas velit credere, neceſſum eſt, quod præparetur à Deo per gratiam, adhoc vt ſic eleuetur, in ea quæ ſunt ſupra naturam ſuam, & hoc optima commutatione factum eſt, quod veluti homo proprij arbitrij voluntate ſerpenti obediens perijt, ſic vocante ſe gratia Dei, propriæ mentis conuerſione quiſque credendo ſaluetur, vt dicit Concil. Tolet. & refertur diſt. 45. cap. de Iudæis.

Altera ratio ſumitur ex obiecto fidei, quod quia bifariam dicitur, & materiale & formale, vtrumque ſic ſtante, falſum ei adeſſe nequit, ſi enim formalitatem

tem ipſius fidei conſideremus, ea nihil aliud eſt quam ipſamet prima veritas, cui tantum repugnat ineſſe aliquid falſum, ſicut ſub ente non ens, aut malum ſub bonitate conſiſtere poſſit, Vnde cum nihil cadat ſub fide vel cadere poſſit, niſi in quantum ſtat ſub veritate, impoſſibile eſt eidem falſum ſubeſſe poſſe. Si vero conſideremus materiale ipſius fidei ſubiectum, nō ſolum eſt ipſe Deus, ſed etiam multa alia, quæ ſub aſſenſum fidei non cadunt, niſi ſecundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout ſcilicet homo per aliquos diuinitatis effectus adiuuatur ad tendendum in diuinam fruitionem, & ideo etiam ex hac parte obiectum fidei eſt prima veritas eo quod nil cadat ſub fidem niſi in ordine ad Deum, qui cum vnus ſit, & vnum in ſe indiuiſum, & ab omni alio diuiſum, firmiter manet, cum hac prima veritate, quæ eſt ipſe Deus, fidesque ſola Romana, non aliam poſſe ſtare, aut permanere, vel opinionem, vel ſectam contrariā ipſi Deo primæq; veritati & fidei Catholicæ.

Cæterum idipſum probari poteſt ex conformatione ſeu cōformitate rationalis creaturæ adipſum Deū contemplandum, hæc enim ſola habet ordinem immediatum ad Deum, quia cęterę creaturę non attingnnt ad aliquid vniuerſale, ſed ſolum in particulari aliquo participant de diuina bonitate, vel in eſſendo vt inanimata, vel in viuendo vt plantæ, vel cognoſcē do ſingularia vt bruta animalia, natura autem rationalis in quātum cognoſcit vniuerſalem boni & entis rationem, immediatum habet ordinem ad vniuerſale eſſendi principium: perfectio autem huius rationalis creaturæ non ſolum conſiſtit in eo, quod quam maximè poteſt, ei ſimilis efficiatur, nam cui maxime & nosmetipſos, vel noſtra ſubijcimus, ad illum maximè conformamur, ſicut lignum transfertur in flam

mas

mas ignisq; naturam, cum ſe illi ex omni parte ſubiecerit, ac totum tradiderit, eodẽ modo non ſatis erit homini, ſi ſe ſciat quam maxime ſecundum naturam ad Deum ordinem habere, ſicut nec igni ſufficit, ſe habere potentiam lignum in ſe ſuique naturam conuertere, niſi ſe ſe approximet, ſic oportet quod nos totos vni Deo, & ſoli tradamus, talesque nos efficiamus ipſi, qualem ipſum nobis propoſuerimus, cum vero vnum ſolum Deum omnis Chriſtiana fides colat, credatq;, fieri non poteſt, vt homo Chriſtianus, cum iſto vno Deo, aliud ſibi in mente vel fingat vel ſtatuat, cum contra naturam Dei ſit atq; hominis ipſius ſuæ naturę inſtinctum. Sæpe enim ait S. Greg. in paſtorali, dum ſuſcepta cura cor per diuerſa diuerberat, & impar quisq; inuenitur ad ſingula, dum confuſa mente diuiditur ad multa: patet clarius quod idem non poteſt ſimul Deo & Mammonę vacare, totum enim hominẽ vtrumq; requirit, Principes ergo cum ſint inſtituti a Deo, vt infra videbimus, duobus dominis ſeruire non poſſunt, & quia a Dæmone non ſunt inſtituti, ergo nec eidem inſeruire, quare ſi in partes Dœmonum & miniſtrorũ ipſius transfugiunt, perdunt ſuum inſtitutorem & Dominum, & diu poſt modum ſupereſſe nequeunt.

Denique impoſſibile videtur, vt quis diuerſas religiones ſe inuicem non compatientes, qualis erit religio Catholica & hæreſis lutherana aliaue omnis p̃ter Catholicam, ſimul patiatur & foueat, dum enim vni firmiter adhærebit, alterum neceſſe eſt vt ſecundum rationes prædictas contemnat. Si verò vtramq; retinere voluerit, ſe nulli firmiter adhærere & conſentire manifeſtum reddit, iuxta illud Math. 6.
„ Nemo poteſt duobus Dominis inſeruire, aut enim
„ vnum odio habebit & alium diliget, aut vnum ſuſti-

nebit

„ nebit, & alterum contemnet. Quodcunque horum faciet, in diſcrimen veniet, quod aliud non eſt, quã nullius religionis ſe amicum defenſoremq; pronunciare, quo nihil eſt infelicius Reip. Chriſtianæ, atq; pernicioſius earundem moderatoribus, hoc eſt Deũ ipſum negare & dicere in corde ſuo, non eſt Deus. in quod barathrum incidunt, quotquot ſibi Deum vel ex medio corde, vel ex media anima, vel ex diſpartitis viribus diligere poſſe falſo perſuadent, vel populo, quam voluerint ſequi religionem, concedendũ exiſtimant, quorum permiſſores duplicis cordis connotantur.

Quod ijs accidere ſolet infortunium qui olim vel Catholicæ religioni animum ſpoponderunt, & leui ab eadem vel perſuaſione, vel lucri cauſa receſſerũt, vel qui hæreſi infecti, eandem poſtmodum falſam & mendacem, agnoſcentes erubeſcunt ad illam veterẽ Catholicam, à qua malitioſè exciderũt, redire, quod aliud non eſt quam eſſe ſine Deo, ſine fide, ſine religione, contra illud prouerb. 7. Diliges Deum tuum
„ ex toto corde tuo, & ex tota mente tuá & ex totis viribus tuis, & illud, Dominum Deum tuum adorabis,
„ & illi ſoli ſeruies, quam mentis duplicitatem & credendi libertatem Deus olim exprobrando per Eliam prophetam in finibus Iſrael profligari iuſſit 3. Reg. c. 18. dum ad Achab. & populum eius intonaret.
„ Quouſque claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt
„ Deus ſequimini eũ, ſi autem Baal. ſequimini illũ, &c. & Chriſtus in apocalypſi 2. cap. iuſſit Diuo Ioanni,
„ ſcribi Angelo pergami in hunc modum. Habeo ad-
„ uerſus te pauca, quia habes illinc tenentes doctrinã
„ Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum corã
„ filijs Iſrael edere & fornicari, ita habes & tu tenentes
„ doctrinam Nicolaitarum & Paulus ad Hæbreos x.

volun-

Teſtis eſt huius rei Germania, Gallia, Anglia, Belgia, &c. quantum ne dicam in rebus Eccleſiaſticis, ſed etiam politicis damni intulit hęc male ſuadela, dum omnia ſurſum deorſum, ſacra prophanis miſcuerit, gentem contra gentem, inferiores contra ſuperiores inflammarit, parentes contra liberos, hosq; contra illos ira, odio, incendio, morteq; contaminarit.

Porrò exemplis eiuſmodi perſonatorum Principum inſania manifeſtior euadit, quorum multa hinc inde in ſacris literis reperiuntur, accommodatiſſimum tamen cenſeo illud Salomonis quod habetur 3. Reg. cap. xi. is enim quamprimum claudicare cœpit in religione, propter vxores alienigenas, ſcindendum regnum ſuum accepit ſimul atq; reſponſum à Deo, ſuſcitauit ei aduerſarium Adad Idumæum de ſemine regio, qui erat in Edom & Hieroboam filium Nabat, ſeruum eius, & Razon filium Eliada: ſic vindicta accerbiſſima contra Achab & Jezabelem inſtructa fuit, quando vineam Naboth Iſraelitę ſimulato & prædicato ieiunio, impoſuerunt per duos falſos teſtes, quod benedixerat Deum & Regem, & lapidare curarunt, quamobrem factus eſt ſermo Dei per Eliam ad Achab 3. Reg. 21. Occi-
» diſti inſuper & poſſediſti (& poſt hæc addes) hæc di-
» cit Dominus in loco hoc in quo cinxerunt canes ſan-
» guinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuũ,
» & ait Achab ad Eliam, num inueniſti me inimicum
» tibi? qui dixit, inueni eo quod venundatus ſis, vt fa-
» ceres malum in conſpectu Domini, hęc dicit Domi-
» nus: ecce ego inducam ſuper te malum & demetã
» poſteriora tua & interficiam de Achab mingentem
» ad parietem, & clauſum & vltimum in Iſrael, & da-
» bo domum tuam ſicut domum Hieobaam filij Na-

„ bat, & ſicut domum Baaſa filij Ahia, quia egiſti vt mē
„ ād iracundiā prouocares, & prouocare feciſti Iſrael. Quod poſtea factum legitur 4. Reg. cap. 9. x. ſic Ioas Rex qui licet bonus, tamen propter ſimulationem quod excelſa non abſtulit, a proprijs ſeruis necatus eſt, 4. reg. 12.

Sic valens Imperator hæreticus Arrianus a Procopio Tyranno adeo bellis defatigatus fuit, vt ipſum Imperium teſte Ammiano Marcellino deponere cogitauerit, a Gotthis deniq; victus & combuſtus.

Quid Zeno & Baſiliſcus hæretici Imperatores, qui tantis inter ſe prælijs digladiati ſunt, tandem ille ab iſto eiectus, & necatus, ipſeque mirabiliter perijt. Quid Anaſtaſius hæreticus qui ſe initio catholicum fingens, vt imperio potiretur, Vitalianum oſtem paſſus eſt perpetuum, plurimaq; cunctis eius regionibus damna intulit, idemq; à Scythis Bulgaribusq; variè vexatus, cumq; vidiſſet ex quadā prædictione futurum, vt fulmine interiret, ita ad omnia tonitrua expauit, quod nullam ſibi in cubiculis vitæ conſeruandæ ſpem habuerit, adque profundiſſimas receſſus ſe ſe receperit, vbi poſtmodum humi iacēs mortuus inuentus eſt.

Conſtans hæreticus, qui Martinum Papam dolo capere Romæ inſtituit, & ſceleratis fraudibus Catholicos diuexare & occidere hic à Saracenis ſæpè profligatus, diraq; perpeſſus, Theodoſium patrem virū bonum dolo necauit, templa Romę ſacrilegę ſpoliauit, cùmq; omnium odia in ſe concitaſſet, eaq; diutiùs ſuſtinere nequiret, diu de abdicando imperio cogitans, in Sicilia dum lauaret, à domeſtico interemptus eſt. Nec melius accidit nepoti eius Iuſtiniano ſecundo qui contra ſanctorum Patrum decreta Concilium aliquando flagitiosè coegit, hic impe-

rio

rio priuatus, naſoq; reſciſſo in cherſoncſem relegatus: cuius duo monachi, quas præpoſitos omnium rerum conſtituit, ſummæ crudelitatis exempla Religionis ac leuitatis, quam falſo habitu mentiebantur, edebant, Stephanus & Theodoſius funibus ad pedes ligatis per urbem pertrahi & in foro comburi iuſſit.

En itaq; quo calliditas hæretica peruadat & quis ſit exitus ſimulatorum, quod fucatæ virtutis premium: & quidem ſic diuinæ iuſtitiæ conuenit, vt qui religionem perdit ab ea cuius eſt cuncta moderari in manus perditorum trahatur, ac delicto ſit æqua & conſentiens pæna. Qua etiam in re adhuc attendenda eſt iuſtitia cæleſtis, quæ hæreticis Regibus, ſimulatoribusquè principibus, eò quod cum vera religione Dei voluerint quoque permittere & diſſimulare idololatriam, hæreſimq; miſcere, contractius tempus regnandi aſignat, quâm quibuslibet alijs, à Chriſtiana pietate alienis, quaſi Deus magis auerſetur hæreticos & religionum ſimulatores, quam cæteros. Quare ipſi & eorum filij miſerrimè ſemper perierunt, quod elegantiſſime & concinne Sanctus Iob. lib. ſuo cap. 20. Hoc ſcio (inquit) à principio
„ ex quo eſt homo poſitus ſuper terram, quod laus im-
„ piorum breuis ſit & gaudium hypocritæ adinſtar pū-
„ cti, ſi aſeenderet vsq; ad cælum ſuperbia eius & ca-
„ put eius, vbi nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in
„ fine perdetur & qui eum viderint, dicent, vbi eſt?
„ (& poſt cap. 36.) ſimulatores & callidi prouocant
„ iram Dei neque clamabunt cum uincti fuerint, mo-
„ rietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum in-
„ ter effęminatas.

que latius ſerpit error principum quanto minus ab omnibus cauetur. Cuiuſmodi latens virus miſere hactenus in Germania depopulatum eſt, multorum ne dum animas, ſed Ciuitates, integras prouincias ad extremum pene redegit, vbi minus cauti homines ſub ſpecie recti virtutisq; & religionis, immanes diuq; ab Eccleſia damnatas hereſes, & corruptos mores imbiberunt. Quid enim aliud magis ſuaue, & dulce perſuadere potuit humano illi genere ſerpens ille antiquus, dum ſeſe in Angelum lucis transformauit, quam genio ſuo indulgere, ad nutum viuere, leges aſpernari, maiores contemnere, Deo non obſequi, deniq; omnia ad oculum facere? nec quiſquam horū ſibi occaſione reatum alicuius mali accidere, aut mortem incurrere poſſe exiſtimabit, quia ſpecioſa hæc viſa ſunt in oculis eorum, & dixit Geneſ. 3.
„ Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus quod in
„ quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi ve-
„ ſtri, & eritis ſemidei. Quis vero non credat tam ſapienti legumlatori, cuius in ore vox Dei nomenq; ſonat? quis lapidem pretioſum ceu vitrum contumelia afficiet? aut cum admixtum fuerit æs ad argentū, facilè hoc integrè probabit? ſed error ſe ipſum non oſtendit, ne denudatus depræhendatur. Ideo etiam ipſa veritate ſe ipſum veriorē exhibere conatur imperitioribus. Quod ex eo etiam depræhenditur, quādo eò hominum prodijt dementia, vt quidam Dij vocari atq; ab alijs nominari voluerint, nec tamen Dij fuerunt, ſed opera Diaboli, quemadmodum conſtat de Nabuchdonoſore Iudith. 3. Alexandro magno, Domitiano Antiocho: Ideo vero hanc metamorphoſin inuenerūt, quia olim, ſicut & nunc, Principes benè imperantes nomine Dei vocati ſunt, propter miniſterium ſcilicet, quo Dei mandata & leges

exequebantur, & authoritate eius pro hominibus fungebantur, quia verò plures eadem poteſtate abuſi ſunt, idq; quod ad Deum referre debuerunt, & populi religionisq; Chriſtianæ commodum, ad propriam gloriam & hominum confuſionem impenderunt, & ita beneficij loco iniuriam poſuerunt: ideo regnum ipſorum deſtructū eſt, populoq; in ſcandalum facti ſunt Dan. 3. & hoc eſt quod veterator ille in paradiſo molitus eſt, quando largam illam munificentiſſimi Dei beneficentiam, qua noſtri primi parētes in omni honeſtæ voluptatis iuſtiq; imperij vſu conſtituti fuerunt ipſis in ignominiam perpetuūq; exilium transferre voluit, ex eo, quod illas ad laſciuiam, auaritiam, ambitionem, deiq; contemptum inſtigauit, vnde illi nimio faſtu concitati, cōtra Creatorem & Dominum Ieſum arcum poſuerunt, Dijq; planè eſſe voluerunt. Nec in hodiernum vsq; diem plures ſic ſubnectere, idq; vel clariſſimis Sacræ ſcripturæ probationibus efficere deſinit, vt quod non aliunde poteſtas ſit, niſi a Deo, & pro ipſis magiſtratibus deprecari nos monet Apoſtolus; & per me reges regnant, & iuſta legum conditores decernunt: quis vero iſthæc vera non exiſtimet? cum etiam legamus ipſis diſcolis eſſe obtemperandum, & quia dicitur, Dijs non detrahes?

Verum etſi hęc vera ſint, non tamen ſimpliciter credenda, nam & hæc veriſſima ſunt, quod diſcoli ſint, quibus quandoq; parere teneamur, & Caiphas & ſi iniquus in Deum cenſor extitit, illo tamen tempore quando officio Dei fungebatur, prophetauit; Accedit, quod poteſtas in ſe ſummi Dei beueficium ſit, nec aliunde niſi a patre luminum, à quo omne bonum eſt, procedat, quemadmodum quælibet res in ſe bona eſt, Deoq; optima viſa, non obſtante quod

illa

illa plerumq; homines male abutantur, vt de vino & alijs clarum eſt, nec quidem effugit hominem ratione præditum quod res & vſus à ſe inuicem diſtinguantur. Ita quod vſus peſſimus quandoq; ſit, res vero optima, ſic quoque & ſi ſuperioritatis gradus a ſolo Deo hominibus conferatur, nunquam tamen omnes eadem vt decet & pręceptum à Deo eſt, poteſtate vtuntur, idq; experientia patet, hoc cum ita ſit cui mirum videbitur, ſi ſubinde ſub prætextu alicuius dominationis in maximum cum corporis tum animę ruere diſcrimen contingat, tantoq; grauius id mortalibus accidat, quanto maior libertas Dominorum fuerit, eamq; magis ſibi in perniciem ſubditorum aſſumpſerint?

Nec funeſtiùs accidere potuit Caligolæ Imperatori, qui licet ab initio clemens & popularis piusq; in parentes extitit, mox tamen in tantam furendi licentiam prorupit, vt Sillanum ſocerum ad ſecādas nouacula fauces impulerit, plures ex ſenatoribus interfecerit aliaq; ſeueriora & crudeliora effecerit, teſte Suetonio in eius vita cap. 10. 13. & 14. Quid ſceleratius Domitiano, vt qui primo quinquennio optimus Princeps fuit, ſed eo exacto parricidijs, cædibus & omnis generis ſpurcitijs maculatus extitit? Dio. & Suet. in Nerone cap. 9. & ſeq.? Quid vero crudelitates iſtorum Principum præcenſere iuuat? nonne Amaſis Aegyptiorum Rex, quod ſcribit Diodorus Siculus lib. 2. cum pleroſque ex ſuis vltimo ſupplicio affeciſſet, aliaſque fortunis ſuis ſpoliaſſet, & in omnes inſolentior & ſuperbior euaſiſſet, aliquantulum in imperio tolleratus, donec Actiſanes Aethiopum Rex, irruptione in eum facta, regno pulſus eſt: & meminit Aimonius lib. 4. de geſtis Francorum cap. 44. quod Childebertus

tus eius nominis ſecundus Rex Auſtratiæ filius Clo douæi, poſtea Rex Franciæ, adeo leuis, & immodeſtus extiterit, quod multos Francos iniuſte oppreſſerit, vnumq; ex illis nobilem nomine Bodilonem ad ſtipitem tenſum valde cædi ſine lege iuſſerit, ob id poſtea à francis ſeditione cõtra ipſum facta, vna cum Regina eius, prægnante interemptus.

Quid ſuperbiam commemorem quæ minus Principi conuenit, quam nimia deiectio? vnde principatus nobilis ſeruitus dicitur. Hi enim pro nobis vigilant & vtiq; rationem pro animabus noſtris redditur i. Lucifer ex ſuperbia Cacadæmon factus, Arphaxat Rex Medorum vt docet lib. Iudit. cap. 1. 3. & 14. poſtquam multas gentes ſubiugauerat Imperio ſuo, claramq; illam Ciuitatem Ecbatonis edificauerat, quia vero combinatus fuit in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum, anno xij. regni ſui ſuperatus eſt a Nabuchodonoſor, qua is etiam victoria elatus ſupra modum, itaut iuſſerit per Holofernem omnem orbem ſubigere, cunctosq; Deos de teria tollere, vt ipſe ſolus Deus diceretur Iudith. 3. poſtmodum a Iuditha obtruncatus eſt.

Nec minus malum eſt principi ſtudere auaritiæ cuius ademptę poteſtatis regnandi cauſa, a domo Samuelis illa ponitur primo Reg. cap. 8. Quod „ filij eius non ambulauerunt in vijs patris, ſed decli „ nauerunt poſt auaritiam, acceperuntq; munera & „ peruerterunt iudicium, & ſcriptum legimus in lib. „ Machabeorum 2. cap. 4. quod Menelaus propter auaritiam eorum qui in potentia erant permanebãt in poteſtate, creſcens in malitia ad inſidias Ciuium.

Quid porro ex luxu voluptatibusque profectus? vbi expenſæ multæ & inutiles fiunt in ſuperfluum

appara-

apparatum conuiuiorum, & perſonarum? Deus olim poſuit legem Regibus populi ſui. Deut. 17. „ Cum conſtitutus fuerit (inquit) Rex non multiplicabit ſibi equos nec reducet populum ſuum in Egyptum (& poſtea) nec habebit vxores plurimas quæ alliceant animum eius. Quid autem his vitijs fœdius? Quid damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnantur, vt neſcias ab hoſtibus nè, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit.

Auaritia ſummũ malum hominibus intulit, quia nunquam auaritia ſola eſt, ſed eam inſequuntur rapina, periurium, mendacium, proditio, atq; parricidium, quæ nunquã ſine nominis dedecore & principatus tyrannide exercentur, cuius rei exemplum „ refert Suetonius de Veſpaſiano cap. 16. Sola (in„ quit) eſt in quo merito culpetur pecuniæ cupiditas „ non enim contentus omiſſa Galba vectigalia reuo„ caſſe, noua ac grauia addidiſſe, & auxiſſe tributa „ Prouincijs, nonnullis & duplicaſſe, negatiationes „ quoq; vel priuato pudendas, propalã exercuit, coe„ mendo quædam, tantum vt pluris poſtea diſtrahe„ ret, nec candidatis quidem honores, Deisq; tam in„ noxijs quam nocentibus abſolutiones vendicare cũ„ ctatus eſt. Creditur etiam procuratorem rapaciſſi„ mum quemquè ad ampliora officia ex induſtri ſoli„ tus promouere, quo locupletiores mox condemna„ ret, quibus quidem vulgo dicebatur pro ſpongijs „ vti: Quod quaſi & ſiccos, madefaceret, & exprime„ ret humentes, ſicq; vt auarus vulgo notatus eſt Ve„ ſpaſianus.

Et quæ tandem progenies ſuperbiæ? præſumptio hæc in verecundiæ portio eſt, extirpatrix virtutum,

ſpoliatrix meritorgm, extinguens omne bonum, populatrix totius orbis, indignabunda, furioſa, imperioſa, petulans, excelſo & depicto curra ſimijs ducẽtibus peruehitur, promiſſa & picturata veſte, effuſa & promiſſa fucataq; coloribus, cornibus alte prominentibus, auriculis oblongis, naſo repando & ſimo, naribus in faſtidientis modum contractis, ſpirantibusq; iniurias, & contemptum, labris productis, adunco vultu, elata fronte, excelſis & coniunctis ſupercilijs, ceruice rigida, humeris in altum ſublatis, oculis arduis & minacibus, ſed cæcis, cęci enim parentes cæcam progenerant filiam: amor ſcilicet proprius & ignorantia, qui illam aſſiduè comitantur. Hinc ſubuerſiones Principum & principatuũ, populorum oppreſſiones, Ciuitatum ſubuerſiones, pagorum incendia, mulierum & virginum ſtupra, & religio mala, quæ ex cupiditatibus, pertinacia & reliquorum vitiorum collunione ingenerantur, adeo vt ſatius videatur carere Principe, quam obtalium principum ſuperbiam, luxum, iram & cupiditatem, tot clades, cædes, populationes, incendia, famem & reliqua miſera pati.

Quod olim præmeditate ſuaſit Demoſthenes orat. 2. contra Ariſtogit. ſunt (inquit) à nobis repellendi ò Athenienſes, & coercendi cùm omnes legũ violatores, tùm vero in primis ij, qui magiſtratu funguntur, & in Rep. verſantur, per hos enim & maximas Reſpub. cædes accipit, ſi mali ſint, & viciſſim iuuatur plurimum, ſi boni viri ſint, & legum ſtudioſi, quod ſi Rempub. capeſcentibus ſemel permiſeritis violare leges, & recepta deſpicere, neceſſe erit, vniuerſos, qui in Ciuitate degunt, improbitatis eorum pænas ſuſtinere. Vt enim delictorum quæ in nauibus fieri aſſolent, inter nauigandum, ſi quis nau-

tarum

tarum deliquit, paruum eſt damnum; Si vero gubernator deceptus fuerit cõmuni calamitate omnes inuoluuntur: Sic plebeiorum peccata, non in populi, ſed in ipſorummet damna cedunt; Magiſtratuũ verò & Remp. gerentium delicta ad nos vniuerſos pertinent. Vnde Solon plebeis tarda, magiſtratibus & Gubernatoribus velocia conſtituit ſupplicia, eò quod exiſtimabat de plebeis ſemper pœnas ſumi poſſe; de principibus vero nuſpiam, propter libertatẽ illam quam ſibi iure competere exiſtiment, hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas, quantumuis inculcent ſubditis mementote magis nobis parendũ quam ſuadendum, vt dicebat Alexander, Iuuen. ſat. 6.

Certe libertas iſta & viuẽdi licentia in quouis priuato Reip. Chriſtianę Ciue execrabilis eſt, ſed in principibus multo magis, quia exemplo ſuæ prauitatis facilè poſſunt populum ſecum in barathrum vitiorum, fideiq; abnegationem inducere, immodicam enim & effuſam libidinem ſequitur poteſtatis contemptus, quem neceſſario poſtea turpis defectio comitatur. Vnde Paulus admonet eos ad Gallat. ſcribens cap. 5. Vos (inquit) in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſeruitute inuicem. longe autem prouidens quod S. Iacobus in ſua Canonica de eiuſmodi exorbitantibus inquit cap. 1. Quidam homines qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium impiè dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum negãtes. Hos ſane apoſtolus appellat impios, qui à vera pietatis & religionis ſpecie ad ſeductionem inducti, communem & catholicam ſalutis publicæ viam conturbauerunt, gratiamq; Crucis Ieſu Chriſti &

eius vulnerum ſanguinisq; eius pretioſiſſimi, in ablutionem totius mundi effuſi, & mortis pro ſalute humani generis obitæ temere transferre volunt in luxuriam, non crucem & mortem filij Dei tanquam exemplum ad imitandum ſibi proponunt, ſed quaſi malitiæ ſuæ vt Petrus ait 1. pet. 2. velamen prætendunt, dum quęſtum pietate iactitantes, omnem veræ pietatis rationem in commenta, ad luxum, faſtū, ambitionem & auaritiam efficta conuertunt. Sic.n. Cacodæmon hæreſeon ſeminator ſolet ſceleſtos homines inducere vt Dei gratiam ſummiq; principatus dominationem in luxum transferant, & omnem ſic abrumpant pietatem & religionem.

Quod ſi huiuſmodi fructus hæreſeon in plurimis perſpicimus, & non ſine magno dolore obſeruari cōfitemur, vt qui laſciuire cæperunt à ſcelere reuocentur, cæteri vero in officio contineantur, minime dubitandum eſt quin nimia viuendi licentia abuſusq; poteſtatis principandi, effrenataq; eorum libido, qui cum adhuc Catholicæ religionis ſtationem non deſeruerunt, à ſcelere tamen non abſtinent, ſed certatim in id incumbunt, vt omni deliciarum genere effluant, proximus ſit ad defectionem gradus: vnde Plato tam improbos & prauis moribus imbutos principes, qui diuini muneris omnino expertes, à Reip. gubernaculis prorſus expellendos eſſe decernit in 7. de Repub. Cum enim difficilimum ſemper habitū fuerit ſe ipſum feliciter moderari, certe fieri minime poterit, vt princeps ſceleratus Ciuitates & prouincias ex tam multis diuerſisq; hominibus conſtantes, quibus pene innumerabiles etiam ſingulis diebus imminent rerum euentus, feliciter, beateq; abſque Deo omnis felicitatis & beatitudinis authore componat, non enim cum impijs eſt pax ait propheta,

longeq;

longeq; à peccatoribus ſalus. Idcirco Cyrus non cẽ ſebat conuenire cuipiam principatum, qui non melior eſſet quibus imperet, eſt enim veluti monſtrum quoddam Rex iniquus & diſcolus: quippe quem iniquorum correctorem eſſe oportet, & in ſe ipſo nominis dignitatem cuſtodire, quomodo in alias aduertet qui proprios mores non corrigit, fit enim vt dum ille inane nomen Regium ſuſtinet, malus mala conſuetudine diſſolutus, cæco impetu in interitum impellatur, quia in iuſtitia & pietate Reg is, colligit Ciprianus lib. de xij. abuſionibus cap. 9. exaltatur ſolium Regium, & in veritate Regis ſolidantur Gubernacula populorum, vbi vero non eſt pudor (inquit Seneca) ibi nec cura Iuris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt: & ſi huc vsq; deuentũ fuerit, vt quis cauteriatam habeat conſcientiam, & ita flagicioſam vitam agat, ac totum ſe ſe ſceleri mancipet, & tanquam ex certa nota flagitij ſeruus cognoſci velit; quid aliud ſupereſt, quam vt ille circa fidem naufragium faciat? nam ex flagitiorum colluuione ad cæcitatem animus delabitur, & inde hęreſeon fluctibus ſubmergitur, impius enim cum in profundũ venerit contemnit. cuius rei modernum temporis noſtri exemplum nos mouere poterit, quando infeliciſſimus ille Angliæ Rex Henricus octauus ſuæ & maiorum ſuorum gloriæ oblitus, impudicæ feminę ſe totum addixit, ſtatimq; eius amore inſanus factus, de euertenda sũma Eccleſiaſtica poteſtate cogitauit, ſanctiſſimasq; Eccleſiæ leges & ſummi in eius Cathedra Vicarij ordinationes contempſit, & oppugnauit. Aliud longè melius fæliciusq; regnandi principium principandique exordium pręſcripſit olim Deus in
„ Deut. 17. cap. Dum conſtitues (inquit) per Moiſẽ
„ quem Dominus tuus elegerit de numero fratrũ tuo-

rum.

„ rum. non poteris alterius generis hominem Regem
„ facere qui non ſit frater tuus. Ecce cōſtitutio regni & Regum. Iam ſequitur modus & norma regē
„ di. Cumq; fuerit conſtitutus non multiplicabit ſi-
„ bi equos, nec reducet populum in Aegyptum equi
„ tatus numero ſubleuatus, præſertim cum Dominus
„ pręceperit vobis vt nequaquam amplius per eandē
„ viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas
„ quæ alliciant animum eius, neq; argenti & auri im-
„ menſa pondera. Poſtquàm autem ſederit in ſolio re
„ gni ſui deſcribet ſibi Deuteronomium legis, huius
„ in volumine accipiens exempla a ſacerdotibus Leui
„ ticæ tribus & habebit ſecum legetq; illud omnibus
„ diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum
„ ſuum & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in
„ lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuper-
„ biam, ſuper fratres ſuos, neq; declinet in partem dex
„ teram vel ſiniſtram vt longo tempore regnet ipſe, &
„ filij eius ſuper Iſrael. Ex quo datur intelligi Princi pem Dei imaginem referre in Terris, ipſiusq; Vicariam operam agere in viſibili hoc miniſterio, non ſuam propriam. Quare ſolicitus eſſe debet, ne dum negocium Dei agere velit, id ipſum vel in propriam laudem, vel ambitionem conuertat, ſic enim exuet perſonam Dei, & efficietur ſymulacrum Diaboli, vti accidit Lucifero, qui quantumuis a principio præclaris virtutibus a Deo donatus fuiſſet, quia tamen non eas in ipſum vel Angelorum bonum conuertit, miſerrime à dominatu ſuo cum factionis ſuæ participibus detruſus eſt, quo enim maior quis eſt in poteſtate, & ea ad præſcriptum Dei beneutitur, eo propius Deo accedit. Si vero quiſpiam talibus ſibi cōceſſis donis abutitur, eo remotior à Deo pernicioſiorq; eſt ruina ipſius, quo maior illa fuit, à qua excidit

dit dignitate, eorumq; principum caſus maiores in terra excitant motus, quo plures ſibi ad obſequendum obligatos tenent, quos omnes etiam vel minimus error principis in maximam perniciem pertrahit.

Vnde maxima eſt virtus in tam alto principatus dominio ſibi ipſi imperare poſſe, & affectus refrenare, deliciarumq; irritamenta temperare, ac inanes dignitatum titulos ſubiugare, quod is maxime præ alijs felix dicatur ab Eccleſiaſtico cap. 31. Diues
„ qui inuentus eſt ſine macula, qui poſt aurũ non abijt
„ nec ſperauit in pecuniæ theſauris, fecit enim mirabi-
„ lia in vita ſua qui probatus in illo & perfectus inuen
„ tus eſt, & erit illi gloria æterna, qui potuit transgre-
„ di & non eſt tranſgreſſus facere mala, & non fecit,
„ ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino. Eſt boni principis maximum officium non tantum bene regere populum ſibi commiſſum, & ab omnibus hoſtibus inuiolatam ſubditorum ſalutem cuſtodire, ſed exemplo bono factiſq; & operibus præire, vt habeãt quem imitando ament, & delinquendo vereantur.

Cuius rei maximum extat exemplum in Moyſe Duce præſtantiſſimo, qui pro populo ſuo, quem Deus ob peccatum idololatriæ delere decreuerat,
„ ſic locutus eſt Exod. 23. Obſecro Domine, peccauit
„ populus iſte peccatum maximum feceruntquè ſibi
„ Deos argenteos, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi
„ non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.
Rex & Propheta Dauid 2. Reg. 24. qui licet peccauit tamen reſipuit exclamando, quando Angelum
„ Dei vidit cędentem populum. Ego ſum (inquit) qui
„ peccaui, iſti oues ſunt quid fecerunt, vertatur obſe-
„ cro manus tua contra me & domum patris mei. Boni principis eſt vti ſubditis ſuis tanquam filijs, & eis

benigne

benigne quædam indulgere, quæ etiam iuſte vindicari poſſint, præferendo clementiam ſeueritati. Ex quo cognoſcimus principatum ipſum homines non reddere impeccabiles, imo niſi retundatur affectus, ob libertatem agendi, & viuendi, reddit ad peccandum pronores & faciliores, ideo taliter conandum eſt bono principi viuere, vt non modo homini, ſed neq; cupiditati ſuæ ſeruiat, contemnat omnes libidines, non auri, non argenti, non cęterarum rerum ſit cupidus, populi ſaluti magis conſulat quam volũtati, nemini cedat in prauis, ſed in his omnibus obſiſtat: oportet enim principem (ait ille) eſſe grauem, conſtantem, quem fauor vel odium, amor, ſpes aut timor aut quæuis cupiditas non concutiant, non .n. tantum malum ſecum adfert peccatum principis, quamuis in ſe malum ſit, quantum illud quod per multos imitatores habeat, & cum illis plerumq; vel religionem ſuam mutent, vel mutatam ſequantur, nec tantum ſibi obſunt quod peccant, ſed quia alios corrumpunt, ſicque plus exemplo quam peccato noccent.

CAPVT DECIMVM.

Quibus virtutibus imbutus eſſe debeat Princeps?

MINVS forte neceſſarium foret, in præſenti cap. longiorem texere ſermonem, cùm in ſuperiori ſatis ſuperq; dictum fuerit, de vitijs & eorũdem cenſequentijs, vt ſic ex vno alterum oppoſitum quis conſequi, haud vllo labore poſſit; Quia tamen, vt ait Philoſophus, contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt; & noſtrum ſit in præſenti inſtitutum, omnibus

omnibus numeris abſolutum, clauſulisq; & notis perfectiſſimum, quàm poſſumus, conſtituere Principem; ideo poſteaquam de uitijs Principum ſuperius actum fuerit; nunc cōſequenter etiam de virtutibus eorundem plenius dicemus.

Cùm verò vnumquodq;, vt idem philoſophus ait, quod recipitur per modum recipientis diſpoſitum recipiatur; virtutes homini, niſi benè optimeq; diſpoſito, minùs acquiri poterunt. Igitur ad eas ante omnia capeſcendas, requiritur eorum hominum à prima iuuentute, optima & diligens inſtitutio, cuius inſtitutionis contemptus, poſtmodum in Repub. corruptos generat inducitq; mores: adeò, ut cùm pueri adoleuerint, vniuerſum cætum ciuilem, & remp. eiuſq; adminiſtrationem conturbent, & ſæpè, niſi pœnis acerbiſſimis maturè coerceantur, conuellant. Vnde prouidè in legibus & repub. humano generi prouiſum eſt, vt inter cetera pro puerorũ efformandis moribus, nedum publicè ſcholæ, ſed etiam eruditisſimi quiq; ad hoc, publico ſtipendio conducti, habeantur magiſtri, quod Romanis olim in vſu fuiſſe teſtatur Valer. Max. lib. i. cap. i. quod quotannis ſex optimatum filios ad ſex Hetruriæ populos mittebant, publico cum viatico, vt auguralem ſcientiam addiſcerent, & poſtea negotiorum Romę directores eſſent. Hinc celebris fama fuit conſeſſus docendi Bruidarum in Gallia, qui iuuentutem prius ea docerent, quæ ad religionem; deinde quæ ad Remp. tractandam conducere videbantur, teſte Iulio Cæſ. lib. 6. Com. de bell. Gall. & Rex Aſſyriorum alienigena cùm audiſſet populum, quem ex Babylone in Samariam tranſtulerat, à feris & leonibus deuorari, eò, quod ignorarent legitima Dei, i. Reg. 17. tales ſibi acceſendos curauit, à quibus ea

D. Ambroſius quid iuuenibus conueniat, & quomodo eorum animi ad virtutes capeſcendas informentur, admonet lib. 1. offic. cap. 1. eſt bonorum adoleſcentum, inquit, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere ſenioribus reuerentiã, caſtitatem tueri, non aſpernari humilitatem, diligere clementiam, ac verecundiam. Quarum omnium virtutum Deus ipſe ſua piiſſima bonitate compendium quoddam compilauit, idq; pauciſſimis decẽ verbis in decalogo reliquit; & poſtmodum ipſe Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu S., vnicus Dei & Mariæ filius eſt, ab vtroq; procedens, noſtræ ſalutis recuperator & mediator in Deum & hominem, idem IESVS Chriſtus in Epitome ſua paucioribus concluſit, dicens: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. hoc eſt maximum & primum mãdatum: huic ſimile eſt, diliges proximum tuum ſicut te ipſum: in his duobus præceptis vniuerſa lex pendet, & prophetæ; quod dilectus Chriſti Apoſtolus ad vnum concluſit, Rom. 13. inquiens, omnis lex in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuũ, ſicut te ipſum. neq; quis Deum diligere poteſt, inquit S. Ioan. Euángeliſta .1. cap. 4., quem nõ videt, qui proximum quem videt, non diligit; alioqui mendacii arguetur, ſi vnum eorum abſq; altero conſiſtere poſſe putabit.

Ad reliquas ſcientias & artium diſciplinas, quæ conueniant inſtitutioni puerorum, obſeruandum eſt prudens reſponſum Leotichidæ primi, vt Plutarch. in apophtegm. qui cùm interrogatus, quid potiſſimum ingenuos pueros diſcere oporteat? reſpondit, hæc, quæ vſui eis eſſe futura ſunt, quando viri euaſerint; aliàs certa huius rei ratio modusq; præſcribi non poteſt, quia vnicuiq;, propria eſt mẽ

tis cogitatio & ſolertia, vndè animi cæleſtis origo creditur, fallaxq; ſæpe eſt iudicium in cēſendis iuuenum inclinationibus, quibus ſi remoueantur obiecta, & in diuerſa commutentur conſuetudines, poterunt accedente vi rationis ſæpiſſimè moderari, quod vt in brutis cōſuetudo uincere poteſt; ſic multò magis in hominibus, bonis inſtitutis & ſermonibus ac diſciplinis, accedente potiſſimum Dei implorata clementia. Dum eram paruulus, inquit Paulus, agebam quæ ſunt paruuli, nunc autem maior factus, ea quæ ſunt paruuli, euacuaui.

Plurimum facit ad diſciplinas addiſcendas, victus & inſtitutionis ratio, aeriſq; temperies, & loci ſitus, quod cum Principum filijs contingit, quia melioribus fluxibus cæli, planetarumq; craſtellationibus ſubiecti ſunt, atq; poſt natiuitatem eorum electo lacte, & cibis delicatis electiſq; nutriuntur, non ad ingluuiem ſed ad peritorum adſtantium conſilium, ſic magis propenſiores ad eaſdem fiunt, ſequētes viri doctisſimi Hyppocrat. doctrinam in Aphoris. recitatam in canone. c. Ne tales, de conſecrat. diſt. vltima, ex quo haud dubiè neceſſario habent imbui virtutibus, & hęc illorum virtus innata & acquiſita dicitur, & omnibus prædictis concurrentibus heroica. Vnde antiqui poetæ Principes tales Heroes vocitabant, & per has, Principes ſe pares Deo appellabant, vt in Auth. vt Iudic. ſine quoquo ſuffr. §. itaq; Deo.

Nec iuuat, à prima iuuentute benè feliciterq; inſtructum fuiſſe, niſi & hoc, quod à pueris imbibitum eſt, ad finem uſq; ſenectutis inhæreat: Accidit .n. ſæpè, vt pueri principes, nati ex bonis Chriſtianiſq; parentibus, qui ipſis viuentibus nunquam ab eorum doctrina, uel latum vnguem deflectunt: poſt mor-

tem verò illorum, vel aulicorũ improbitate, vel ſecum commoiãtium delitiis& voluptatibus, omnium peſſimi euadunt. Sic in Ioram rege Iuda, 4. Reg.22.& 2.Paralip.cap.24. legimus, quod puer ſeptem annorum cùm regnare cæpiſſet, princeps optimus fuit,& religioni veri Dei addictus, quam diu Ioiadas ſacerdos admonebat, vixit: quo mortuo & ipſe à pietate defecit, & Zachariam prophetam filium Ioiadæ, qui ei regnum conſeruauit, occidit; Nec Solomon melior effectus poſtquam amoribus & voluptatibus ſeruire cæpit, vbi à pietate aberrauit, & idolis, mulieribus, & dijs ædificare cæpit, non obſtante, quod à iuuentute ſanctiſſimis legibus inſtructus fuerit 3. Reg. c. 11. Multum ergò eſt, quibus curatoribus & moderatoribus filij principum committantur, eligiq; debent ij præcipuè, qui in diſciplinis periti, in militaribus quoq; Principi tradendis exercitati, vt illi quæ ad virtutem & mores; iſti verò quæ ad exercitia principibus requiſita ſunt, edoceant. Super omnia autem requiritur, vt vtriq; ſint probi, boniſq; moribus, boni exempli, pij religioſi, timentes Deum, alieni ab adulatione, quiq; laudent ſi quid bene fecerint, vt excitentur ad gloriam, uituperent autem & repræhendant, ſi quid mali eos contingat agere, vt pudore à ſimilibus deterreantur, arceant corruptorũ iuuenum, adulatorum, meretricum, impudicorũ conſortium. non patiantur vel ioco, uel ſerio illos mentiri, vt ament perpetuò veritatem: exerceantur in iuſtitia reddenda, etiam in ludicris, ut apud Xenophontem in Cyri inſtitutione animaduertimus.

Talibus ſic Principum animis efformatis, facile aliæ virtutes, quibus adminiſtratio regnorum &

prin-

Iuſtitiam communem & omnem eſſe virtutem ait Ariſtot.5. Ethic.c.1 2.atq; adeò vniuerſalis dicitur virtus, non quod ad interiorem & propriam cuiuſq; reliquarum virtutum rationem ſpectet, ſed quia omnium virtutum actus, dum eliciuntur, in commune Reip.bonum conuertat, comiteturq; Sanct. Thom. 22. q. 58 ar. 5. 6. hanc virtutem principibus ineſſe ait architectonicè, dum ea ciuibus præſcribit, quæ ad commune bonũ, optimãq; Reipub. adminiſtrationem pertinent, & legibus à ſe latis diligentiſſimè curat, vt vnuſquiſq; ſe ita gerat, vt communis vtilitas & reipub. ſtatus poſtulat, hincq; efficitur, quod omnia, quę reipub. moderatores mandant executioni, ad hanc iuſtitię ſpeciẽ pertineant, quai. etiam ſubditis ineſſe tradit idem D.Thom. ex eo, quod ſe omnes ad vnum eundẽq; finem accommodant, & quæ à rectoribus conſtituta ſunt, iuuiolabiliter obſeruant.

Huius obiectum proprium eſt id, quod iuſtum eſt, ait Ariſtot. non ea ratione, qua idem eſt cum æquo, quod iniquo opponitur, ſic enim iuſtitiam particularem conſtituit, Cardinalem; ſed vt eſt idem cum legitimo id eſt, quod à lege præſcribitur, legiq; conſonat, cui aduerſatur iniuſtum, ſub ea ſignificatione, ſecundum quam qui à lege diſcedit, iniuſtus dicitur: huiuſmodi ergò uirtus ordinata eſt ad alterum ſcilicet, ad publicam reipub. cauſam fouendam, & dicitur iuſtitia, quod is, qui legibus paret, id quod reipub. decus & perfectio poſtulat, exequitur; qualia ſunt, Reipub. conſulere, vrbes tueri, liberos; parentes venerari, hosq; illos amare, proximos diligere, ſalutem ciuium conſeruare, nil præter rectum velle, nil niſi turpia timere, modeſtè, verecundè, abſtinenter, caſtè ſe gerere,

& hoc

& hoc eſt, quod alias omnes virtutes in ſe complectitur, magiſq; illius ſplendorem eminere ait Ariſtot. ſi architectonicè in reipub. moderatoribus reſideat, quàm ſi in reliquis ciuibus reperiatur.

Alteram particularem appellant iuſtitiam philoſophi, quę priuatim ad alium dirigitur. cuius obiectum eſt, iniuriam alteri non facere. Et hæc quidem diuiditur in diſtributiuam & commutatiuã, de quibus in 2. libro agendum. quarum prior pertinet ad præmia & pęnas, pro meritorum ratione diſtribuendas: Altera circa contractus, & æqualium rerum permutationes verſatur: quia verò proprium munus & inſigne eſt iuſtitiæ, vt ſit habitus animi, incitans ad ſuum cuiq; tribuendum, meritò princeps ex muneris ſui ratione, pro iuſtitia tamquam pro aris fociſq;, vſq; ad ſanguinem decertare tenetur, non ſolum vt iuſtè imperet, ſed etiam ne contra alias virtutes, quæ iuſtitia in ſe omnes complectitur, vel faciendo vel iubendo commiſſum videatur.

Ex quo non minus fidei, prudẽtiæ, fortitudinis, & temperantiæ, quàm ipius iuſtitiæ ſtudioſus cultor et propugnator eſſe debet, quibus ſi princeps caruerit, regis vel principis nomine indignus erit. Iuſtinianus in Nouell. *66*. in princ. ait; Vnam quidem eſſe omnium perfectisſimam virtutem, arbitrandum eſt hominibus, quæ iura omnibus diſtribuit, hæc eſt ex cauſa cognominata iuſtitia. Etenim vnamquamq; aliarum virtutum niſi ſubſequantur huius bona, fieri nihil horum quæ competunt. Et poſtea ſubiungit nec fortitudinem quæ non eſt cũ iuſtitia laudabimus, cum ſcilicet patria lingua fortitudinem in armis virtutem appellet ſolum: & ſi quis ab ea iuſtitiam ſubtrahat, delictorum ſolummodo

modo, non quorundam bonorum fiet occaſio.

Luculentius idipſum comprobatis. Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 20. Prudentia (inquit) ſine iuſtitia nocet, fortitudo quoq; ; niſi eam iuſtitia temperet, intolerabilis inſolentia eſt; furori quàm rationi propior, dominationi quàm libertati. Sobrietas, & temperantia priuata bona ſunt, nec vllius vis, niſi iuſtitia erga Deum Reuerentia & fideli mente pietatem colas. Iuſtitia ſola eſt, quæ virtutes omnes complectitur, & commendat omnes. Hactenus Ambroſ.

Notādū inſuper, quamuis vniuerſas contineat virtutes, pietas tamen & æquitas nullo modo diuelli vel ſeparari ab ipſa poſſunt, nam fides, temperantia, pietas, innocentia, integritas, &c. vt ſcribit Lactant. Firmian. lib. de diuin. inſtit. cap. 5. vel natura, vel parentum inſtitutis poſſunt eſſe in hominibus, qui iuſtitiam neſciunt; pietas verò & æquitas quaſi venæ ſunt eius, his enim fontibus duobus conſtat omnis iuſtitia, in quibus & ſumma totius Reipub. collocata eſt.

Fides porrò fundamentum eſt iuſtitiç, dictorum ſcilicet, conuentorumq; conſtantia & veritas, ſi .n. non ſit, cui vitam, ſalutem, bona, liberos, res omnes, arcanaq; noſtra confidamus, ſi ſempiterno metu nobis inſidias parari ſuſpicabimur, longè pecudibus ipſis inferiores erimus: eſt enim multò ſatius mori, quàm perpetuo metu & aſſidua curarum acerbitate diuexari.

Inter ea verò, quæ nobis creduntur, quantò res præſtantior eſt quæ nobis creditur, tantò diligentius eidem à nobis fides præſtanda eſt, nil autem maius eſt, quàm ſalus hominum, quàm nationum tutela, atq; patrocinium, quæ omnia cùm principi credita

N ſint

ſint, à nullo magis præſtatur fides, quam ab eodẽ: nec quicquam rerum omniũ magis vehementiſue continet rempub., quàm fides, fide enim auctum fuiſſe Rom. imperium, diuq; conſeruatum, nemo negare poteſt, cuius gratia fidem & mentem dedicauit in capitolio M. A Emilius Scaurus, ante autẽ templum dedicauit Fidei Attilius Galatinus, vt teſtatur Cic. 2. de diuin. Neq; negotia publica tractari poterunt ſine fide, ſiue cum ſubditis, ſiue cum vicinis, ſiue cum hoſtibus; pactionibus enim & conuentionibus iſta omnia innituntur, quorum fides eſt vnica baſis. Vnde ceſſabit emptio & venditio, locatio, conductum, depoſitum, & alii omnes contractus ciuiles, qui ex ipſo iure gentium introducti ſunt, & quorum vſum nec Princeps quidem abrogare poteſt, cùm legis naturalis æquitate nitantur, cui omnes Principes ſubiiciuntur.

Ex hac eadem lege naturali ipſis malis fidem datam ſeruare debet Princeps, exemplo Ioſuæ, 2. Reg. 19. qui Rhaabæ meretrici ac Gabaonitis: & Regis Dauidis, qui Semei homini ſeditioſo & maledico, fidem datam ſeruauerunt; non enim niſi noua ſubeat cauſa, fidem etiam hoſti datam, violare licet.

Vt verò prędicta omnia ſine cuiuſuis læſione, ordine recto exequantur, opus eſt Principi maxima circumſpectione & conſilio maturo, ne dum vni incumbere ſtudeat: alterum turpiter omittat; aut dũ iuſtitiam exequi vult, alterius fidem & exiſtimationem lædat, quæ enim facta, ait Papinian. l. filius ff. de Condit. inſtit. lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, ac deniq; contra bonos mores fiunt, nec nos facere poſſe credendum eſt. Ergò ſummæ artis regiæ eſt, bonum & æquum ab iniquo diſtinguere,

guere,

guere,& vnicuiq; , quod conuenit, adminiſtrare: quæ ratio etſi nulla lege comprehendatur, vtpotè quod extra omnis ſcripturæ determinationem ſit, ita tamen exerceri debet erga ſubditos, ne ſcriptæ leges à ſubditis vilipendantur, necque omnibus pro arbitrio illas vel attemperare , vel mutare liceat, quod ſolum, quia officium Principis eſt; vtq; in pectoris ſui ſcrinio leges omnes cōtinere debeat, ità authoritate ſibi conceſſa ex legis ordine, pro bono & æquo abuti non debet. Hæc enim ſcientia boni & æqui, non in ſola rerum humanarum cognitione conſiſtit, ſed diuinarum rerum notitia plurimùm perficitur: ex cognitione enim eorum quæ ad Deum ſunt, facilius deprehendimus, quæ ad homines pertinent, quòd cùm ſuperioris authoritatem omninò concernat, potius in principibus qui aliis prę ſident, idipſum reſidere, atq; in ea parte animi, quæ æſtimatiua dicitur, qua aliis ſine arte, attamen cum virtute conſulimus, optimèq; cupimus, penitus conquieſcere dicimus. Ita enim ſe habet communis omnium hominum opinio, quod homines ſumma prudentia præſtantes, ſummo imperio dignos exiſtimet. ſępèq; numero eorundem iudicio multitudinem vulgi quam præcipitem nouimus , imperiumq; nefariè detrectantem accommodare, eò quod intelligat omnium ſalutem illius, ſcilicet principis & moderatoris prudentis iudicio & authoritate contineri, qui optimè poteſt, quod omnibus vtile ſit futurum, ratione prouidere, eaq; virtus uel hoc ſolum omnes uirtutes gubernat, quod ipſa per ſe ſola, niſi à ſui ratione in calliditatem deficiat, munera ampliſſima, dignitatiſq; pleniſſima tueatur & ſuſtineat, atq, ob id meritò ab aliis prudentia dicatur; medium uidelicet quippiam exiſtens inter

ſcientiam & ſenſum, quod affectionibus animæ præſidet, eaſq; ratiocinatione adiuncta, tanquam propriam familiam regit, & ad experientiam ipſam cõparatam rationem ſcientiæ habet. Si enim princeps rationem dignitatis ſuæ non habeat, maieſtatemq; ſuam non temperet prudentia, ſed id ſolum gerere moliatur, quod poteſtatis ſit, facilè in tyrannidem eius principatus declinabit.

Ex quo ſequitur nil poſſe eſſe dirius principe imprudente & inſano, cùm enim potentiæ fructus nõ ſit in poſſesſione, ſed in recto illius vſu collocandus: rectus autem omnium rerum vſus prudentiæ moderatione contineatur, vbi prudentia non extiterit, ibi neceſſe eſt, vt qui opibus affluit, non ad ſalutem & honeſtatem, ſed ad perniciem atq; dedecus illis utatur.

Tria autem requiruntur ad hoc, vt princeps rectè prudẽtia vtatur, memoria ſcilicet præteritorũ, præſentium ordinatio, & futurorum pręcautio, quæ olim Deus per Moyſen populo ſuo aberranti inclamare voluit, Deut. 32. dicens: Gens (inquit) ſine „ conſilio eſt, & ſine prudentia, vtinam ſaperent & in „ telligerent, ac nouisſima prouiderent. Saperent videlicet præterita, intelligerent præſentia, & futura prouiderent. Sapientia vtiq; ex præteritis, intelligentia de præſentibus, prouidentia de futuris.

Ex quorum conſideratione facile deprehendet pius & prudens princeps, tàm in ſua, quàm in aliena repub., quid, quoùe annorum numero actum geſtumùe ſit, quid benè aut malè ſucceſſerit, quid laudabile, quidùe reprehenſione dignum, ſicq; præſentia negotia ex pręteritorum ſucceſſu ad meliorẽ ſtatum reducet, illicitum ab illis diſtinguendo, in electione ſua quid iuſtius & melius, adhibita in omnibus

nibus diſcretione, quæ mater eſt virtutum omniũ, comprobabit. Vnde futurum eſt, quod rerum ſuarum geſta, ſiue in bello ſiue in pace illa fuerint, plus commodi quàm incommodi reipub. ſecum adferent.

Quod ſi prudentia ob id principi neceſſaria eſt, non minus fortitudo, qua magna & excelſa contueri debet, eidem neceſſaria erit. Certè ut Principum dignitas ſumma ampliſſimaq; eſt in ſe, ſic excelſus ſemper eos animus comitari debet, alioquin mollis, humilis & abiectus efficietur, uel vehementer eleuatus, belluæ potius alicuius immanem naturam, quàm viri fortis ingenium induet.

Eſt autem fortitudo non furor, & amentia, libidini ſeruiens, ſed animi excellentis altitudo, pro iuſtitiæ ſanctitate pugnans. Hoc enim viri fortis opus eſt, vt cum honeſtatem ratione Duce perſpexerit, eam omnibus aliis uitæ commodis anteponat, illiuſq; retinendę cauſa, mortem potius expetat.

Conuenientiſſimum etiam eſt, vt ſicut in omni bene conſtituta repub. omnes leges in armorum vſu tutelaq; conſtitutæ ſunt; ſic in benè quoq; moratis animis omnia iuſtitiæ præſcripta, fortitudinis præſidio communiuntur: Ex corde enim, inquit ſcriptura, oriuntur malæ cogitationes, iracundię, veſanæ cupiditates, timores horribiles, quibus facile animus à ſuo gradu præcipitatur, mentemq; obnubilant, niſi adſit intrepida animi altitudo, quæ mortem doloreſq; extremos negligat, omneſq; turbidos motus, quæ cęco quaſi impetu rationis arcẽ infeſtant, acerrimè propulſet. fortitudinis igitur illud munus omnium uirtutum commune eſt, vt rationi obtemperet. illud verò proprium, vt iuris æquitatem conſtanter tueatur.

Hæc

Hæc ſi ità ſint, vti ſunt veriſsima, principes ſcilicet fortes eſſe debere, rectæ rationi parere, pro iuſtitiæ ſanctitate pugnare, quomodo illos excuſabimus, qui ſe ſolos, ad temeræ multitudinis opinionē ſufficere poſſe effingunt, nulliusq; virtutis excomio ornati, multis rempub. Chriſtianam diuexant, profecto qui ſortitudine comitibuſq; eius magnanimitate, animi grauitate, patientia, rerum humanarum deſpicientia, comptus non eſt, indignus eſt, quod in ſolio regali ſedeat.

His temperantia, tamquam choronidis loco ſubiicitur, quam niſi quis habeat, iuſtitiæ munus ab illo adminiſtrari nequit, quod Hieron. Oſorius lib. primo de gloria ſic diſertiſſimè comprobat: multi quidem tyranni ſapientię laudem adepti ſunt, multi ſimili ratione falſam iuſtitiæ rationem induere, multi etiam fallaci virtutis imagine, famam egregiam conſecuti ſunt, animi autem moderationem nemo vnquam flagitioſus & improbus potuit imitari: habet prudentia acumen ad præcauenda mala, id tamen ſibi malitioſa calliditas aſſumit; eſt iuſtitia clemens & benigna, eandem verò laudem multi largitione, & fallaci ſpecie libertatis adepti ſunt; ineſt in fortitudine incredibilis quædam animi elatio; aſt huius elationis ſimilitudinem in hominibus audacisſimis & improbiſſimis plerunq; cernimus. Temperantia verò cum totius honeſti formam habeat, & cumulatam, nempè quæ ab vniuerſæ virtutis conſenſione, ſapientięq; muneribus exiſtit, & in animi placida & quieta conſtantia ſita eſt, nil relinquit inſipientibus & immoderatis, quod asſimilare posſint. S, Auguſtin. de lib. arbit. Temperantia eſt effectus coercens & cohibens appetitum ab his, quę turpiter appetuntur. Cic. i. Rhetor. Temperantia

eſt

eſt rationis in libidinem, atq; alios non rectos animi impetus, forma & moderata dominatio; quam præclaram illam animi dominationem antiquus ille Chriſtianæ pietatis oſor diabolus primis noſtris parentibus maximè inuidebat, nihilq; non attentabat, donec eoſdem illa præclara nobilitatis forma, qua Deo ſimiles affecti fuerant, deturbaret, quod idem S. Auguſti. docet, & refertur de pœnit. diſt. c. princeps vitiorum; Princeps vitiorum omnium, dũ videt Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factũ, pudicitia ornatum, temperantia compoſitum, charitate ſplendidum, primos parentes illis donis; ac tantis bonis expoliauit pariter, ac peremit, namq; cum homini abſtuliſſet pudicitiam & continentiã, dominio eum ſuo ſubiugaui, Et paulò poſt, Adam amiſſa temperantia, factus eſt intemperans, perdita charitate malus inuentus eſt, Huc vſq; S. Auguſtinus.

Ex quibus colligitur, quantum referat ſtudioſũ eſſe principem, virtutum omnium ſeminario, eoq; vel maximè, quod omnes ſimul connexionem inter ſe habeant indiſſolubilem, earumq; vna ex ploſa, reliquæ omnes vel exulabunt, vel veræ virtutis rationem, & nomen nõ habebunt, vt ex ſupradictis prudens lector reperiet. Ergo cùm ſapientia, quod rectum, verum & ſimplex eſt, perſcrutetur, fortitudo animum ad vires tyrannidis elidẽdas cõfirmet: temperantia, ne ſtatus animi prauo illicitorum tumultu turbetur, caueat: iuſtitiam nemo quis recte colere poterit, qui non fuerit ſapiens, fortis, temperans, & modeſtus: vbi igitur pro fide perfidia, pro temperantia libido, pro fortitudine imbecillitas, pro ſapientia temeritas adminiſtratur, ibi ne veſtigium quidem iuſtitiæ & æquitatis extare poterit;

iuſtitia

iuſtitia verò collapſa, omnis pietas & religio corruat, neceſſe eſt.

CAPVT XI.

Quare Deus permittat malos Principes, & auferat bonos?

QVod homines natura mortales, mutationibus interituiq; obnoxij ſint, ciuitates etiam ex hominum ſocietate collectæ, reſpublicæ itidem, & ciuiles omnes adminiſtrationes, ex partibus quibus componuntur, ſubiectæ affectibus, multiſq; aduerſitatibus, ita vt iis auctis eædem floreăt, diminutiſq; viciſſim diminuantur, illiſq; afflictis laborent, & ſublatis intereant, nemo eſt qui ignoret: Talis eſt enim naturalis rerum viciſſitudo, vt omne genitũ corruptioni quoq; ſit obnoxium, quamuis difficile fieri dicat Plato 8. de repub. quòd benè conſtituta ciuitas de ſuo ſtatu moueatur; fieri tamen non poteſt, quin aliquando diſſoluatur: maximum verò omnium malum eſt, diſſolutioq; longè peſſima, ſi malis principibus nobis obtemperandum fuerit; quemadmodum ſummum bonum eſt tutiſſimũq; reipub. Chriſtianæ aſylum, bonis obſequi moderatoribus, quod ex eorum prudentia & æquitatis moderamine, reliquorum omnium facile corrigantur exceſſus, delictaq; ad rectam viuendi normam redigantur, cum omnibus ipſi ſint certum viuendi exẽplar, totuſq; eorum actionibus orbis componatur: ſecus verò malorum principatus, quorum domina tu neq; ſubditorum emendantur errores, neq; ipſorummet malefacta illuſtrantur, ſed ſumma cum infimis, mediaq; cum extremis, perturbatiſſima con-

fuſione miſcentur; & hoc eſt inſcrutabile profundumq; Dei omnipotentis iudicium in quod plurimi inciderunt. quod optimè explicat Eſai. cap. x.
„ Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, in
„ manu eius indignatio mea; Ad gentem fallacem
„ mittam eum, & contra populum furoris mei man
„ dabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, &
„ ponat illum in conculcationem, quaſi lutum pla-
„ tearum; Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius
„ non ita exiſtimabit, ſed ad conterendum erit cor
„ eius, & ad internecionem gentium non paucarum.
„ Dicet enim; nunquid non principes mei ſimul re-
„ ges ſunt? Nunquid non, vt Charcamis, ſic Cala-
„ no: & vt Arphad, ſic Emath? Nunquid non, vt
„ Damaſcus, ſic Samaria? Quomodo inuenit ma-
„ nus mea regna idôli, ſic & ſimulachra eorum de
„ Hieruſalem, & de Samaria. Nunquid non, ſicut
„ feci Samariæ & idôlis eius, ſic faciam Hieruſalem
„ & ſimulachris eius. Et erit: cùm impleuerit Do-
„ minus cuncta opera ſua in monte Sion & in Hieru-
„ ſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis re-
„ gis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorũ eius.
„ Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in
„ ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos popu-
„ lorum, & principes eorum deprædatus ſum, & de-
„ traxi quaſi potens in ſublimi reſidentes &c. quia
„ fecerunt in conſpectu domini Dei tui filij Iſrael ſer
„ uitutes Baalim & Aſtaroth; ideo iratus Dominus,
„ tradidit eos in manus Chuſan Rhaſathaim regis Mo
„ ſopotamiæ, & ſeruierunt ei octo annis, donec cla-
„ mantes ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorẽ,
„ & liberauit eos, Othoniel uidelicet filium Cenez
„ fratrem Caleph minorem, fuitq; in eo ſpiritus Do
„ mini, & iudicauit Iſrael, & regreſſus ad pugnã tra-

,, didit Dominus in manus eius Chuſan, Raſathaim,
,, & oppreſſit eum : Iterum autem addiderunt filij
,, Iſrael facere malum in conſpectu Domini, qui con-
,, fortauit aduerſum eos Eglon regem Moab, ſed quia
,, iterum clamauerunt ad Dominum, ſuſcitauit eis
,, Saluatorem Aiaoth, qui eum necauit, & liberauit
,, populum à ſeruitute vt legitur Iud. c. 3. Quare ve-
ro, Deus tam graui plaga ſubinde populum ſuum corripiat, cauſa in promptu eſt; quia fecerunt malum in conſpectu Dei, vnde vt offenſam ipſius grauiſſimumq; populi ſcandalum commonſtret, eiuſmodi populi deuaſtationes, & Reipub. Chriſtianæ diruptiones quandoq; permittit. Si enim Deus, vt Iob loquitur c. 34. Sinit regnare hypocritam propter peccata populi, quid non comminabitur ſuper peccata Principum, quorum eſt alios à facinore cohibere, viamq; veritatis & honeſtatis demonſtrare. Idcircò verò Deus affligit populum ſæpè per malos principes, vt vel eum emendet, vel vt peccatum à populo commiſſum vindicet, ad quod vtitur poteſtate regum principumq; , tanquam executiua indignationis ſuæ, ſicq; in confuſionem ipſorum, quod Dei dono abuſi fuerint, nunc verò idem donum ad aliorum vindictam, iuſtamq; Dei punitionem conuertere debent, nihilq; inde meliores efficiuntur, cùm intentionem ſuam ad Dei omnipotentis intentionem non dirigant, cuius bona eſt permiſſio, qua opprimi ſinit populum in peccatis ſepultum, & in ſtercore vitiorum ſomnum ducentem. Nec ideò Deum alicuius mali inculpare poterimus, qui cùm iuſtus eſt & ſummè bonus, præteritaq; & futura ſibi præſentia habet, in nullo delinquere poterit, ideò iuſtus Dominus, & rectum eius iudicium.

Adhoc

Adhoc ſingularis Scripturæ Sacræ vſus habet, quod ea etiam à Deo facta dicuntur, quæ ille fieri permittit, non quidem, quod præcedente Dei conſilio & voluntate facta eſſe credamus ſed ex permiſſione, ita ſcilicet, quod malignis hominum voluntatibus obſtare noluerit, ſed illos ex proprio eorum arbitrio agere permiſerit. Sic enim accipiendum eſt, quod de gentibus ait Paulus: tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiã, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Tradidit, dixit, quod eſt permiſit; Deus enim non eſt noſtrarum culparum author, permittit tamen nobis ex noſtra ſententia agere; cùm autem ab illo dimittimur, in maxima quæq; peccata dilabimur, quod teſtatur Propheta pſal. 80. „ Dimiſi eos „ ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adin„ uentionibus ſuis. Sic cùm dicitur Amos 3. non eſt malum quod non fecit in ciuitate Dominus. Et apud Eſai. c. 45. Ego ſum Deus creans malum, & faciens bonum, qood rectè intelligunt Theologi de malo pęnæ, & non culpæ, hoc eſt, de pæna cuius author eſt Deus, vt iuſtus Iudex, quæ malorum pęna etſi in malis verè rationem mali habeat, vindicatiuum vtiq; iuſtiſſimæ iræ Dei, quia tamen à Deo eſt, & in Deo bonis operibus diſcernitur, iuſtitiæ nomen ſortitur, & quod iuſtum ſit malos punire, ſic explicat S. Auguſt. in libris retract.

Sic boni & mali principes, & dæmones, poteſtatem à Deo acceperunt, ſed non ideò ipſi ſi mali ſint, aut ſi poteſtate, quæ per ſe bona eſt, abutantur, immunes erunt à diuino iudicio, imò grauius hic vel in futuro ſeculo punientur. Sic quippè neceſſe eſt punire malos, & quandoq; ab ipſis malis, ſed non ideò qui puniendi accipiunt poteſtatem, à

proprijs delictis eximuntur, quemadmodum neceſſe eſt eſſe ſcandala, uæ tamen illi, per quem iſthæc fiunt? Ad eundem modum, Caiphas nomine cùm eſſet Pontifex anni illius dixit: expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro propulo, & non tota gens pereat. Ioan. 11. Verùm non ideò Iudæi, Scribæ & Phariſei, qui malo animo ob vindictam & inuidiam Chriſtum crucifixerunt, innocentes erunt à ſanguine & morte ipſius; multò ergo minus tyranni maliue principes ſibi blandiri poterũt, quod ex permiſſione Dei delata ſibi poteſtate in populo pænas ſumant, opprimant, conculcent, & ſuis flagellis cædant: nam exequuntur illi quidem vindictam & iuſtum iudicium Dei, verùm non concurrit voluntas eorum cũ affectu & voluntate Dei, ſicq; potiùs tyrannide, ambitione & inclementia vtuntur, ad ſuum proprium commodum, quàm vt Dei honor & voluntas exinde impleatur: nec meritum habent ex opere bono, ſed peracto opere illo, Deiq; ita quieſcente, ipſi vt flagella amplius non neceſſaria in ignem mittuntur æternum. Cuius admonere voluit Sapiens cap. 6. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt vobis à Domino poteſtas, & virtus ab altiſſimo; qui interrogabit opera veſtra, & ſcrutationes ſcrutabitur, quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitię, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet &c.

Notiſſima omnibus eſt afflictio dura nimis filiorum Iſrael à Pharaone, qui ad amaritudinem vsq; vitam eorum producebat operibus duris, Exod. 1.

ipſe verò in mari rubro ſubmerſus, cum toto exerci tu interijt. Sic crudeliſſime in captiuitatem ductus populus Dei ob abominationes ſuas, & regum, vt nobis indicāt lib. 4. Reg. 2. Paralip. & Machabeorū. Nunquid verò iſti abductores iuſtificati ſunt? nō ſa ne, ſed ex omnibus talionis pœna remunerati ſunt, vt patet cap. 5. Eſaiæ, quod initio huius attulimus. Adeò ſeuera manet animaduerſio Dei non ſolum illos, quos contumelioſos in Dei religionem pio rumq; defenſionem experti ſumus; ſed etiam illos quos Deorum memores fuiſſe, templaq; & phana conſtruxiſſe legimus, vt patet de Micerino Rege Aegyptiorum Cherpis filio, cui oraculum reſpondiſſe dicit Herodotus lib. 2. ea propter ipſum citius vita functurum, quod non id ipſum ac parentes faceret: oportuit enim Aegyptum centum quinquaginta annis affligi, in quibns ipſe ſex ſolum compleuerat, pater verò ipſius quinquaginta, & Cephrenes 56.

Tanta eſt inſuper ſapientia Dei, vt ex malis, quorum ipſe author non eſt, bonum colligat, vt ex dę monibus & tortoribus furentiumq; principum, & in Chriſtum eiusq; Eccleſiam temerè debacchantium turba, non ſolum populum reſipiſcentē, ſed etiam pro eiuſdem fidei veritate, ceremoniarūq; ſanctarum veneratione, fortiſſimos martyres athle tasque intrepidos, alijq; Chriſtiani ab illis agitati, feruentiores euadunt, maioriq; digni corona inueniantur: Quotus enim quisq; eſt qui non neſciat, quantis olim, atq; his noſtris temporibus ſub Imperatoribus & regibus Ethnicis abundet ſanctiſſimorum virorum conſtantię & deuotionis in ſanctā Dei matrem Eccleſiam exemplis? variorumq; mar tyrum coronis, quibus confeſſionis atque firmitatis

ſuæ,

ſuæ, fideiq; probationem longè clariorem reddiderunt: nec inter Chriſtianos ſolum, ſed etiam ex principibus infidelibus conſtantia emicuit, illorũq; firmitate & fidei ſynceritate, ad fidẽ conuerſi ſunt, qui deinceps vberiorem fructum Eccleſiæ pepererunt, & ad hoc voluit, inquit S. Auguſt. in pſal. 54. Deus illorum fidem probari à malis; non enim ſine cauſa Deus patitur malos, nec putandum eos gratis eſſe in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum, cùm omnis malus aut ideò viuat, vt corrigatur, aut vt per illum bonus exerceatur: Neceſſarium itaq; eſt, non minus in hoc ſeculo trucas, immites, & ſæuos eſſe principes, quàm bonos, ſicut inter medicamenta non ſolum vnctiones ad acquirendam ſanitatem requiruntur; ſed etiam imò quãdoq; magis cauteria, pro qualitate morbi & infirmitatum. Semper tamen eſt metuenda iſta regum potentia, quæ datur illis, vt tortoribus & exactoribus ſceleratorum hominum, magisque exoptanda eorum defenſio & conſeruatio populi, quæ ſemper coniuncta eſt cum ſapientia, & paterna benignitate.

Neque eſt, quod quiſquam ex dictis colligat eiuſmodi malos principes & tyrannos, aliqua ex parte à Deo approbari, cùm Dei voluntatis ſint executores, cui nemo, ut infra patebit in hoc capite, reſiſtere poteſt, & ad hoc à Deo Optimo Max. in regnis ſuis permittantur: quia ex iam dictis clarè conſtat. ita ſingulari Dei prouidentia factum eſſe, quod illorum ſibi miniſterium in pœnã, alijs verò in bonum conuertat, vndè duplex bonum colligitur, & quod ſic puniti ad Deum conuertantur, ipſiq; punientes iuſtam pro admiſſis ſentiãt vltionem. Quam mirabilem Dei ſapientiam paſſim in ſacris ſcripturæ elogijs contemplari licet, vbi

Deus aliquos ad populi vtilitatem, aliquos verò ad caſtigationem vocauit, aliquos longo tempore regnare permiſit, alios verò breuiſſimo, & ſic quemad modum eorundem inſtitutio ex Dei voluntate pendet, ita & deſtitutio: Vtitur enim Deus principibus, vt ſuæ voluntatis miniſtris. Vnde quorundam ipſe factum probat, perſonas verò non, permittitq; eos regnare quandoq; peſſimis in actionibus, quæ poſtmodum in vtilitatem bonorum, & in vltionem malorum conuertuntur.

Nullis etiam pręcedentibus meritis Iacob dominaturum conſtituit Deus, in eodem vtero, de relicto Eſau, ad Rom. c. 9. ſic Moyſem regem ſuper populum conſtituit, exod 3. non tamen filios eius in regno ſibi ſuccedere voluit, Deut. 31. ſed Ioſue ibid. c. ult. & Ioſue cap. i., pariter Heli, & Dauid, & Saul. i. Reg. 3. 4. 1. Reg. 16. 1. Reg. 9. 10. 15. domini voluntate electi erant, quorum tamen alter ob peccata filiorum Ophni & phinees principatu priuatus eſt, alter verò ob proprios exceſſus reprobatus. Sic Dauid ob peccata Salomonis & Roboam decem tribus ex regno ſuo perdidit.

Pluribus aliis demonſtrare poterimus prædictam Dei permiſſionem, non approbare cuiuſvis tyranni dem. Ieroboam namq; qui vocatus fuit ad vindicandam idololatriam Salomonis, & diuidendum decem tribus de regno filii eius Roboami, eò quod grauiori ſcelere corruptus, maiusq; ſtudium idololatriæ impartitus, quàm Salomon. 3. Reg. 11. 2. paralip. c. 9. 10. ab Aha Rege Iuda unà cum exercitu fuſus eſt, qui & nonnullas eius vrbes, multamq; prædam cæpit: quo non multo poſt defuncto Ieroboamo, eiq; ſuccedens filius Naboth. 3. Reg. cap. 14. 15. anno regni ſecundo eſt interſectus, cum tota famili-

lia

lia, vti prædixerat Ahias & Baaſa, qui regnum Iſrael, quod conſtabat ex decem tribubus, eripiens, nihilo melior fuit Ieroboam, idcircò eadem prædicta ſunt Baaſæ ac poſteris eius à Iehu propheta, 3. Reg. c. 16. quæ prædicta erant Ieroboam. Nam cum mortuo Baaſa ſuffectus fuiſſet Ela filius eius, poſtea anno ſecundo peremptus eſt ab Aman. quocirca ille deſperata omni ſalute ſe totamq; domum ſuam ſuccendit. 3. Reg: 16. Cui ſubſtitutus fuit à contraria factione Thebri, quo mortuo ſolus imperauit Amã à recta religione auerſus, annis duodecim, ſucceſſoremq; habuit Achab, cui eadem prædicta per Eliam Thesbiten, quæ Ieroboam 4. Reg. i. quo mortuo, translatum eſt regnum in Ioram, qui poſtmodum à ſeruo ſuo Iehu occiſus, & omne ſemen Achab, vt nec reliquerit mingentem ad parietem 4. Reg. 19. 4. Reg. 10. 11. & clauſum & nouisſimum in Iſrael: percusſit igitur Iehu omnes qui reliqui erant, de domo Achab. 4. Reg. 10. in Iezrahel, & vniuerſos optimatos eius & notos, & ſacerdotes, donec nõ remanerent ex eo reliquiæ.

Ecce quantum Deus permiſit Ieroboam, qui iuxta verbum Domini peccatum Salomonis vindicando, & decem tribus à filio ipſius Roboamo ſubtrahendo, accepit retributionem in hoc ſeculo, tandẽ ipſius Ieroboami peccatum vltum fuit in filio eius Nadab, Baaſaq; filius Ahiæ deleuit, iuxta verbum domini, omne genus eius, nec reliquit vnam animam de ſemine Ieroboam.

Sic in aliis tyrannis iuxta verbum Domini ab illis factum, id eſt, voluntatem domini impletam, ipſos verò non ideo à Deo approbatos fuiſſe legimus.

Equidem Deus non eſt vt homo, vt quid iniuſtũ aut inconſultum decernat, ut ideo ipſius poſſit abſo-

lutè

lutè decretum aliquo modo retractari : poſtquam enim vidiſſet, omnem carnem corrupiſse viam ſuã
„ ſuper terram, dixit ad Noe Gen. 6. Finis vniuerſæ
„ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate
„ à facie eorum, & ego diſpergam eos cum terra. quod ſubſequuto generali illo catachyſmo irretractabile ſtatuit, ſicq; vniuerſam Caini monarchiam vnà cum ſubditis in illo deleuit.

Salomon omnibus viribus ſuis conabatur interficere ſeruum ſuum, cum intellexiſſet eum poſt ſe in decem tribubus regnaturum, ſed fugiendo manus eius ſeceſſit Ieroboam in AEhyptum ad Ieſac regẽ AEgypti, donec mortuus fuit Salomon. 3. Reg. 3. Nec rectis oculis aſpiciebat Saul Dauid, eò quod reuerteretur percuſſo Philiſteo glorioſus in Hieruſalem, quarè Spiritus Dei malus immiſit Saul, vt eum occideret, ſed non potuit, quia ſpiritus Domini erat cum Dauid, & ideo factus eſt Saul inimicus Dauid cunctis diebus, i. Reg. 18. Dominus enim ita decreuerat Salomonem punire, & alios ſimiles, tali modo exagitare, proinde nulla humana calliditate Dei prouidentia impediri potuit, quantumuis eam reuellere conetur humana fragilitas.

Commemorat Socrates lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 19 quod Valens Imperator Arrianus percunctaturus dæmonem ſæpè ſæpius de indicendo ſibi in regno poſt mortem ſucceſſore ſuo, ab eodem reſponſum accepit, ſub inuolucris græcarum literarum nomine. ΘΕΟΔ, ſignificans hoc eſſe initium nominis ſui futuri ſucceſſoris, Vnde commotus is Imperator Arrianus, iuſſit occidi omnes, quos in nominum ſuorum initiis has literas haberent, nempè uel Theodoſii, vel Theodi aut Theoduli, ſed non potuit Theodoſium ſucceſſorem.

P Quid

ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam,quã locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Valde bonus & benignus eſt Deus noſter in euertenda ciuitate, ant regno Chriſtiano,nec niſi tardè eò prouenit. Vnde rebelliones quandoq; immittit,vt ea vexatione principes ad ſeipſos redeant,& à peccatis quibus regem omnium regum offendunt, reſipiſcant & cognoſcãt, rebellante principe contra principem Deum, talionem ſibi fieri in rebellione ſubditorum.

Deus etiam ſæpe proſperari permittit impium principem ad tempus, vt niſi emendatus poſtea grauiori caſu ruat, malitiamq;, eius pæna exemplari puniat.

Ex quo boni principes diſcant, peſſimiq; ſibi & poſteris ſuis metuant, ne poſt felicitatem quam ſi experiri videntur, tandem vindicta ſequatur Dei, qui & vitam & imperium eorum tollat, non enim in alium vſum vult Deus vti principibus malis, dũ alios grauant,quam vt expleto Dei opere, ipſos meuitabiliter conijciat in perpetua cruciamenta.

Et hæc quidem acerbiſſima mala nobis contingunt: Verum multò acerbius illud cæteris omnibus, quando ciuitatem Deus, regiones & prouincias, ſuis veris & legitimis deſtituit rectoribus quẽadmodum Eſa.c.3. idipſum admonendo illacrimatur. Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem & à Iuda,validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: & fortem & virum bellatorem, & iudicem, & prophetam; & ariolum & ſenem: principem ſuper quinquaginta,& honorabilem vultu,& conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſterij. Ideſt, ſpoliabit non ijs omnibus, quę ad magnificentiſſimum

mum reipub. ſtatum ita ſpectant, vt ſine illis conſiſtere nequeat, at qualis quæſo erit dominatus, ſi militaris diſciplina obſoleſcat, pacis artes omninò ſileant, iudicum ſeueritas, authoritas atq; prudentia è finibus regionum exterminentur? qualis morum honeſtas: qualisue fidei cultus & religio, ſi non ſit propheta, qui Dei mentem interpretetur. Explicat hoc Aſarias propheta factus, in occurſum Aſæ regis Iudæ 2. paralip. c. 15. Tranſierunt (inquit)
„ multi dies in Iſrael absq; Deo vero, absq; Sacerdo
„ te, absq; Doctore, absq; lege. In tempore illo nō
„ erit pax egredienti & ingredienti, ſed terrores vn-
„ diq; in cunctis habitatoribus terrarum. Pugnabit
„ enim gens contra gentem, & ciuitas contra ciuita-
„ tem; quia dominus conturbabit eos in omni angu
„ ſtia (ſimilis confeſſio Azariæ Dan. 3. iuſta iudicia
„ Dei concludens) omnia (inquit) quæ induxiſti ſu-
„ per nos, & vniuerſa quæ feciſti nobis, in vero iudi-
„ cio feciſti (& poſtea) quia domine imminuti ſu-
„ mus plusquàm omnes gentes, ſumusq; humiles in
„ vniuerſa terra hodie propter peccata noſtra, & non
„ eſt in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, ne
„ que holocauſtum, neq; ſacrificium, neq; oblatio,
„ neq; incenſum, neq; locus primitiarum coram te,
„ vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam. Certè ſublata ſenum grauitate, detractoq; rectorum conſilio: illud neceſſe eſt ſequatur, quod ſic denudatā omnibus & belli pacisq; ſubſidijs, homines indigniſſimi amentiæque pleni, & temeritate iuuenili remp. capeſcant, adeoq; perturbent, vt publicis & priuatis rebus exitio ſint. Sic enim ait Dominus
„ Eſa. 3. Dabo pueros principes eorum, & effæmina
„ ti dominabuntur eis, & corruet populus, vir ad vi-
„ rum, & vnusquisq; ad proximum ſuum, tumultua-

bitur

„ bitur puer contra ſenem, &ignobilis contra nobilē: nunquam enim effrenata plebecula ſuam temeritatem & libidinem inconſiderata cohibebit à nobilitate, nec nobilitas a plebe impotentiam animi cō tinebit, nec iuuenis ſenem reuerebitur, neq; ſenes iuuentuti amplius proſpicient, ſed pueri ſenibus erunt infeſti, & plebs nobilitati peſtem machinabitur, deniq; ipſa regio vel prouincia peſtiferarum ciuitatum contagione dimiſſa atq; diſſipata corruet. Hinc, quod magnum certiſſimumq; ſignum eſt cōmunis exitij, honores ampliſſimi, & officia præclariſſima, ad indigniſſimos qnosque deferentur, quæ vt ait S. Ioan. Chryſoſt. in c. 3. Eſai. pænam indicāt intolerabilem, ſuntq; argumentum extremę perditionis. Stabilis enim firmaq; protectio ciuitatum neutiquam conſiſtit in lapidibus, lignis, & mæniū ambitu, ſed in prudentia & ſagacitate eas incolentium, quę tunc quidem ſi adfuerint, licet præſente hoſtium exercitu, ipſa tamen cæteris omnibus tutius communiunt atq; propugnant. Terrorem igitur eis inijcient, ait ſacer Vates, quia Dominus deſtituet ciuitatem ſua protectione & cuſtodia, non modo è medio ſublatis bellādi peritis, ſed abreptis etiam eis, qui pro poteſtate nouerunt exercere iudicia, qui quidem iudices nihil minus ſunt vſui moderandis ciuitatibus, atq; eiſdem tuendis ſunt bellatores. Igitur neceſſitate ſubditi eſtote, ait Paul. Rom. 13. non ſolum propter iram, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν, id eſt, ſed etiam propter conſcientiā, & quid eſt, inquit Chriſoſt. Hom. 23. in Epiſt. ad Rom. non ſolum propter iram, non ſolū quod Deo non ſubditus aduerſaris, neq; quod maxima tibi mala & à Deo & ab hominibus concitas, ſed quod etiam in maximis tibi benefacit magiſtratus, dum

&

mali ſint, magna ex eis capiatur vtilitas. Cogita apud te, ſi ij quibus ſunt crediti magiſtratus, eos rectè gererent, quam bene cum humano genere ageretur, ſed magiſtratus conſtituere fuit quidem Dei opus, quod autem improbi ad eos prouehantur, & eis non vt decet vtantur, eſt hominum improbitatis. Nullus ergo propterea, quod aliqui fortè hoc noſtro tempore male vtantur, aut minus decore ſuo officio fungantur, ipſorum in eis maieſtatem, aut publicam quæ exinde in rempub. profluit vtilitatem, contemnat, ſed magis quilibet Deum obſecret, vt illos dirigat in viam ſalutis, vt ſibi & ſuo gregi diligenter prouideant, bona conſulant, malaque auertant, alioqui longè atrocius nobis ex ſupradictis malum timendum eſt, ne ſcilicet dum Eſa. populo omnium miſeriarum colluuionem ex Dei cōminatione prędicit pro adoleſcentulis illis, quorū ætas nulli vnquam calumniæ ſubijci debet, impoſtores, cauillatores, pfidosq;, principes accipiamus. Sic.n. ſeptuaginta illud (e ffæminati dominabūtur illis) vertunt, & illuſores dominabuntur eis, qui ad captandam gratiam populi lenocinijs verborū vſu quaſi obtento populum detrudent in miſerrimam cacodæmonis ſeruitutem; quiq; opinionis & priuati conſilii ſui rationem ſequentes, contempto veri Dei cultu, idololatriæ labe inficiunt, ac ſēſim quos defenſores & propugnatores habuiſſe debuimus, vindices & vltores ſeueriſſimos, in nos experiamur, quales in libro Iudicum poſt ioſuem alioſq; Dei veros cultores extitiſſe legimus, qui licet parem cū Ioſue aliiſq; Chriſtianis principibus, qui iam perfuncti erant, poteſtatem acceperunt, diſſimili tamē religione ac pietate præditi, extiterunt, non quod Dei nomen omninò ignorarent, ſed quod eo mo-

do

do, quo ipſum agnouerunt, non coluerunt, qui omnes abiecta vera religione, inſtituta ceremoniaſq; Iſraelitarum, non ex Zelo & corde ſincero ſed ex quadam conſuetudine & imitatione aliarum gentium inierunt; de quibus teſtatur propheta, dimi-
„ ſerunt dominum Deum patrum ſuorum, qui edu-
„ xerat eos de terra AEgypti, & ſecuti ſunt Deos a-
„ lienos, deos quoq; populorum, qui habitabant in
„ circuitu eorum, & adorauerunt eos, & ad iracun-
„ diam concitauerunt Dominum.

Ergo ſicut ex principum pietate uitaq; ſuperſtite ſalutem, pacem, honeſtatem, rectam diſciplinã, omnem deniq; felicitatem conſequimur: ita interitum rerumq; omnium confuſionem, ſi vel deſiderentur in repub., vel improborum imperio gubernentur, quod ibidem hiſtoria Iudicum exprimit, dum proſequitur, & ſuſcitauit Iudices Dominus, & liberauit eos de manu deprædantium.

Quid non funeſtum, atrox, acerbum accidit, quãdo ſuperioribus annis Catholicus iuxta & glorioſus Rex Hiſpaniarum PHILIPPVS SECVNDVS, extremum vitæ diem obiret, profectò vt tunc totius Chriſtianæ religionis machinam vnicumq; fundamentum corruiſſe videres?

Sic quãdo anno 1590. Menſis Iulii die x. ab humanis Sereniſſimus Archidux Auſtriæ CAROLVS, (quod mihi notiſſimum eſt, ſemperq; lamentabile uenit) in metropoli ſua Græcenſi naturæ debitum perſolueret, tamquam ſubactis firmisſimis fidei lateribus, totam compagem interiiſſe diceres. ſic illius regna diſſenſionibus, hæreſibus, tumultibuſq; huc illucq; agitata, ſic huius CAROLI ſcilicet prouinciæ, inteſtinis difficultatibus, & domeſticorum hoſtium inſidiis maximè in lubrico verſatæ ſunt. Quis

vero

uerò ex tantis turbinibus, turbulentiſſimisq; tempeſtatibus, auitæ religionis nauigium ſubſiſtere poſſe autumet, aut quis tam minacibus tonitruis fulminibusq; frequentatis, ipſam poli axem decidere nō uereatur? Sanè repentinam illam, medioq; inter florentis ſuæ ætatis annos præoccupatam CAROLI mortem, etiam tacentibus hominibus, aliorum, ſyderum ſupernorum acies illachrymata eſt, vt non mirum videatur, ſi ob tanti principis diſceſſum, plurima incommoda, fideiq; Chriſtianæ vel maximus defectus, vel multa eiuſdem confuſio exoriatur, quibus tunc Sereniſſimus Archidux FERDINANDVS, vt pote propter abſentiam in prouinciis, annorumq; defectum, ſub curatoribus & tutoribus cōſtitutus, commode obuiare non potuit, patriſq; ſui dulciſſimi quaſi inter mortuam fidei Catholicæ recuperandę eiuſq; propagandæ, induere voluntatē, Vnde meritò quis rem deſperatam, deprædationi, crudeliſſimoq; Chriſtiani nominis hoſti omnia aperta peruiaq; exiſtimauit. Verum ad tempus continendum erat, paulatimq; ſilendum: nec dum quidem maieſtatis ſuæ amplitudinem, perpetuūq; heroicę virtutis ſplendorem amiſit FERDINANDVS, quin potius, quo maior ſibi ſuiſq; relictis prouinciis de hoſtibus perſecutio videbatur, eò magis, is redditur animoſior & illuſtrior, nec magis tollit illius potentiam & maieſtatem breui aliquo tempore, uel obſcura fidei Catholicæ profesſio, uel rara adhuc de hoſte uictoria, quam diei dignitatem nubium repentina denſitas, aut ſolis interdum plenior eclypſis. Vnde non male ſibi illud Athanaſij vſurpare poteſt, quod ille cùm ab Imperatore Iuliano magis in dies uexaretur, populo mæſtitia & dolore affecto dixiſſe perhibetur, Ruffin. Eccleſ. hiſt. lib. 1. c. 34.

1.c.34. No lite fieri conturbati, quia nubecula eſt, & cito pertranſit. atq; adeò ad ipſum, quod olim S. Hieron. in dialogo aduerſus Luciferian. Dominus excitatur, imperat tempeſtati, beſtia moritur, tranquillitas redijt, id eſt, omnes Epiſcopi, ait idem Hieron. atq; præsbyteri, qui de proprijs ſedibus fuerāt exterminati, per indulgentiam noui principis ad Eccleſias redeunt.

Quā aptè eiuſmodi elogia FERDINANDE tibi adſcribi poſſint, reluctantibus etiam inimicis tuis, inferius patebit, reſtituit enim Deus robur viri & ſplendorem principibus, quos diligit, ita vt fortiores reſurgant, pręſtantiq; victoribus victoria imperent, ait S. Gregor. lib. 14. in Iob. 15. ſic enim ſępe & ſæpius fieri conſueuit, vt qui vero pietatis ſtudio accenſi & inflammati, ſuis pręclarè factis, non modò reipub. ſtatum cohoneſtent, ſed etiam firment, & vndiq; muniant, quamobrem, ait, enitendum orandumq; eſt in primis, ne peruerſis moribus populi rempub. fædare poſſint, ita ſanè deinde curandum, ne optimis principibus & rectoribus reſpublica deſtituatur.

CAPVT XII.

Quod bonus Princeps per populum à Deo peti debeat.

EGREGIVM aliquid ac ſingulare propeque diuinum eſt regum principumq; dominatio, quod omnes omnium temporum nationes id obſeruaſſe depræhendimus, non ſolum ea ratione, qua principes dicuntur, ſed ea qua ſibi diuinitus conceſſa poteſtate, longè latèq; dominantur, Deiq; mini

ſtri

ſtri conſtituuntur, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, 1. Pet. 2. idq; tàm veteres quã recentes philoſophi dixerunt, vno ore vnaq; mente, reipub. moderatoribus aliud nihil propoſitum eſſe, quàm beatam ciuium vitam, quam opibus firmare, copijs locupletare, gloria amplificare, & honeſtate curare debent.

Cicero 5. de Republ. alloquens Cæſarem, te ſpectas, inquit, erras. non enim rex eligitur, vt molliter ſeſe curet, ſed vt per ipſum ij qui elegerunt, benè beateq; viuant, & Ariſtot. 8. polit. c. 10. hac vna in re maximè principem à tyranno differe ait; quod ille ſubditorum; hic verò ſuum ipſius commodum ſpectet. Scias igitur, inquit Seneca, de clementia. quisquis nomine & dignitate regia cohoneſtaris, ciuium non ſeruitutem tibi traditam, ſed tutelam, nec rempub. tuam eſſe, ſed te Reipub.

Verus ſanè bonusq; princeps non ex muneris amplitudine licentiam vſurpet, nec ſtupris & adulterijs principem agit; ſed ad curas intentus vigilat, probè ſciens, maximo imperio maximam curam ineſſe ob id omnium ſomnos ſua vigilantia defendit, omnium otium ſuo labore propugnat, omniũ delitias ſua induſtria fouet, omnium deniq; vacationem ſua occupatione protegit, & ideò ſibi quidem licet aliquando remiſſum animum habere à curis, nunquam tamen ſolutum. Hoc verò totũ, quanto cum ſubditorum fiat bono, quis non videt?

Diuinus ille Plato vt Rempub. ſuam, quam animo potiùs effinxit, quàm reipſa conſtituit, omnibus numeris abſolutam redderet, cum videret in primis eam optimis legibus ornatam, hasq; ab optimis magiſtratibus profectas eſſe debere, vtrumq; verò difficile eſſe. Si enim reliqua corporis fortunæq; bo

na inter Dei dona conſtituuntur: non minorem locum habebit illud, quo non ſolum corporis ſanitas, diuitiæ, ciuitates & liberi, ſed animę quoque diſpoſitio, rectaq; in Deum affectio cuſtoditur, & dirigitur, ideoq; donum ſpirituale, longèq; præſtantius alijs, vtpotè ex Dei ordinatione hominibus commiſſum, non enim aliunde eſt poteſtas, quàm à Deo, & qui Dei poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, Rom. 13. Cùmq; omne datum optimũ, & omne donũ perfectum de ſurſum ſit deſcendens à patre luminum, profectò ſuperioritatem hanc non temerè à Deo Chriſtianæ reipub. moderatoribus conceſſam dicemus, ſi aliorum donorum ad ipſam comparationem faciamus: neq; inficias imus alijs hominibus plurima à Deo conceſſa eſſe beneficia, atq; indies maiora iuxta cuiusq; meritorum diſpoſitionem accumulari, quæ ſicut ad ſingularem cuiusq; hominis neceſſitatem diſpoſita, naturæq; ſuæ ſunt conuenientia; ita hoc vnum eſt, quod non vni ſolum ſeſe accommodat, ſed toti communitati ex æquo & iuſto præſidet.

Vtiliſſimum fuit ſingulis quæ ſibi ſufficere nequeunt, ab aliquo iuuari & conſeruari, & id melius dicitur, quod cùm ſibi ſufficit, etiam alijs prodeſſe poteſt, ex quo magis bonum communicatum eſt, eò melius præſtantiusq; eſt. Hæc verò eſt legitima à Deo conſtituta poteſtas, quàm nedum à Deo cõſtitutam agnoſcimus, ſed quoq; apud nos conſtituendam petimus, eamq; reuereri, & obedire admonemur
„ ſiue regi quaſi pręcellenti, ſiue ducibus
„ tanquam ab eo miſſis; (& hæc omnia propter Deũ
„ facimus) quæ verò à Deo ſunt ordinata ſunt, &
„ principes non ſunt timori boni operis ſed mali, Vis
„ autem non timere, inquit Paulus, poteſtatem, bonum.

„ num fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim mi„ niſter eſt, ſi autem malum feceris, time, non enim „ ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, „ vindex in iram, ei qui malum facit.

Hæc contrapoſitio nobis duo inſinuare videtur, & poteſtatem à Deo eſſe; & eandem diſcretam ab alijs hominibus, quorum alterum ex illo, quod Dei miniſter eſt, conſtituitur, alterum verò quia malũ punire, bonumq; remunerare debet, ſignificatur. Non enim cuiuis licitum eſt imperare, nec omnibus ſubeſſe, quare etiam hæc à ſe inuicem diſſidẽt, nec vnquam ſeſe compati poſſunt. Vnde rectè interimus: Omnibus illis quibus obedire & ſubeſſe ex ſtatu ſuo competit, eiſdem etiam competere, vt à Deo precentur tales rectores, quibus quietè & pacificè ſubeſſe poſſint. Cuiuſmodi olim à filijs Iſrael factũm legimus, quando in Aegypto à Pharaone oppreſſi, flagellisq; cæſi, ad Dominum clamauerunt, ingemiſcentes pro liberatione, petentesq; inſtãter ſaluatorem & ducem, qui eos liberaret à captiuitate iſta, & Deus audiuit gemitum eorum, & recordatus eſt fœderis quod pepegit cum Abraham, Iſaac & Iacob, & reſpexit Dominus filios Iſrael, & liberauit eos. Exod. 2. dum vero Dominus hanc filiorum Iſrael redemptionem inſtrueret, præcedentibus ſignis eandem confirmauit, & ad eandem Moyſen communitum plenaria poteſtate prefecit, à qua legatione diu multumq; ſe Moyſes extricare voluit, vt quod impeditioris linguæ, & quod Pharao ipſi non adhibiturus eſſet fidem, intelligens vtiq; grauiſſimum atq; ſolicitudine pleniſſimum eſſe opus Dei perficere, cui ne quis temerè ſeſe immiſceat, aut nefariè ſibi adroget, niſi qui legitimè ad hoc vocatus fuerit, alius propheta monet, maledictionemq;

contra-

contrafacienti comminatur.

Si quis verò malitioſè hanc eandem poteſtatis ſuperioritatem cuiuis ex populo conuenire contendat, is non tam ſe ſubditum, quam petulantem omnis poteſtatis & ordinationis naturalis diuinæque demonſtrabit contemptorem, quid enim ſibi populus hanc poteſtatem arrogaret, quo nil inſipientius, nihilq; inſolentius, ſine conſilio in præceps ruit, vagus, incertus, inconſtans, variabilis, in periculis timidus, in ſeditionibus audax & temerarius, difficile componitur, ad hoc pertinet, quod ſit pronus ad malum, Deiq; offenſam, & ſui ipſius ruinam, vt patet ex lib. Iud. c. 2. Cumq; nos Dominus (inquit) Iudices (ideſt principes) populo ſuo Iſrael ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium: poſtquam autem mortuus eſt Iudex, reuertebantur, & multò faciebant peiora, quã fecerant patres eorum, ſequentes Deos alienos, ſeruientes eis.

Teſtantur vulgi huius mutabilitatem affectibuſque plurimam indulgentiam, exempla ſapientisſimorum Iudicum, & principum ab eo electorum, qui ſuſpicante populo ſe perditum, dum ſuis nollẽt irrationabilibus conſilijs parere & decretis, in maximo mortis periculo extiterunt, alii verò vix ſuſpicionem proditionis euaſerunt, quemadmodum refert Herodot. lib. 2. quod Acharnenſes, qui cùm non minimam partem Athenienſium apud ſe eſſe exiſtimabant, & ipſorum terra vaſtaretur, ad exeundum Athenienſes vrgebant, omniq; ex parte ciuitas tumultuabatur, & Pericli iraſcebantur, planè immemores eorum, quæ ipſe prius ſuaſiſſet, conuitiantes etiam, qui cùm eſſet Dux, non tamen eos educe-

educeret, putantes eum omnium quæ paterentur, authorem. Simile eſt in ſacris literis de populo Iſraelitico contra Moyſen inſurgente & murmurante, quaſi illos abduxiſſet, vt morerentur in deſerto, Num. 11. ita eſt populus ex leui cauſa facile ſuperbiens, & virorum ſibi vtilium tempore felicitatis contemptor, tempore verò aduerſæ fortunæ ingruentis vili ac deiecto animo, pauidus, & conſilii incerti. Quid ni? dum enim ſibi appetit quæ non conueniunt, ea quæ ſibi nociua ſunt, eueniunt. Meminiſſe debet plebs & multitudo ſuæ vocationis debitiq; officij erga Deum, aliorumq; Dei hic in terris vices gerentium, quod fit conſiderando, quæ ſibi, quæ regibus, quæ magiſtratibus, quæue communia his ſimul ſunt, vt ait Iuſtinus ex trogo lib. 3. ad inſtitutionem reip. factam à Lycurgo, & populum, inquit ille, ad obſequia principum, principes ad iuſtitiam imperiorum firmaruit, parſimoniã omnibus ſuaſit, exiſtimans laborem militiæ aſsidua frugalitatis conſuetudine faciliorem fore, emi ſingula, non pecunia, ſed cõpenſatione mercium iuſſit, auri argentiq; vſum, velut omnium ſcelerum materiam ſuſtulit, adminiſtrationem reipub. per ordines diuiſit, regibus poteſtatem bellorum, magiſtratibus iudicia per annuas ſucceſsiones, ſenatui cuſtodiam legum, populo ſublegando ſenatum, vel creandi quos vellet magiſtratus, poteſtatem permiſit. Id etiam ordo naturę depoſcit, vt omnia certa quadam ſymmetria intra ſe ſe colligantur, certis legibus ſubiectionis & regiminis temperentur, ne confuſione breui præſtantiſſimi & ampliſſimi orbis opus conſumatur. Sicq; imperare ait D. Petrus apud Clementem lib. primo recognit. regere, ſubiici, regi & gubernari, conſentaneum eſt iuri naturæ, diui

noq;

noq; & humano, gentium & ciuili conuenit. vt aliter pro monſtro haberi posſit, quale fuit illud apud Romanos, quando deperditæ libertatis ſpecie, ſibi magni alicuius Imperii faciem effinxerunt, lege illa Valeria à Pub. Valerio poplicola poſt exactos reges primo conſule lata, quæ conſtituit, vt ſi quis magiſtratus ciuem necaret, verberaret, aut mulctaret, is ad populi iudicium vocaretur, nihilque damni à magiſtratu acciperet, donec populi iuditium conſtituiſſet. Hacque aliæ longe peiores leges creſcente populi malitia ſubſecutæ ſunt, ut quod pro populi maiori libertate quinque de plebe, quot annis tribuni crearentur, quibus incumberet pro populo aduerſus conſules opem ferre, ipſi vero tribuni immunes & inuiolabiles permanerent, iſq; honos non alteri competeret tribunitius, niſi plebeis. Quæ omnia irritamenta malorum, & occaſio apertisſima delinquendi fuerunt, ſupplitiumq; ob delicta euadendi.

Tale noſtris temporibus non minus peſtilens, ferox, atrox malum reipub. Chriſtianæ irrepſit, quod non ſolum in pelliciendis rudibus, & ignaris populis obuerſatur, ſed etiam à catholicæ eccleſiæ debita veſtaq; obedientia in Principibus ac viris primatibus debacchatur, non inſcium, ſi ab obedientia deſciuerint, facile tunc vniuerſam religionem ruituram, hocque proh dolor effecit, vt nulla ſit apud eos ſacræ illius priſcæ religionis facies, nullum eccleſiaſticū cœleſtis ſapiẽtiæ peculium, nullus caſtæ, & incontaminatæ traditionis theſaurus nullo paternorum reuerentia decretorum, nullus Diuorum, atq; hominum Rex, ita omnia inani ſuo nugaci, & contumaci nouæ religionis velamento obumbrauit, hisq; ſuis pernicioſiſſimis ſuaſionibus diſſentio-

nibus

nibus & nouitatibus proceres, & optimates viros pellexit, vt fucato quodam,& inani vel conſeruandi vel propagandi ſtatus ſui ſtudio,turpiter deluſi, vniuerſæ penè illorum reipub. domorum, arcium prædiorumque angulos occupauit, totamque plebem nefario ſuo ſcelere fædiſſimè fędauit,vt mirũ non ſit,ſi deinceps eiuſmodi,at nimis ſero, proprio incommodo ſuorũ ſubditorum exilio,ad extremã, vel infamiam vel ſtatus ſui mutationem, vel priuationem redigantur; Quod totum non aliunde originem habet,quam quod ſuis ſuperioribus contraire moliuntur,illorumq; dictis & factis repugnare, vnde populum in ſui amorem alliciunt,tributorum releuationem promittunt religionem liberam dicunt,prætextumq; in iuſtitiæ religionis obtrudunt, ſeque ſuoq; poſteros immunes ſemper fore pollicẽtur,ex quo populus aura leuior & fumo flectitur,cõmouetur,& modũ excutiendi iugum legitimi principis,& ſacerdotum catholicorum, libertatemque quam iſti proceres illorumq; anteſignani educũt, quærit, quo facto coniurationes fiũt vel ſemper maxime ſuper prætextum religionis: accedunt ſubſcriptiones, collegia factionum, apparatus taciti bellorum,& ſubitò non præuidentibus principibus tãta flamma emicat, quę diu extingui nequit, & ſic paulatim extinguit rebellionis ignem.

Extat huius rei recens memoria quando in ſuperiori Pannonia ad Oenum Fluuium, quatuor ab hinc annis furens quædam ruſticorum turba, facta in proprios damnos rebellione, in apertum campũ prorrupit,cædemq; & extremam omnium vicinorum ſuorum, niſi in ſuam factionem cõſpirarent minitata,ibique viliſſimæ ſortis hominibus ad ſe accitis,ducumq; ad inſtar habitis,exercitaq; in circum-

iacentes plagas plurima ſtrage, depopulatisq; aliquot monaſteriis, tranſeuntibusq; itidem partim depredatione, partim verberibus ad peram, & ſaculum & baculum excuſſis, ab Imperatore Rodulpho noſtro glorioſiſſimo ſenſim collecto milite, iſthincque immiſſo, illis minime expectantibus, debitas ſuę temeritatis pœnas exoluerunt, ſero enim medicina paratur, cùm mala per lōgas inualuere moras.

Sapienter idipſum prouidit Sereniſſimus Archidux FERDINANDVS, quam difficulter multitudo in vnam coaleſcat ſententiam, quamque in eandem deſcendens non diu in eadem perſeueret, dum nuper in ſuperiori STYRIA aduerſus quoſdā Slamingenſes ſuæ ditionis ciues, quos iam iure iurando ſibi ſuisq; legibus obtemperantes credidit, interim tamen, vel modico vento inſolentiores facti, ruproque facto iure iurando, ſerenitatis ſuæ iugum ſuauiſſimum excutere, ſibiq; legem nouum, & beneplacens euangelium condere attentarunt, vel leuiter ſaltem commouit, penitusq; ſubegit, vbi illi imminentem Principis manum metuentes, eadem qua leuitate eructare præſumpſerunt, ad ſe ipſos redierunt, pacemq; & vitam poſcentes, priori excuſſo fœderi libenter ſe ſe ſubmiſerunt.

Non ergo ſibi poteſt populus imperare, neque alijs imperandi leges præſcribere, cum quod ad arbitrium plebis factum eſt ſemel, ipſimet diu nō placeat, ſicut & adminiſtrationes per populum factas, aut nunquam perſeueraſſe, aut non tam populi, quā uirorum à populo electorum, vel comprobatorum conſilio, & induſtria conſtitiſſe legimus, vbi autem ſuo voluerunt regere arbitrio, ſtatim reciduaſſe.

Docendus eſt populus non ſequendus, & quod

liceat quidue non, commonendus diſt. 62. & Docendus.

Vidimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tanquam Regem ſumma cum animi alacritate à Iudæis exceptum, ingredientem Ciuitatem Ieruſalem, & paucis poſt diebus, eundem publicè ad crucis ſupplicium poſtularam, vbi ipſa experientia didicimus, quantum pernicioſa ſit populi viuendi libertas ex arbitrio, quod Moyſe abſente coegit Aaronem ſibi conflare idolum oblitusq; Dei ſui Creatoris, à quo infinita ante beneficia accepit eaque recentia, poſtmodum hoſtias & victimas obtulit; & ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerũt ludere cum blaſphemia; Exod. 32. Hi ſunt Dij tui Iſrael qui eduxerunt te de terra Aegypti quod inultum non reliquit Deus, ſed ſeuerè vindicauit: adeo præpoſterus ordo eſt dicere, populum poteſtatem habere ſibi leges condere, regemque, & Principem conſtituere, quod nullum iſtius conceſſionis, neq; in veteri, neque in nouo teſtamento mentionem hactenus vidimus, ſunt enim reges & Principes vel ex ſucceſſione, vel ex lege, vel conſuetudine, & præſcriptione, vel ex patientia, & tyrannide, ex quibus olim quidem regia lex facta fuit à populo Romano, ex cuius pręſcripto ſibi imperaret Principes vt apud Athenienſ. Thucidides ſcribit lib. 1. & iterum quia omne ſuum imperium trãſtulit in Principe l. 1. de conſtit. Princep. ff. & l. 1. inſtit. de iur. nat. gen. & ciuil.

Sic Romulus legitur initio regni, vt populo applauderet eaſdem ferè leges, quas Lycurgus Athenien. poſuiſſe inter quas populo permiſit magiſtratus creare, leges ſancire, & de bello referente rege decernere. Halicarnaſſeus lib. 2. Iulius tamen Cæ

ſar hoc illi ius populo eripuit, vt ſcribit Surlan. tranquil. in eius vita, cap. 41. cui cum Auguſtus ſuccederet, ei ſuaſit Mecænas vt quidquid populus haberet, plane adimeret, ſic factum eſt, quod regnante Tiberio, non ſolum vis conciliorum, ſed etiam poteſtas condendarum legum, de populo translata fuit, Cornelius tacit. primo annal. Vnde lex Iulia de ambitu ceſſauit, qua is tenebatur, qui ſine iuſſu Principis bellum geſſerit, delectum habuerit, exercitumq; comparauerit, vt patet l. 1. ff. ad l. Iul. maieſt. & quamuis Dominus noſter aliquot elegerit ex populo, quibus poteſtatem fecit docendi, ligandi & abſoluendi, tamen hanc populo nunquam dedit, quia magnum diſcrimen reperitur inter hæc duo, eligere de populo, & populo poteſtatem concedere, electio namq; fit de pluribus inter eos, qui digni cenſeantur, & ab illo qui habeat rationem, & iuditium diſcernendi, idoneos à non idoneis, & digniſſimum à minus digno, at vero quia in populo plerunque & ferè ſemper meliores non ſunt, nec diſcernere poſſunt inter bonum & magis bonũ, ideo etiam carent iſta poteſtate, & ex his Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti elegit, & habitauit, dignosq; aliquos ſua poteſtate effecit, quibus id muneris, prę aliis communicauit, nunquam vero ipſi & ſoli populo iudices creandi poteſtatem & offitiũ commiſſum fuiſſe reperimus.

Nec illud poteſtatem aliquam arguit in populo quod eorum conſenſu plerunq; (quamuis & id raro fiat) reges & principes inſtituantur, cum non tã ad directionem illorum hoc ſpectet, quam ad ſubiectionem Principi, vt ſcilicet ſciant & cognoſcant cui cura ſui teneantur, hocque patet ex Dei inſtructione, qua populum ſibi ſingularem effecit, in qua

nunquam

nunquam populo permiſiſſe legimus, ſibi principes eligere, vel ſeipſum regere, ſed vocato Moyſe & præmunito poteſtate deſuper iuſſit ei & ad Regem Aegypti & ad populum venire.

Sic ipſe Moyſes iam moriturus, ex Dei admonitione totum populum congregauit, non ad hoc, vt
„ regem ſibi eligeret, ſed prouideat (inquit) Domi-
„ nus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit
„ ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire & intrare
„ ante eos, vel introducere, ne ſit populus Domini
„ ſicut oues abſq; paſtore.

Ecce intenta ad Deum precatio pro bono Principe, exemplo quidem Moyſis edoctus populus, (cui magis opus eſt boni Principis cura) ad deprecandum, at ipſius Dei reſponſo firmatus ad accipiẽ
„ dum, vnde dixit Dominus Deus tolle Ioſue filium
„ Nun, virum in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manũ
„ tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazaro Sacer-
„ dote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cũ
„ ctis videntibus & partem gloriæ tuæ, vt audiat om-
„ nis Synagoga filium Iſrael. num. 27. Ioſue 1. ecce diuinitus data Principibus poteſtas eligendiq; forma, non ad ſingulos pertinens, ſed quibus à Deo datum eſt, vt ſciant eligere, quem voluit Deus. Sicut enim ante Moiſes à Deo immediate mandatum accepit, vt regeret educereq; populum ſuum ex Aegypto, ſic quoque eandem poteſtatem committi voluit Ioſue per Moyſen, nõ aliud tamen præterquam Moyſes, accepit Ioſue, ſed alio modo atque ordine, quamuis poſtmodum ipſe Deus locu-
„ tus eſt Ioſue. Ioſue. c. 1. Surge & tranſi Iordanem
„ iſtum, tu, & omnis populus tecum in terram quam
„ ego dabo filijs Iſrael (& poſt pauca) ſicut fui cum
„ Moyſe ita ero tecum non dimittam, neque relin-

quam

„ quam te, confortare, & eſto robuſtus, ſic omnis dubitandi locus recluſus fuit de legitima Ioſue in populum à Deo accepta poteſtate, electioniſque ordine.

Hanc ipſe poteſtatem alio in loco Deus corroborauit cum ſcilicet prouidit aliquando futurum, vt terram promiſſionis acciperet populus Dei, ibique neceſſarium fore ſibi de adminiſtratore proſpicere,
„ modum propoſuit dicens Deut. 17. Cum ingreſ-
„ ſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit
„ tibi, & poſſideris eam, habitabiſq; in illa, & vixe-
„ ris, ſtatuam ſuper me regem, ſicut habēt omnes per
„ circuitum nationes, eum conſtitue, quem Domi-
„ nus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorũ,
quo loci aperte oſtenditur populo poſtulationem regis, non vero electionem conceſſiſſe, quod ſequē-
„ tia oſtendunt, non enim poteris (inquit) alium re-
„ gem facere. Vnde poſtmodum idem populus regē ſibi à Samuele dari petijt, primo Reg. 8. nec aliud expoſcebat Moyſes, num. 11. quando videns peruicaciam populi nauſeamq; ſuper manna, quod illis
„ de coelo pluit Dominus, dixit. Et cur impoſuiſti pō-
„ dus vniuerſi populi huius ſuper me? nunquid ego
„ concepi omnem multitudinem hanc? non poſum
„ ſolus ſuſtinere omnem hunc populum quia grauis eſt mihi? & quod Moyſes ſeptuaginta illos viros elegit non populus fecit, qui pondus & partem ſollicitudinis cum ipſo ferrent, vnde ſequitur ibidem:
„ congrega mihi ſeptuaginta viros, de ſenioribus
„ Iſrael, quos tu noſti, qui ſenes populi ſint, ac ma-
„ giſtri; & duces eos ad hoſtium tabernaculi fœde-
„ ris, facieſq; ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & lo-
„ quar tibi, & auferam de ſpiritu tuo tradamq; eis,
„ vt ſuſtētēt tecũ onus populi, & tu nō ſolus graueris.

Accedit

Accedit quod initio huius cap. diximus, quod ſubditis plura à pluribus, penèque vniuerſis creaturis pericula immineant, neque à Domeſticis ſuisq; vicinis infeſtentur ſolum, ſed ab exteris plerunq; tam in corpore quam in eorummet bonis inficiantur iniuria, quę omnia populus ſuo marte, Conſilio, & authoritate propulſare non poteſt, præcipuè quod in ꝓpria cauſa nullus ſibi ius dicere poſſit, nō enim ſibi curæ eſt legum & armorum ſcientia, ſed proprium cuiuſq; faciendi opus ſuum cogitatio, vnde ſibi panem ſuum conquirat, neceſſariisq; familiam curet, quare aliquis neceſſario eſſe debet, qui iſtorum curam habeat, alioqui plures familiæ in partes diſcinderentur, bona diripe rentur, fieretque diſſolutio totius reipub., Et ſi vero plurimum ad hoc valeat ſuperioris authoritas, cōſiliumq; ſenex, quia tamen illa omnia tanquam tutiſſima tutela armis cōſeruantur, inq; ſuo robore continentur, maxime ad Principes & moderatores rerumpub. pertinet armorum exercitatio, quorum vſus uti legibus priuilegiatus eſt, ſic nulli priuatorum, nedum attrectare ſed nec quidem exercere licet, quorum armorum uſu olim ſibi filii Iſrael regna, & nationes terræ promiſſionis ſubiecerūt, legesq; populo dederūt iuxta voluntatem ſuam, & non ſubditorum, eo quod bello ſubacti ſui iuris amplius non erant, & colonias ſibi prout placuit, conſtituerunt.

Eiuſmodi armorum lex ab ipſo Deo præſcripta fuit, Deutor. 20. ſi quando (inquit Dominus) acceſſeris ad expugnandam Ciuitatem, offeres ei primū pacem; ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo, ſin autem fædus inire voluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam, cumq; tra

diderit

„ diderit Dominus Deus tuus illum in manu tua, per
„ cuties in ea omne quod generis maſculini eſt, in ore
„ gladii, abſque mulieribus & infantibus, iumentis
„ & cæteris quæ in ciuitate ſunt, & omnem prædam
„ exercitus diuides.

Prohibuere Romanorum Principes propter malas ſeditiones & contentiones arma, ne penes priuatos eſſent, ne ve priuatis venderentur, neque alibi quam in publicum ſacrum armamentarium reponerentur, Iuſtin. in nouel. 85. ubi rationem addit, quia Deus inquit commiſit ſubditos Principibus vt illæſi & ſine calumnia cuſtodirentur, illis enim gladius commiſſus eſt, quando dictum fuit Petro, conuerte gladium tuum in vaginam, qui enim gladiū accipit, gladio peribit: ipſi uero Principes gladium portant non ſine cauſa; quia miniſtri Dei ſunt, ipſique ſoli, vitæ & necis à Deo acceperunt poteſtatē, vt deinceps per ſe, vel ſuos miniſtros, quando oportet, non temere, & contra quos oportet, eo utātur, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum.

Apertiſſimum itaque eſt omnem humanam creaturam tam ex iure naturæ & diuino, quam gentiū, & ciuili legitimis Principibus & reipub. directoribus ſubiici vt que iuſte quietè, & pacificè ab eiſdē regantur, defendantur & cuſtodiantur, enixe à Deo precādum, vt tales ſibi concedat, quibus ſe ſuumq; vitam bonaque omnia tuto committere poſſit, grauiſſimumq; præterea facinus admittere illos, qui ſibi quicquam de poteſtate quam non habēt, attribuunt, falſoque titulo coram aliis iactant, Vnde omnis religionis contemptus, Deique pariter, & hominum deſpectio, omnis denique uitiorum colluuies progeneratur, quorum bonorum pieque in Domino morientium vti uita eſt pro munere tanquam

æterna

æterna ſic contemptoribus omnis tribulatio, anguſtia, mors, denique ſempiterna condemnatio.

CAPVT XIII.

An Principatus ſit immediate à Deo vel ab hominibus.

EX ijs quæ ſupra diximus, facile quis mente aſſequi potuit, præſentis quæſtionis elucidationẽ, ſi enim Dei donum eſt principatus, & à Deo per populum expeti debet, facile ſequetur idem à Deo prouenire, & non ab hominibus. Nihilominus quando ſecus eſſe poſſet alicui videri, nos hic eandem, quantum ſat erit propoſito noſtro, expediemus.

Quia vero plures occaſione huius argumenti quæſtiones à pluribus excitari ſolent, quales ſunt, an Chriſtus Rex fuerit temporalis, & poteſtatẽ eiusq; vſum hic in terris excreuerit? Secundo an in collatione clauum regni cœleſtis Petro, & ipſius ſucceſſoribus eandem donauerit? Tertio an ita in Vicarijs Chriſti reſideat, vt neceſſario ab illis in Imperatorem, & alios reges & Principes deriuetur, quibus ommiſſis (hæc omnia iuditio, cum omni ſubiectione, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubijciendo) ſolum dicemus poteſtatem ſecularem non ſolum qua parte iam poſt Chriſtum natum, apud Imperatores, & Chriſtianos Principes manet, perpetuoque vſu obuerſatur, ſed etiam illa, qua ante Chriſti aduentum in carnem, apud infideles ex naturæ inſtinctu, & iure gentium exercebatur, à Deo Optimo Maximo eſſe & dependere. Secundo illam eandẽ poteſtatem ſecularem pro miniſterio Eccleſiæ Chriſti eſſe, eandemq; quando & quoties eidem San-

ctæ Romanæ Eccleſiæ viſum fuerit, in regibus & Principibus, dirigi & accommodari.

Quibus ſic poſitis cum diſtinctione rem aggrepiemur ex hoc, quod duplex eſt Dominium ſeu principatus, naturale alterum, alterum vero politicũ, ſiue ciuile, quorum primum competit alicui à natura, vt rem aliquam habeat, & eadem vtatur cum quadam ſuperioritate, & authoritate ad eam, quale eſt ius patris ſuper filios, & viri ſuper vxorem, & Domini ſuper ſeruũ, quemadmodum loquitur Ariſtot. primo polit. tale namque ius competebat homini à natura, atque ob id naturale dicitur. Politicum ſiue ciuile illud eſt, quod quidem ſupradicta authoritate informatum eſt, non autem prouenit à ſola natura, ſed vel per adinuentionem & collationem humanam, vel per diuinam ſpiritualem & ſupernaturalem diſpoſitionem.

Cuius diſtinctionis membrum primum ita propoſito noſtro accommodatur, vt vel plane ex illo ſumptum eſſe videatur, vel ſaltem non plurimum ab eodem diſtet, cum enim Deus omnibus rebus (vt ſupra primo cap. dictum eſt) per naturam indiderit facultatem, & potentiã, non ſolum ſe conſeruandi, ſed etiam ſuis contrarijs reſiſtendi, magis id hominibus ad ſimilitudinem ſuam efformatis, ne dum hoc, ſed etiam plus conceſſiſſe dicendum eſt, ita vt ſe non ſolum conſeruent tueanturque, quantum ad incolumitatem temporalis ſalutis, verumetiam per eiuſdem gratiam imitentur proſperitatem ſpiritualis, quam facultatem vtique homines vſurpare ſibiq; in bonum accommodare non poterunt, niſi ad inuicem conuenirent, vnde factis adinuicem congregationibus, ſibi mutuo melius ſufficiebant, pariq; offitiorum ſtudio coadiuuabant,

bant,

bant, quibus vnitionibus ſic initis, eodem inſtinctu naturæ ſibi vtilius eſſe arbitrabantur, ſi non ex ſuorum ſimilium perſuaſione; ſed vnius alicuius, ex omnium illorum votis electi viuerent, regerēturq; arbitrio, cuius ingenio hoſtes propellerentur, & malefactorum audacia comprimeretur. Fuit enim aliquando tempus, quo exigua regna fuerant anguſtique publicæ poteſtatis fines, vnoquoque rectore ſuis contento, & nihil aut parum à vicinis deſiderante, vnde tot antiquitus reguli memorantur, qui hodie marchionis alicuius, aut comitis uices ſubirent, at vbi inceſſit dominandi libido, vicinos ſubiugandi deſiderium, & inanis gloria poſſidendi, efferari cæperunt homines ad bella, nationes nationibus commiſceri, noui viuendi modi excogitati, & ſic paulatim ex malis moribus bonæ leges ortum ac ceperunt, quibus debiliores à fortioribus ſuperati regna, reges, & imperia ſibi conſtituerunt, qui poſtmodum ſucceſſu temporis, per generationes & familias propagari cœperunt, lentoque gradu ſe ſe perfectiori modo ad rationem illam, qua diuinitus inſtructi, Deumq; vnum agnoſcentes pręparabant, vt tandem duarum poteſtatum ſpiritualis & temporalis ab vno Deo diuinitus inſpirata ordinatio, in vnum quaſi coaleſceret, ſe ſeque deinceps vberius ab vnitate illa, & ordinatione diuina in plures partes totius corporis ciuiles diffunderet, ſicut vnguētum vt ait Dauid Pſal. 135. quod à capite deſcendit inbarbam, barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius.

Cuius rei principium dat Geneſis, exodus, & alij Sacræ Scripturæ libri, vbi politiæ humanæ à diuina per generationes domos, loca habitationum electa, familias, & ante & poſt diluuium generale

progreſſum animaduertimus, & quidem poſt diluuium Sem, Cham, Iaphet, filiorum Noachi generationes in alias familias, & gentes per orbem diuiſæ ſunt Gen. 4. 5. x. xi. ſic ex duodecim filijs Iacob, ex duodecim Patriarchis, ideſt primis patribus totidem diuiſiones generales exod. 6. num. 1. 2. & per decem prima capita primi lib. Paralip., qui omnes ſub lege Naturæ uiuebant, & poſt lapſum primorum parentum, Hæcque multitudinis per orbē dilatatio ortum habet ſecundum imperfectionis hominis neceſſitatem, & exigentiam remediorum: Certū namq; eſt humanam naturam à primo creationis ſtatu perfectam fuiſſe in ſua ſpetie, ſuiq; cognitionem, aliarumq; rerum & creatoris Dei noſtri habuiſſe perfectiſſimam, quibus omnibus rebus nomina dedit, iuxta ſuam vniuscuiusq; proprietatem, ſibique quid, & proximo, quidue ſuo ſuperiori Deo deberet agnouiſſe: poſt quam vero peccator effectus; ſubito ratio offuſcata, ſenſus debilitati, atq; opus malæ concupiſcentiæ, cum vitio ſuæ corruptionis abiuit in turpem quandam appetitionē, & iniquitatem, ſicq; poſt reparationem, hanc infirmitatem ſuamq; volūtatem propenſiorem ad peccandum effectam ſenſit, vnde continua lucta, & afflictio, qua boni meliores feri, maliq; emendari dictante hominis natura, & ratione (quę quamuis obſcurata ſit & maculata tamen non abolita) quam maxime conantur.

Cuius naturæ inſtinctum ſecuta eſt Chriſtianorū ars inſtitutioq; . Quid enim aliud eſt reipub. ſtatus, quam multorum ciuiū in vnum congregatio? cuius vt varia eſt natura, mores, ſic variam exigunt magiſtratus ſuperioritatem, quæ ſe ſe omnibus ex æquo & bono communicet: non enim diu conſtare poſ-

ſet,

ſet, niſi ab vno tanquam capite regatur, eſſetq; po tius acephalon quam ordinatum, & politicū quid. Sic ſane effectum eſt à natura primitus, vt homines ſibi certos magiſtratus deligerent, quibus ſuam tribuerent facultatem, alioqui tota congregatio ſine ordine & ſine capite eſſet, neque vnum corpus repreſentaret, neque ea prouidere poſſet, quæ expedirent, eademq; ratione reſpub. inſtructæ diuinitusq; magis edoctæ aliæ annales conſules, aliæ reges in perpetuū, aliæ principes ad tempus certum, aliæ alias publicarum adminiſtrationum formas ſibi inſtituerunt. Quod ordinationi diuinę conformæ eſt, totiq; Reipub. Chriſtianæ ſalutare; Inde enim plurimum apparet vtilitatis, huiusq; fœlix originis initium, quod ſcilicet Reſpub. Principes creauit diuinitus ordinata & inſtructa, tam per leges quas natura in omnibus rebus ingenuit, vt mari, & ventis, quam quas indidit hominibus: Quomodo ſap.4.cap. eiuſmodi diuinā prouidentiā cunctis ab initio adfuiſſe legimus, quo etiam cuncta gubernaſſe;
„ quoniam dediſti (inquit) in mari
„ viam & inter fluctus ſemitam firmiſſimam, oſtendēs
„ quoniam potens es, ex omnibus ſanare, in neceſſarijs neceſſarie, in contingentibus contingenter, in naturalibus naturaliter, à principio pertingens vſq; ad finem, & cuncta diſponens ſuauiter.

Neque ſecundarum cauſarum Deus curſum interturbare vult, ſed earum ſe accomodare actionib. vt tamen non interrumpatur eius diuina voluntas, quæ primis à cunabulis toti rerum vniuerſitati prouidet, vt increſcentibus temporum ſpatijs, annorumq; curriculis edocta. magis magisq; perficiatur ſeq; diuinæ eius ordinationi quum poteſt, maximæ accomodet.

Ob id

Ob id D. Paulus ad Romanos 13. cap., authoritatẽ Principum, regumq; & omnium magiſtratuũ ab ipſo Deo eſſe indèque originem ſuam accipere dicit, non enim (inquit) poteſtas eſt niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt: ordinatio vero iſta diuina voluit non tantum Principes inter Chriſtianos, & in lege noua exiſtere, ſed etiam inter infideles, quia non ſolum Chriſtiani Principes puniuntur, ſi abutantur Dei dono, ſed etiam ethnici & gentiles, quod aliunde non prouenit, niſi quod ordinatione diuinę reſtiterunt, quandoq; Deo ſic iubente, quandoque permittente (vt ſuperius inſinuatum fuit) accidit, itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.

Clarius hanc Dei ordinationem inter infideles inſinuat idem Diuus Paulus, ad Timotheum 3. cap. admone illos (inquit) Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe dicto obedientes. per illas vero poteſtates gubernari poſſunt plebes, in his quæ ſunt iuris naturalis, gratia namque naturam non deſtruit, ſed magis perficit, quod conſtat ex illo Danielis. 2. vbi legitur Deum cœli regnum & imperium dediſſe Nabuchodonoſor: Quia etiam in primordiis ecclesiæ omnes fermè principes infideles erant, ideo præcipit Diuus Petrus prima Pet. 2. hominibus, vt ſubiecti ſint omni humanę creaturæ propter Deũ, ſiue regi (inquit) quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis, quia ſic eſt voluntas Dei, vt obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, (&) ſerui ſubditi eſtote omni timore Dominus, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis: non aliam ob cauſam quam ut Dei ordinationem debito honore, & veneratione, etiam inter infideles agnoſcere doceat, & venerari, cui ſic ab ini

tio fieri complacuit, vt Principes non conſtituerit alium ob finem in orbe terrarum quam ad conſtituendum populum in ciuili quadam honeſtate ferendumque leges honeſtati & publico bono conuenientes, vt docet Dom. Soto de iuſt. & iur. lib. 1. q. 6. art. 2. 3. 4. & 5. quo fit ut ſic conſtitutus populus, nõ ſolum ſit cunctis ſuperior princeps, ſed etiam totius collectum corporis caput, totiq; ſic eminens, vt totam etiam ſimul punire valeat, nulloque vnquam tempore per rempub. à iure regni expoliari, niſi in tyrãnidẽ rudem vergat, atque tunc magis obedire oportet Deo quã hominibus, & legi naturæ, quæ ſuperiori vt deferre docet, ſic iuniori parcere, ſalutẽq; & pacem acquirendi viam demonſtrat, quod legibus antiquorum commune eſt, vt enim leges diuinæ ex neceſſitate obligant, & ex vtilitate tam ſubditos quam ferentes ita leges naturales, & illæ quæ inter populum ferũtur ex conſenſu & ſponſione cõmuni, & ex conſuetudine receptæ leg. 1. & pen. ff. de legibus.

Dum vero his legibus naturalibus vt ait Lactan. Firm. lib. 6. c. 8. aliquis derogat, vel in parte, vel in toto, ipſe ſe fugiet & naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo licet maximas pœnas etiam ſi cætera vitia, quę putantur effugerit; & hanc ſentẽtiam accepto fert Lactan. Cicer. ex eius lib. 4. de Repub. vt & idem Cicero primò de leg. lex inquit eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria, & hæc lex omnibus ante ſeculis nata eſt, quam ſcripta lex vlla, aut quam omninò ciuitas conſtituta, vnde illud Demoſthenis axioma legem eſſe cui omnes obtemperare debeant, cum ob plura, tum quod ſit munus Dei, quod datum eſt Principibus à Deo mediante

iure

iure naturę, vt eo vtantur ad populi bonum & Dei ordinationem.

Cui non repugnat populum ſibi ſubiectum ita naturæ iuribus gubernare, illiusq; adminiculo ad clariorem Dei omnipotentiæ bonitatis & prouidentię conſiderationem allicere, ſicut non repugnat, quod Sol, Luna, & Stella dominētur inferioribus, ſanctiſſimiq; Dei Angeli miniſterium nobis in laudem ipſius præbeant, huic enim rei confirmationē olim populo Dei ex Aegypto redeunti columna ignea, & nubes diei ducatum demonſtrans exhibuit, inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt, cognoſcuntur, ad Rom. primo.

Ob hoc in reliquo populo manifeſtior facta eſt ſapientia bonitas & benignitas Domini noſtri, vbi non mundi huius elementis vtens; ſed ſuamet pręſentia & voluntate perfecta, conſtituit ſibi reges & duces, cum quibus in ſpiritu ſuo conuerſatus, multam de futuro ipſius filij in carnem aduentu promiſſionem concredidit, nec ſolum in ijs quæ populi cauſam concernebant, aut armorum ſuſceptionis & depoſitionis ſignificationem habebant, verum etiam in tota Repub. adminiſtranda illorum vſurpandam docuit authoritatem, tam de legibus quā religione, qua ipſi authoritate fruiti ſunt. Philo Iudæus lib. 2. de temp. ob quod ego exiſtimo factum, quod Romani olim Imperatores & Pontifices dicerentur, vtpotè quod ampliſſimam in toto Imperio authoritatem obtinerent, religionemque & leges cum armis & ſapiētia adminiſtrarent. Qui reges perſtiterunt vſque ad Samuelem, ſecundum legem à Moyſe propoſitam, qui neque Diademate, neque ſceptro vt noſtri vtebantur, neque hæreditarij erant, ſed partim authoritate prudentum

crea-

creabantur, partim ab ipſo Deo excitabantur vocatione particulari, ſicut ipſum Moyſen, & poſt hunc Ioſue conſtituit ſingulari priuilegio & authoritate, poſt Samuelem vero poſuit Regem Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin. Iud. 3. Actorum 13. quo amoto dedit illis Dauid Regem cui teſtimonium perhibens dixit, inueni Dauid filium eſſe virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Cuius & ſi regnum partim ſpirituale partimq; temporale fuerit, & ea quidem parte, qua ſpirituale repreſentauerit Chriſtũ eiusq; in Ecclesia viſibili repromiſſiones futuras, & ſignaculum Dei, ideſt, circumciſionem atque æternæ naturæ ſpem aliaque Chriſti ipſius hic in terris ad inſtar Regis offitia & adminiſtrationem, vt ſunt ſacra inſtituere, & de ipſo veram doctrinam tradere, falſa dogmata delere, humanas quaſdam leges vel penitus tollere, vt diuinæ ſubrogentur, vel ita interpretari, vt diuinis ſanctionibus nulla ex parte repugnent, ſalutem item largiri, iuſtitiæ amorem in animis infundere, & cœleſtem ſubditis patriam donare; tamen ex illa parte qua temporale fuit, multo ſplendidius & magnificentius extitit, vnde illud minus apparebat, hoc vero cunctis palam factum eſt, quod ipſius verba declarant, Pſal. *99.* In matutino (inquit) interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem, & illud Pſal. 31. Iurauit Dominus Dauid veritatem & non fruſtrabitur eum, & de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, ſi cuſtodierint filij teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos, & filij eorum ſedebunt ſuper ſedem tuam vſque in ſeculum.

Nemini autem dubium eſt hanc promiſſionem

in poſteris Dauid ſecundum carnalem propagationem non adimpletam fuiſſe; quippe quod decem tribus, quæ à regibus ex poſteritate Dauid defecerunt, poſt reuerſionem ex Babilone vnum habuerunt ducem Zerobabel, ex Iudaica tribu procreatum, vt ait Theodoret. in c. 1. Oſeæ. Vnde tota ipſius poſteritas excidit: ſed ſecundũ fidem in Chriſtum qui conſtitutus à patre ſuo cœleſti vniuerſorum rex, & iudex futurus viuorum & mortuorum, à quo cum totum genus humanum redimendum erat, omniſq; ſui Patris voluntas in omnibus adimplenda, neceſſe, imo neceſſarium erat, vt ſic Dei patris ſui hic in terris maieſtatem adornaret, eidemq; tanquam ad finem omnia ſubijceret, quo non ſolum redempta captiuitas plebis exultaret, ſed etiã fœlicius & ſalutarius reges & principes ſub illo Duce Ieſu Chriſto militarent, iuſtitiamq; & pacem in populo exercerent, haberentq; poſt eum hic in terris, cui exhiberent perſoluerentq; miniſterium: non enim conſubſtantialis patri filius eſſe debuit contrarius, aut quod mille ab hinc annis ſummo rerum Deo moderatori ſic complacitũ fuit, hic perperam vel abnuere, aut ſine cauſa immutare, quamuis minime vlli dubium eſſe poſſit, quod directionem illam temporalem, ad ſui maiorem tutelam, & conſeruationẽ ipſius, poſt cęli in aſtra aditum, Vicario cõmittere voluit, qua is veluti Gallina ſuper pullos ſuos, pro animæ illorum ſalute & tranquillitate, iugiter incubaret, atque cœleſtibus armis contra ſpiritualia arma nequitiæ depugnaret. Ipſe vero Princeps temporalis aduerſus mundum, carnem aliaque contra Chriſtum eiuſq; Vicarium machinamenta fortiter dimicaret, ad hoc ipſe futurus Meſſias ſibi infirma, & quæ ſtulta huic mundo viſa

ſunt,

ſunt,elegit, vt fortia confunderet,propriamq; nominis ſui regalem compellationem detractauit,intelligēs ſane quod regnum ipſius non fuerit de hoc mundo, vtique non paſſurus duriſſimas à perfidis Iudęis ignominias,colophas & mortem,mortiſque iniquam contra ſe latam ſententiam, erat namque alijs ſtipatus militibus, poteſtatemque à patre ſuo in Caipham deriuatam agnouit,ideo non indiguit legionibus quas deſtinatas habuit.

Ec quid vero hic inuerſum explico? plena eſt ſanctorum patrum ea de re ſentētia, Chriſti Vicarium hic in terris habere ius in temporalia,quatenus vniuerſali finis ſpiritualis bono cōducit,exercere, Sanctus Thom. in 2. diſt.44. q.2. Bonauent. in 4. diſt. 37. Dur. in 4. Alexan. Alenſ. in 4.q.11.parte 2 §.2. Vnde de ſe ipſo teſtatur Chriſtus, ſe legem ſoluere non velle, ſed adimplere, omniaq; quæ conſtituta ſunt à patre ſuo cœleſti exequi, quare cum de ſoluendo tributo Cæſari quæreretur, reſpondit Cęſari reddēdum,quod eſt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei; Neque in ſacris euangeliorum monumentis de magiſtratu politico, regumque dominatione ab illo quicquam immutatū legimus,quæ cauſa eſt,quod patris ſui voluntas fuerit,vt non ſolum gentem ſanctam, Deoque acceptabilem reddat, atque regale ſacerdotium inſtituat, ad cuius miniſterium & defenſionem ſeculares reges & Principes, tanquam ad vltimum finem, omnem ſuam politicam maieſtatem componant, ſed etiam ipſiſmet Principibus vim & robur influat, atque in collato ſibi diuinitus miniſterio corroboret.

Quod ſanctiſſimum Dei Conſilium ipſe Chriſtus Dominus noſter, qui author eſt naturæ, & omnia ſuàui decentiq; ordine diſponit, inuitatus, nun-

quam commiſit, quod à primis eccleſiæ fundamentis SS. Apoſtolorum Petro & Paulo, vel minimum quid in gentiles Imperatores de foro aut tribunali ſeculari attentaretur, quātumuis ipſi poſt Chriſtum eccleſiæ totius gubernium acceperint; neque poſtea quidem accreſcente credentium multitudine, aliquem chriſtianum ipſi Apoſtoli ad dignitatem regiam euexerunt neque ſedente Clemente Octauo Pontifice verè iuſtiſſimo pariter ac clementiſſimo, atque imperante Rudolpho ſecundo inuictiſſimo Imperatore ſuorum Principum Germaniæ, quorum plures vel in fide ſuſpecti, vel penitus alieni, prouintię iuriſdictioneſve de hoc ſolicitatę ſunt, & ſi ab eodem Clemente atque alijs prædeceſſoribus ſuis ſanctiſſimis, œcumenicisq; concilijs, repetitisq; ſubinde literis, ad fidei agnitionem, veræque Religionis catholicæ communionem paternè inuitati fuerint: neque veriſimile iudico, eorumdem prouincias Principum, ſcilicet, Germaniæ, aliorumve, & regum, ſi ad ſaniorem mentem redierint (præter id quod fidei articulus in ſe continet) Romano Pontifici ſubiecturas, cum iam extante hæreſi, tanquam ſufficienti pro eo cauſa, ad id compelli nequeant: neque viſum fuit vnquam ſummis Pontificibus (fidei hæreſumque cauſis exceptis) vllo tempore, pro temporalium ſibi cum eiuſmodi obtinenda adminiſtratione bellum adſciſcere, quod argumento eſt ſimilium Principum regumq; ſeculariū iuriſdictionem, temporaliumq; adminiſtrationem à natura ita comparatam eſſe, diuinæque ordinationi ſic competere, vt nemo niſi planè alienus ab omni humano iure, eandem conuellere aut diſrumpere moliatur.

Verum quia huc præter intentionem incidimus,

ne ſincerum candidi lectoris animum ſuſpenſum reddamus, aliudq; forte de iſta materia cogitātem, vel in errore, vel ſiniſtra ſuſpitione relinquamus, vos quibus aliud nihil curæ eſt, quam in primis Dei honorem & gloriam, Sanctæ Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ incrementum, atque ipſius poſt Chriſtum hic in terris vicem gerentis, Clementis Octaui Pontificis Optimi, eiusq; Sanctæ Sedis Apoſtolicæ vigilantiſſimi paſtoris præcellentiam, exaltationem & conſeruationem, iuraq; omnia & priuilegia conſeruare, ſemota omni inuidia, ac ſiniſtræ cogitationis argumento, hanc diſtinctionem ſubijcere voluimus, & quandoquidem plurimum hinc inde inter ſeſe pugnantes rationes, iura & hiſtorias ſuper eaſdem re inueſtigauimus, quibus nec dum planè aſſentientes, quid demum (ſaluo aliorum ſemper meliori iuditio) nobis diſputationis modo occurrerit, aperiemus, biſariam, ſcilicet, intelligi poſſe obiectū illud, quo qnæritur, an, & quo iure Imperatores reges & principes, ſanctiſſimis Eccleſiæ Romanæ pontificibus ſubiaceāt vel ratione religionis illorumq; actuum, quibus ſpiritualium ſanctiones conſeruantur, & defenduntur, vel ratione temporalis poteſtatis, quæ politiam quandam & reipub. adminiſtrationem à Deo illis conceſſam reſpicit, quæ duo cum diuerſa ſint, clarumq; iuribus ſit, quod quemadmodum ſeculares Principes ipſis ſpiritualibus, ſic viceſſim ipſi ſpirituales ſecularibus principibus ratione temporalium prædiorū, ob ſolum feudum, obedientiam mutuò exhibeant, de feudo namque Imperatoris, vel alicuius alterius Principis perſona eccleſiaſtica inueſtita, tenetur coram eo de cauſa feudi reſpondere, & pro illo etiam obſequi, vt cap. tributum, 23. q.8. c. fin. de reb. eccleſ. non alien. &

fide-

fidelitatem exhibere, vnde inconueniens nullum videtur, ſi Imperator & alij reges & Principes ſanctiſſimos Diui Petri eius in ſublimi ſolio ſucceſſores recognoſcant, fidelitatemq; ipſis iurent, & obſequium.

Quæ mutua reciprocatio iure naturæ non diſſentit, vt ſicut in ſpiritualibus primo Deum colimus, atque reueremur, ſicq; ob agnitionem ſupremi dominij in temporalibus debitum exoluimus, pariq; honore illos proſequimur, quibus talis vel ſimilis honoris præcellentia ex ſorte Dei obtigit, nec ideo monſtrum in natura ſequi dicimus, aut duo vni corpori capita apponimus, cum liqueat ex anima & corpore vnum perfectumque hominem conſtitui, qui quanto inter ſe diuerſa ſuſtinet, vt pote animam immortalem, corpus vero mortale, tanto etiam diuerſarum functionum corporis & animæ ab inuicem ſeparatarum cuilibet opus incumbit, ab vna tamen eademq; numero & ſpecie anima, hæc omnia reguntur: ſic pari modo, quantumuis aliud ſit regimen temporale & aliud ſpirituale (vt in ſequenti capite dicemus) vtriuſque etiam diuerſa ſint munera & functiones, ita tamen omnium iſtorum functiones ad vnum collimant ſcopum, vt duo quidem in actionibus corpora eſſe videantur, re vera tamen ab vna eademq; anima ſpirituali poſt Deum, ſcilicet, Chriſti Vicario regulantur, ſicq; non duo, ſed vnum corpus, vnumq; caput viſibile conſtituitur, & hoc eſt quod initio huius capitis in ſecundo prioris diſt. membro meminimus, ſanctiſſimos Chriſti Pontifices ab ipſo Deo, & homine per Chriſtum authoritatem talem, non immediate, ſed intercedente Diuo Petro ſpiritualem plane, & ſuper naturalem in omnes homines accepiſſe, non ſolum uos

ſibi

ſibi fidelitatis teſtamẽtum ob temporalia ſubiugat, ſed etiam, quos fidei & religionis profeſſio ſanctæ vnitatis vinculum obligat.

Ex quo & illud ſequi neceſſe eſt, quos hactenus nulla eiuſmodi fidelitatis teſſera conſtrinxit, illos principes & Reges ob temporalia plurimum debere Pontifici, ex quo & ipſi pontifices eiuſmodi Regum Principumq; priuilegia vel reſtituiſſe in integrum, vel de nouo auxiſſe legimus; ſic Clemens V. in extrauag. cap. 2. commeruit, de priuil. in extrauag. comm. talium Principum immunitates priuilegiaq; aduertẽs, quibus cęlitus à Deo donati ſunt, nonnihil immutata à prædeceſſore ſuo Bonifacio VIII. in extrauag. vnam ſanctam. de maior. & obed. eadem redintegrando declarauit expreſsè, quod meruit chariſſimi filij noſtri Philippi Regis Francorum Illuſtris, ſincerè affectionis ad nos & Eccleſiã Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt, Et poſt pauca; hinc eſt (ait idem Papa) quod nos regi & regno, & definitionẽ & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri, nullum volumus, vel intendimus præiuditium generari, nec quod per illam Rex, regnum & regnicolæ prælibati amplius Eccleſiæ ſint ſubiecti, Romanæ, quam antea exiſtebant, ſed omnia intelligantur in eodem ſtatu eſſe, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantum ad eccleſiam, quam etiam ad regem, regnum & regnicolas ſuperius nominatos.

Quod idem de alijs regibus, regnis & poteſtatibus dicendum eſt licet non pendeant à fidelitate, & feudo eccleſiæ, nam Imperatorum aliud eſt ius, aliud regum Galliæ, Hiſpaniæ, & aliorum regnorum.

Impe-

Imperatores recipiunt diadema à ſummo Pontifice, & prębent ei iuramentum fidelitatis, cui ſponte ſe ſubmiſerunt, Clem. 1. de iureiur. c. tibi domino, 69. diſt. & Clement. Paſtoralis, de ſent. & re iudic. eo ſacramento fidelitatis ſpetiali, ſicut & Rex Siciliæ, & alij quidam, ideo & de illis ſi in eorum adminiſtratione exceſſerint, decernere poteſt, quomodo forte rectè dixit Benedictus XII. vacante Imperio, omnem eius poteſtatem in ſummum Pontificum Ieſu Chriſti ſupremi regis vicarium recedere vnicum in terris, vt ait Platina in eius vita, alio qui antè translationem Imperij in occidentales, etiam ipſi Imperatores nullum recognoſcebant ſuperiorem in temporalibus, quam vis in ſpiritualibus indigerent Pontifice, ita diuinitus dicitur Imperator conſecutus imperium, & à cœleſti maieſtate habere gladium 6. 1. C. de vet. tur. enucl. cap. quæſitum, 23. quæſt. 4.

Neque ſolum eiuſmodi poteſtatem ſibi Pontifices in temporales Principes ex donatione Conſtantini Magni vſurpare, quando id plures etiam catholici aſſerunt, multa præter Coſtantinum in Romanam Eccleſiam acceſſiſſe, multaq; eidem ex aliorum Principum largitione, in hodiernũ vſque tempus accedere.

Quamuis non me lateat quam ſtrenue hactenus à plerisque contra prædicti Conſtantini donationem debellatam fuerit, quibus non tam Conſtantini donatio offendiculo eſt, quam ſanctiſſimorum Romanæ & catholicæ Apoſtolicæq; eccleſiæ Pontificum, ſub eadem informata ſtabilitaq; poteſtas, cui vt infentiſſimi ſunt, ſic eandem omnibus conuitiorum flagris laceſſere non deſinunt: ſentientes vtique in nullo tunc haberi pretio, ſanctiſſimum Eccle-

Eccleſiæ ſtatum, ſi huiuſmodi donationibus Principum (vt partim factum eſt) obſiſteretur, breuiq; omnia à Tyrannis fidei inimicis obtrita conſumptaque iacere: ſed nihil minus factum experimur, cum poſt Conſtantinum magnum, Theodoſius idem pietatis exemplum ſecutus, multis eccleſiam Dei locupletauit honoribus, atque vt noſtratium annales tradunt, chriſtiani Hiſpanarum Reges, poſt Mauros ex prouincia bellis debellatos, pro partis victorijs de eorundem opibus, ciuitatibus, & quæ ex hoſtium manibus eripiebantur, eccleſiam deſuper inueſtierunt, ſicque nunquam interrupta fuit ſucceſſio eius, quin multorum Principum catholicorum, & Heroum, ad continuandam eccleſiaſticam amplitudinem donationes vbique prædicantur, multaque ex illis turba relicta, eiurataq; contra Deum, & fidem Romanam impietate, ad Chriſti ouile, eiusq; Vicarij in terris caulam redijt: quod & his temporibus paſſim in Germania fieri videmus, vbi ſummas rerum habenas tenet & moderatur inclyta Auſtriacorum domus, quæ tanto deſiderio vnoq; & ſincero in hanc ſanctam ſedem amore flagrat, vt nihil non moliatur, quod illius ad dignitatem colluſtrandam, propagandamq; ſpectet, pro quo & illi proſperos rerum ſucceſſusq; finesq; fœliciſſimos Dij præcantur, immortalesq; gratias quas poſſunt referunt, ipſique ſummi Pontifices, eiuſmodi Principum vota grato proſequuntur fauore, ſibique non tam quam illiſmet accepto referunt, largamque manum ad omnem euentum eiſdem Archiducibus Auſtriæ in ſubſidium illorum pollicentur. Quod quam clementer ſuperioribus annis id præſtiterit Clemens Octauus ſummus Pontif. modernus, quando contra Turcarum ad fines

Vngariæ inualeſcentem tyrannidem, multo auro argentoq; conductum militem iſthinc ablegauerit, atque nunc pro eadem neceſſitate ſe ſe facturum parat, notum omnibus eſt, vt inde vel ſolum pateat, quam ſint idem Romani Pontifices ad regna imperiaq; catholicorum Principum defendenda, conſeruandaq; paratiſſimi, quod ob id merito male audire debeat de Romana eccleſia, qui eam auri poteſtatisq; ſecularis cupidam, atque quod dirius eſt, Imperatores regesq; & Principes ſine cauſa ab eorum ſedibus deturbare inſumunt, quod neque licere ſummo Pontifici, neque regnis ſeu prouincijs id conſultum fore, ipſa ratio naturalis edocet, quæ ſuum cuiq; tribuere, & quod ſibi inferri nolit, alteri non inferri ſuadet, nullumq; regnum ſic tutum eſſet, nullaq; reſpub. certa, imo & Imperium quod ſibi Germani vendicant, poſſet taliter aliquando per ſummum pontif. in alios transferri, qui ſibi forte magis familiares cognatique eſſent, pro quibus Gregorius Quintus in Germanos tranſtuliſſe imperium ſcribit Platina, in eodem, & quod Germanus is eſſet, & quod Ottonis Imperatoris authoritate, & affinitate pontifex creatus fuiſſet, denique quod ſuppetias accepiſſet à Germanis, & Ottone, contra Antipapam electum à communi populi clerique conſenſu, qui Ioannes decimus ſeptimus dictus, fuitq; Epiſcopus Placentinus: forſan tamẽ aliæ iſtius translationis extiterunt cauſæ quas ego doctioribus relinquo, hoc autẽ aſſeruerim, ſaluo ſemper iuditio eccleſiæ, quod & ſi quadantenus in huiuſmodi Pontificum potentatibus pateat elationis præcipitium, nunquam tamen vllum Pontificem ſua poteſtate in, & aduerſus Imperatores leges, & principes ſine euidenti cauſa, & ipſiuſmet, vel regis

vel regni ſui diſcrimine, apertaq; fidei & eccleſiæ immunitatum oppreſſionem vſum eſſe, quod enim à quibuſdam adfretur de Sanctio Rege Portugalliæ, quod is iuſſu Innocentij IIII. Alphonſo fratri ſuo regno ceſſerit, non tam ſapit priuationem quam ſpontaneam ceſſionem, vel potius reſtitutionem, occupauerat re Sanctius ſecundus regnum Legionenſe fratris Alphonſi, & regnum fratris. Garciæ Altioris vero ordinis maiorisque difficultatis eſt factum illud Zacchariæ Papæ, in canone alius 15.q.6. vbi dicitur quod is regem Francorum Childericum, non tam pro ſuis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ poteſtati erat inutilis à regno depoſuerit, ſed rem diligentius conſideranti, aliud forte occurret, ibi namque ad gloſ. depoſuit, notatur, ideſt, deponentibus conſenſit, ex quo non tam authoritate pontificia, quam libera voluntate ceſſiſſe conſpicuum eſt.

Præterea leges, & canones prohibent aliquem regni ſui iure expoliare propter inutilitatem, ſed addendum eſſe coadiutorem, qualiter feciſſe legitur Bonif. 8. in c. 2. de ſupplen. neglig. prælat. in 6. vbi cum Rex Portugalliæ non tam negligens eſſet, & remiſſus, ſed dilapidator bonorum, atque proſtitutor monaſteriorum, ſubſtituit ei Bonifacius comitem Bolonenſ. regem prædicti fratris, qui poſt mortem regis ſucceſſurus erat, vt ibi verba expreſſe declarant: ſimiliter faciendum fuiſſet in cauſa Childericci, præter quam quod is, vt ibi dicitur, non pro ſuis iniquitatibus depoſitus ſit, ſed quia multo ante eum alij reges inutiliter præfuiſſent. Neque id à Zaccharia, ſed à Stephano ſecundo, qui Pipinum in Italiam contra ſibi infeſtos Longobardos vocauit, venientemq; abſoluit à iuramento præſtito Childe-

rico, illo inaudito, non vocato, indefenſo, neque accuſato factum ſcribit Eghinartus Caroli Magni Cancellarius, additq; Aimonius lib. 4. c. 58. quod iſtius cauſæ conſultatio ad Zacchariam remiſſa fuerit, & antequam decideretur, iam regno potiti erãt Pipinus & Carolo manus, vt ibidem c. 59. Quare conſiderato illius regni pro tempore ſtatu, meritiſque cauſæ Childerici, non difficile erit cognoſcere, qualiter is depoſitus fuerit, cum ſæpius contingat ex male narratis iudicem decipi, pro vt ad ſuggeſtionem Pipini, potuit decipi Summus Pontifex, vel propria opinione, vel ex male narratis. Neque in conſequentiam trahi debet, illud Summi Pontificis factum Formoſi, anno Domini 897. vt ſcribit Rhegino lib. 2. Chronic. qui ſemoto Carolo III. Imper. dicto Craſſo, filio Ludouici Balbi, & nepote Caroli Imper. ſubrogauit in eius locum Carolo manni filium Arnolphum, qui antequam coronatus ab eodem Pontifice anno 897. iam Carolus Craſſus deſtitutus fuit, atque Arnolphus vſurpauit regnum anno 887. vt ait Rhegino lib. 2. qui præceſſit Formoſum, neque is ait, hoc ex Pontificis authoritate factum eſt, ſed poſtquam bonus ille, & Deum timens Imperator Carolus, & corporis, & animi viribus deſtitui cœpiſſet, optimates regni Arnolphum filium Carolo manni in regnum attrahunt, & facta conſpiratione ab Imperatose deficiunt, & ad prædictum regem certatim tranſeunt, ita vt in triduo vix aliquis remaneret, qui ei ſaltem offitia humanitatis impenderet, cibus tamen & potus ex Luidperti epiſcopi ſumptibus adminiſtrabantur.

Hic porro chriſtianiſſimus Imperator Carolus, Deum timens & mandata eius ex toto corde cuſtodiens,

diens, & cæteris orationibus & pſalmorũ melodijs indeſinenter deditus, cũ omnibus dignitatibus denudatus, bonisq; omnibus ſpoliatus eſſet, tentatio fuit vt credimus, non ſolum ad purgationem, ſed quod maius eſt, ad probationem. Poſt cuius mortem regna, quæ eius ditioni ſuberant veluti legitimo deſtituta hærede, in partes à ſua compage reſoluuntur, quæ cauſa magnos bellorum motus excitauit, vt ſcribit idem Rhegino lib. 2. Epitomes hiſtor. & Platina in Stephano ſexto, & in Formoſo primo, vbi dicit Arnolphum mortuum morbo pedeculari in recompenſam tantæ proditionis & rebellionis in legitimum Imperatorem, deſtitutionisq; iniquæ.

Non debent impetrata aut extorta à pontificibus per ſuggeſtionem falſam, vel obreptionem valere in præiuditium alterius, vel ad effectum deduci, quia ſedes iſta iuſtitiæ cultrix eſt, & præter intentionem aſſenſus datur, eo quod eorum reſcriptis perpetuo addi ſolet, ſi preces veritate nitantur, & ſine præiudicio tertij inauditi l. 1. §. ſi quid à Principe. ff. ne quid in loco publico.

Quod vero dicitur de priuatione Henrici IIII. & Federici II. ſuperius iam dilutum eſt, eo quod iſti Romano Pontifici homagium fidelitatis dederunt, fidemque iurarunt, quod ad alios applicari nequit.

Scio inſuper quod electores Vvenceslaum regem Romanorum tanquam inutilem ab imperio depoſuerunt, quod quia factum, non ideo iuſtum eſt, neque ſimile illorum exemplo attentandum, præcipue quod donatum reuocari non poſſit, ſemel tranſlato dominio, talisq; depoſitio magis pertineat ad contumeliam quodammodo tãtæ poteſtatis, quam ad eiuſdem cõmendationem, quod fieri nõ debet.

Neque

Neque ſimile aſſerendum de ſanctiſsimis Pontif. ſi quandoque plus æquo in Principum regumq; facta animaduertiſſe legantur, cum & ipſi homines ſint, errareq; poſsint in talium ſimiliumq; Principum cauſarum diſcuſsionibus, nec aliud ex hoc illorum facto concludendum eſt, quam quod fidei religionisq; catholicę propagandæ occaſionem dare velint, & nullo pacto impijs rebellium & ambitioſorum concilijs authoritatem præbere, qua ſic Principes opprimãtur, regiaq; poteſtas à Deo diuinitus conceſſa illudatur.

Quare vt omnia quæ hactenus diximus, in vnum colligamus, certum eſt Deum optimum max. ſuperioritatem ſecularem, vt neceſſarium ſuæ diuinæ voluntatis inſtrumentum hic in terris conſtituiſſe, primamq; eius à natura originẽ inuexiſſe, quam poſtmodum ſuccedente tempore euidentioribus principijs ſignisq; comprobauit, atque ſub eccleſiaſtica Hierarchia tutiſsimum illius fundamentum præſidiumq; poſuit, ita vt neque ſupremus eccleſiæ catholicæ Hierarcha, eiusq; ſolio reſidens Clemens VIII. Pontifex Max. aliud ſibi depoſcat, quam fidei, & religionis obſeruantiã ſanctamq; iuſtitiæ, morum & omnis honeſtatis venerationem, vbi ſi quid ſecus factũ fuerit, ipſius partes erunt, ad æqualitatem ſanctæ Religionis omnia complanare, & ſic demum per hæc clareſcit, quod ſupradiximus poteſtatem, ſcilicet, ciuilem ita dependere à ſpirituali vt ab illa inſtituatur, ſuamq; accipiat facultatem, ab illave poſsit vel amoueri Rex vel cogi, vel corrigi, quando à diuinis legibus ſineque ſpirituali rebellaret.

CAPVT XIIII.

Vtra ſit maior, ſpiritualis, vel ſecularis poteſtas, & quomodo diſtinguantur ambæ ab inuicem.

NVnc illud nobis diſquirendum incumbit, cuius maior iſtarum poteſtatum ſit in orbe chriſtiano authoritas & amplitudo, & in quibus altera ab altera dependeat, mutuoq; à ſe inuicem diſtinguantur. Sanè vtriuſque Deum authorem agnoſcimus, earundemq; variũ iuxta proprium vniuſcuiuſq; rationis modũ, effectũ videmus, quemadmodum ipſa nominis appellatio exprimit, quod aliud ſit regnum ſpirituale, aliud & ſeculare, quantumq; vnum ab altero excedit, tantum etiam præ alio æſtimandum ſit, vt cœleſtia terreſtribus, æterna caducis, ſic regnum ſpirituale cum ſeculari comparatũ, longe hoc & dignitate, virtute, & authoritate excellit, longeq; maius onus illi incumbit; idcirco præſtantior anima in corpore eſt, vtrumq; vero ad honorem ſalutem, & totius vniuerſi decorem, & maieſtatem mirabiliter conducit, & pro rerum cauſarumque, & negotiorum varietate expediens eſt, quod perpulchrè oſtendit Sanctus Ioan. Chryſo. in explanatione Pſal. 121. In Hieroſolymorum (ait) illa Ciuitate, duplex erat populus ſacerdotum, & regum vno vinculo coniuncta, cum veluti quadam duplici corona, & diademate coronaretur ciuitas, per hęc omnia, illic iudices, ad quos cauſæ quæ multorum captum ſuperabant referebantur, ſi enim aliqua inqua lata fuiſſet ſententia in alijs ciuitatibus

de

de qua dubitaretur, vt euenit in appellationibus, ad iudicum qui erant Hieroſolymis cognitionem, & ſententiam referebant, illic autem accipiebatur reſolutio, & nonne (inquit Cirillus Epiſcopus Hieroſolimit. cathecheſi 17. & 18.) illuminatorum habet eccleſia vitulum & taurum cum leone ſimul paſcentes, ſicut ad hodiernum diem cernimus, mundanos Principes regi & inſtitui ab eccleſiaſticis. Iuſtinianus vero in nouella ſexta maxima ait in hominibus eſſe dona à ſuperna collata clementia, ſacerdotium & imperium, & illud quidem diuinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens, ac diligentiam exigens, quæ ex vno eodemq; principio vtraque præcedentia humanam vitam exornant, mutuoq; ſe ſe iuuant, vt ait Nicolaus Papa primus epiſtola 7. ad Michaelem Imperatorem, vt quod non poteſt eccleſiaſtica diſciplina perficere, principum ſecularium poteſtas exequatur c. Principes ſeculi, cum quatuor ſequent. 23. q. 9. Quod vero præferatur principatus ſpiritualis ſeculari, & dignitatibus ſecularium principum, pluribus confirmatur in c. omnes ſolitæ. de maior. & obed. per Gregor. & Boniſ. in c. vnam ſanctam. de maior. in extrauag. com. vbi iubetur à Deo, ſacerdotibus obedire, ex eo, quod Samuel primum regem Saul vnxerit, quodque duos gladios in eccleſia ſufficere Chriſtus dixit, & decimas ſolui leuitis, ab illisq; benedici quodque vnus Deus, vnum baptiſma, vna fides, vna eccleſia, vnaque archa, in qua & principes ſeculares ſunt membra, vnum vero caput ſummus Pontifex.

Quæ vt olim coniuncta ſimul ſtabant, ſic poſtmodum ex Dei mandato per Samuelem diuiſa ſunt ab inuicem, ita vt alius ſit ſtatus ſeculari um, & aliorum ſpiritualium, quam quilibet ſub ſe alios atque

alios

alios habeat magiſtratus & offitiales, vnus autem vtrinq; omnium ſit rector & antiſtes.

In eccleſia quidem diuerſi ſunt ſtatus & principatus, Pontifex ſupremus, princeps ſacerdotum omniumq; eccleſiarum, Patriarcha patrum Princeps, Archiepiſcopus princeps Epiſcoporum, Epiſcopus princeps ſacerdotum, ſic in ſeculo maieſtas imperatoria primas tenet inter omnes principes ſeculares, mundiq; Princeps, & omnium ſupremus dicitur iuxta Baldum in l. 1. C. de iuriſdic. omnium iud. & omnes iuriſdictiones ab eo ſicut è fonte in alios deriuantur, omnium inferiorum magiſtratuū creatio ad ipſum ſpectat, adeo quod ſacrilegij reatum in currat, quicunque Principi obſtare velit, ſuper quacunque dignitate, vt eſt textus apertiſſimus in l. ſacrilegij. C. de diuerſ. reſcript.

Lex porrò Chriſti ſacerdotali poteſtati multo ampliorem dedit poteſtatem atquę perfectiorem principatū, ne caro ſpiritui dominetur, ne ve à terreſtribus ſpiritualia ſuperentur, & diuina ab humanis, ideo Imperator Reges & Princeps, filij ſunt ſacerdotum Chriſti, vnde illis obedire, & non dominari dicimus, quę omnia in ſpiritualibus ſibi locum vendicant, in quibus nullo reclamante, potior ſanctiorq; eſt authoritas ſacerdotum, digniorq; pontificalis ſeculari.

In alijs vero plane diſtinctæ ſunt, habet enim quælibet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis conſecuta eſt, vt eius beneficijs non ingrata contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil vſurpet, vt contentum eſſe imperium ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debeat, ſine vſurpatione eorum, quæ ſolis ſacerdotibus Domini conueniunt, vt dicitur in cap. ſi

Imperator, 96. diſtinct. & cap. Imperium, diſtinct. 10. & cap. quoniam idem mediator eadem diſtinct. ad hoc quod Deus actibus proprijs & dignitatibus diſtinctis, offitia poteſtatis vtriuſque principis, & ſpiritualis & ſecularis diſtribuit, quomodo Diuus Paulus eccleſiaſticam poteſtatem, 12. ad Roman. cap. & alias ſæpe, humano corpori comparauit, vt inde cunctis manifeſtum faceret, ita ſingulis ſtatibus propria munera ſingulari Dei prouidentia fuiſſe deſignata, quemadmodum in humano corpore, quodlibet membrum, proprium munus habet, nec eſt quod alterum alterius functionem exerceat, ita in chriſtiana repub. ſinguli ſtatus proprias exerceāt functiones, alienam vero meſſem inuadendam ſibi
„ nemo perſuadeat, dico enim (inquit ille) per gra-
„ tiam Dei quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter
„ vos non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſape-
„ re ad ſobrietatem & vnicuique ſicut Deus diuiſit
„ menſuram fidei: ſicut enim in vno corpore multa
„ membra habemus, omnia autem membra non eun
„ dem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus
„ in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, ha
„ bentes autem donationes & gratiam quæ data eſt
„ mihi differentes, ſi enim totum corpus (ait primo
„ ad Corinth. 11.) vbi auditus? ſi totum auditus, vbi
„ odoratus? nunc autem poſuit Deus membra, vnum
„ quodque eorum in corpore ſicut voluit, quod ſi eſ-
„ ſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc au-
„ tem multa quidem membra unum autem corpus.

Quam ſententiam mirum in modum amplificauit D. Greg. Nazian. in Apol. cur in pontum fugerit, ora. 1. Quemadmodum enim (inquit ille) in corpore aliud membrum principatum tenet, ac ueluti præſidet, aliud ſubeſt ac regitur, qua meritum cu-

iuſque

iuſque perpendit, vel etiam prouidentiæ per quem omnia inter ſe deuinxit, hoc in eccleſijs conſtituit, vt alij paſcantur & pareāt (quibus id vtilius eſt) ac tum ſermone tum opere ad offitium dirigantur: alij contra ad eccleſiæ perfectionem paſtores ac magiſtri ſint: nimirum qui virtute coniunctione & familiaritate apud Deum vulgo ſublimiores ſunt, rationem animæ ad corpus, aut mētis ad animam obtinentes, vt hæc duo, hoc eſt, & id quod defuit, & id quod redundat inter ſe, velut in membris compoſita & compacta, ſpiritusq; compage connexa, & colligata, vnum corpus omni ex parte perfectum, atque ipſo Chriſto, qui caput noſtrum eſt, omnino dignum exiſtant.

Ex quo Sanctus ille Theologus ex vniuerſis eccleſiæ ordinibus corpus vnum, cui veluti anima paſtores ſunt, cōpactum demonſtrant, quæ cum principium omnium vitalium actionum exiſtit, eaque deficiente, omnes reliqui motus intercluduntur; ſic ex adminiſtratione eccleſiaſticæ poteſtatis omnia membra ſecundum ſtatum ſuum ſpiritualiter viuificantur, & Deo, peccatorum remiſſione accepta, reconciliantur, quos cum timore, & tremore nos audire oportet, & fide ſincera eorum faciem reuereri, quia ſunt Dei miniſtri, & illius formam poſſident.

Cui in contrarium plurimos affectata malitia in inſaniam trahit, immemores ſui proprij ſtatus, & ſe pedes eſſe minimè cogitantes, legem oculis Dei volunt imponere, oculos namque Dei appellauit ſummos Antiſtites eccleſiæ catholicæ, Baſil. epiſt.30, & Amb. de dignit. ſacerd. c.6. illos oculorum in eccleſia fungi offitio eleganter ſcribit, inſanit igitur inquit, qui pedes oculis & ventrem ca-

piti legem præſcribere debere contendit.

Huius rei olim quidam Imperator peracta ſinodo, quæ Conſtantinopoli habita fuit, eleganti quadam oratione qui tunc aderant, vſus his verbis, laicos admonet: De vobis autem laicis tam qui in dignitatibus quam qui abſolute conuerſamini, quod amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonem moue re, neque penitus reſiſtere integritati eccleſiæ, & vniuerſali ſynodo aduerſari: Hoc enim inueſtigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, Sacerdotũ eſt, qui regiminis offitium ſortiti ſunt, qui ſacrificandi, qui ſoluendi, & ligandi poteſtatem habent, qui eccleſiaſticas ac cęleſtes adepti ſunt claues, non noſtrum qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel ligamento ſolui egemus. Quantæcumq; enim religionis & ſapientię laicus exiſtat, vel etiam ſi vniuerſa virtute interius polleat, donec laicus eſt, ouis vocari non deſinit; rurſusq; quantumcunque Epiſcopus ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antiſtes eſt, & vnitatis verbũ recte prædicauerit, paſtoris nominis & dignitatis damna, non patietur.

Clarius forte hic ſanctiſſimus Imperator de Dei miniſtris, atque eccleſiæ præfectis verba fecit, quam quibuſdam placeat, verum fortior & ipſis Principibus (vt ait Eſdras) eſt veritas. Eleganter idipſum adnotauit Gregorius Nazian. oratione 9. oues (inquit) paſtores ne paſcite, nec ſupra fines veſtros aſſurgite, ſatis enim vobis eſt, ſi recte paſcamini, iudices, ne iudicate, nec legiſlatoribus leges pręſcribite, non eſt enim diſſenſionis & confuſionis Deus, ſed pacis & ordinis, ne quis igitur caput ſit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis

mem-

membrum eſt; verum quo vocatus eſt, in eo gradu quiſque maneat, etiam ſi alioqui præſtantiori dignus ſit, plus vtique laudis habiturus in eo, qui præſenti gradu acquieſcit, quam ſi cum quærat quem non accepit, ne quis cum periculo alium ſequi liceat, præire cum periculo expetat, nec obedientiæ lex quæ tam terrena quam cęleſtia tuetur atque conſeruat, infringatur: neque committamus vt præfectorum multitudo in diſſolutam ſine vllis præfectis viuendi licentiam recidat.

Nec in hoc ſolo conſiſtit eccleſiæ & pręfectorum illius authoritas, & authoritatis dignitas, quod paſcere nos habeant cœleſti illo & ſupernaturali cibo, quodque nobis errantibus viam veritatis oſtendant, ſed in hoc potiſſimum, quod ſi quando contra huius veritatis fundamentum noua dogmata oriantur, lateq; in populo Dei graſſari incipiant, communi plurimorum patrum conſilio & iuditio, eiuſmodi prauæ doctrinæ authores condemnet, iuſtumq; quidve iniuſtum ſit ſtatuat, cuiuſmodi vt alia præter mixtum, ab Alexandro vrbis Alexādriæ Epiſcopo contra Arrium, Achillam & eorum aſſeclas factum fuiſſe teſtatur Socrates lib. 1. cap. 3. Arrius cum hæreſi ſua Alexandrinam eccleſiam adeo permouit vt peſtifera & exitioſa illius labes inde per vniuerſum Aegyptum, Lybiam & ſuperiorem Thebaidem multas deniq; alias prouincias increbuiſſet Alexander quos diligēti admonitione, & diſputatione frenare non potuit, multorum Epiſcoporum conuocato Concilio Arrium & eius ſectæ viros omnes presbyterij gradu deiecit, qua de re ad Epiſcopos cuiuſq; ciuitatis literas dedit, quibus ſe & ſuis fautoribus anathema dixiſſe, teſtatur, nec ſic quidem malum hoc extirpari potuit, ſed ſub quorundam preſulum

tutela, & patrocinio, ad quos ſic depoſiti confugerāt, patronosq; implorarēt, ſerpſit, donec vndiq; acceſſitis Epiſcopus vt ſe ſe Nicęā Bithyniæ cōferrēt, ex omnibus (vt ait Euſeb. lib. 3. de vita Coſtantini) eccleſijs quæ vniuerſam Europam Lybiā & Aſiam occupabant ſicque in vnum collectis trecentis decem & octo, Arrius & eius opinionis ſectatores, & fautores ab eccleſia catholica anathemate ferirētur, & tunc ſiluit vniuerſus orbis.

Ecce quos tumultus & contentiones centum fere Epiſcoporum conuentus ſedare non potuit, vniuerſale eccleſiæ Concilium ſopiuit, ecce maximum eccleſiæ Deiq; miniſtrorum Imperium: quod præter legis ſcriptę canonem in rebus dubijs populum
„ ſequi quondam ſeuere præcepit Deus. Deut. 17. Si
„ difficile (inquit) & ambiguum apud te iuditium eſ-
„ ſe perſpexeris, venies ad ſacerdotes leuitici generis,
„ ſequeriſq; ſententiā eorum, nec declinabis ad dex-
„ teram neque ad ſiniſtram, qui autem ſuperbierit no
„ lens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore
„ miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis mo-
„ rietur homo ille dabo enim (inqnit alius Propheta
„ Hier. cap. 3.) Vobis paſtores qui paſcant vos ſcientia
„ & doctrina.

Non deſunt in ſeculari principium conſilio viri prudentiſſimi, doctrina longaq; rerum experientia inſignes, quorum tamen nullum eſt iuditium ita certum & infallibile, vt non aliqua careat veritate, quandoquidem non tam diuinis quam humanis nitatur rationibus, facile etiam fieri poteſt, vt rerum ſtatus cauſarumq; merita luſcis (vt aiunt) oculis intueantur, at fidei catholicæ, eiuſdemque paſtorum præfectis ea eſt vis & natura, vt ſine ſpiritus ſancti afflatu conſiſtere non poſſit, ſicque in nullo contra

veri-

veritatem quidpiam decidere. Vnde Chriſtus ipſe non ſolum apoſtolis, qui tunc aderant vibiliter ſed vniuerſæ eccleſiæ (quam illa diſcipulorum congregatio præfigurabat) ſpiritus ſancti aſſiſtentia, inuiſibili quadam ratione influxit, ideoq; ſpiritum veritatis appellauit; qui omnem prorſus ab eccleſia, cui præeſt, erroris ſuſpitionem, amoueret, neque falli eos poſſe, qui eccleſiæ ductū ſecuti fuerint, apud omnes teſtatum relinqueret quod peculiari quadam, & admirabili ratione ſingulari Dei benefitio conceſſum eccleſiæ ipſe Hierem. c. 3. aperte demonſtrauit, cúm in precipuis beneficijs quæ Chriſtus ſecum nobis attulit, enumerat illud, ſcilicet, ſacerdotum animas pinguedine eſſe inebriaturum.

Mirabiliſſimum ergo eſt, poſt annos 1600. qui numerantur ex quo Petrus poſt illapſum ſpiritus ſancti in Apoſtolos, prima ſua concione, ex omni prope gente habitati orbis, aliquos perduxit ad Chriſtum, ſic adfuiſſe chriſtianæ eccleſiæ principatus authoritatem, iuriſdictioniſq; ſpiritualis infallibile iuditium, vt nullus ex tot Romanis pontificibus Petri ſucceſſoribus, & locum Chriſti tenentibus diſſenſerit, vel ab vno è reliquis in ſanc[i]enda æternorum veritate, ac legibus vniuerſalibus imperandis, quamnis variatum ſit in ijs, quæ propter temporum varietatem, gentiumq; diuerſitatem variari debent, quo ad morum rituumque obſeruationem. In cæteris qualia ſunt diuina & vnius modi ſemper, nihil inuenitur diſcrepans, nihil diſſonum, nihil diſſimile, quod eſt Illuſtriſſimum veritatis & præcellentię prę principibus ſecularibus argumentum.

Quare ſi de ſacris canonibus & conſtitutionibus apoſtolicis vel eccleſiæ generalibus legibus cū principibus terræ nobis ſit inſtituenda comparatio, nulla

la prorſus ex parte cum illis fieri poterit, ſi quidem comparatio inter illa facienda eſt, quæ in aliqua ſimul conueniunt, at vero eccleſiaſticorum cum ſeculari comparatum imperio, vtique in omni parte longiſſime ſuperat, quo ad veritatis, authoritatis, & dignitatis materiam, illis namque omnes vtriuſque ſexus homines & ætatis ſubijciuntur; à quibus nec principes terræ excipiuntur, quod in Concilio Meldenſi cap. 11. præcipitur vt ab omnibus canonum ſacrorum ſtatuta obſeruentur, hisq; in omnibus leges ciuiles deferant; neque dedignantur ſacros canones imitari & confirmare Imperatores, capitaq; ſua cũ coronis ſubmittere; Dei omnipotentis Chriſtiq; in terris ſummo Vicario, humili animo ſubmiſſoq; vultu ſuſcipere ſacramenta, primasq; dare eidem, in alijs negotijs, rebus & perſonis eccleſiaſticis, inter quæ ſunt electiones, poſtulationes, prouiſiones, dignitatum, perſonatuum, offitiorum, canonicatuum, præbẽdarum, vel aliorum beneſitiorum eccleſiaſticorum, decimæ, matrimonia, vſuræ, item hæreſis, ſimoniæ, & alia ſimilia crimina maximè clericorum. Iura patronatus eccleſiaſtici; atque hæc ſunt generalia, in quibus chriſtiani Principes, & ſeculares poteſtates eccleſiaſtico iuditio & poteſtati ſubiecti ſunt (de quibus omnibus in ſpecie in 2. lib. agemus) qui vt neque in his eccleſiaſticum reformidant imperium, ſic neque in alijs quibuſcunque pro illorum ſalute animæq; ſecuritate morem gerere, detractabunt.

Verum quia nobis animus fuit, diuerſitatem inter prædicta imperia adferre, quæ magis non potuit, quam ex vtriuſque authoritate & ad inuicem comparata qualitate eluceſcere, idcirco viſis ſuperius de ijs quæ eccleſiaſtico imperio conueniunt, & in

in quibus eidem ſubiacent reliqui omnes mortales,nunc pauca dicamus, de facultate,& amplitudine ipſorum Regum & Principum ſecularium,vt ſic vtrinq; quantum ſibi in alterutrum conueniant, & diſcrepent,manifeſtius euadat.

Primum quidem nullis terminis legibusq; huiuſmodi regna & imperia conſtringi poſſunt,ſiquidem illorum gubernatio libera eſt, atque pro morum populi temporumq; circumſtantijs, ſubinde aliam atque aliam accipiunt regendi formam, vel quod regni aut principatus lex aliter fieri excepit, vel conſuetudine, longoq; vſu ſic fieri receptum fuit,proinde generalia ſaltem,eaque quæ ab Imperatore Friderico in cap.vnico quæ ſint regalia Principis lib. 2. feud. tit. 56. nominantur, proferemus, quorum primum eſt quod prædicti principes ſeculares armorum vſum eorumq; omnium quæ ad belli paciſq; conſeruationem ſpectant, curam habent, illiſq; ſolis gladius demandatus ſit,extra quorum licentiam nemo alius poteſtatem ſibi vſurpare poterit, aut certe maieſtatis læſæ crimen incurrit, veluti ſcriptum reliquit Martianus in l.lex duodecim tabularum §.eadem lege.ff.ad l.Iul. maieſt. eadem lege (inquit) maieſtatis teneri qui iniuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, exercitum comparauerit,quive cum ei in prouincia ſucceſſum eſſet,exercitum ſucceſſori non tradidit, atque olim tam ſeuere apud Romanos cautum fuit vt lege Iulia de vi publica teneretur, qui arma vel domi,vel in agro,aut villa ſua teneret,præter ea quæ ad vſum venationis,vel itineris,vel nauigationis inſeruirent, exceptiſq; ijs armis quæ quis pro mercij cauſa habuerit,quando ei ex hæreditate aliqua obuenerint, ſic habetur in nouel.7. neque armis vti, neque mi-

litantem permittas aliquem, quicunque enim ſine principijs ſpetiali licentia arma & gladium accipit, gladio debet interimi, quod Chriſti verbum nos docet, & pro hoc ſenſu explicatur in §.1.23.q.8. & clarius ſanxerunt Valent. & Valens Cæſares leg. vn. vt armorum vſus inſcio principe interductus ſit in C.lib.11. Nulli (inquiunt) prorſus nobis inſcijs & inconſultis quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur, quia Princeps habet merum imperium ad animaduertendum in facinoroſos homines, & ideo etiam miniſter Dei conſtitutus eſt, qui gladium portat, quo ipſe per ſe vel per rempub. vel alios legitime imperantes eius authoritate vti poſſunt, alijsq; vtendum committere, vt dum contra hoſtes regni bellandum eſt, aliave rationabili de cauſa bellum indicitur, ex quo ius regis cognoſcitur, quod eſt populo ſibi ſubdito, ne aliqua ratione ſubuerti lædi, aut turbari poſſit attendere, qui alioquin audax & proximo ſuo infidus eſt, facileq; ad proditionem cõcitatur, vbi tunc non ſolum totum regnum, ſed etiam circumuicinę interturbantur regiones, ſicq; omnis ad negotiandum via occaſioq; intercluditur, qua non cuilibet libet ſuis ad ſe pertinentibus rebus, cum alijs vel conſulere vel opitulari, aut ex loco ſuo in alium tuto migrare. Vnde ad ius Principum quod hinc enaſcitur, pertinet, vias publicas tenere defendere atque ab omni incommodo conſeruare, publicæ enim viæ regales dicuntur, ab eo quod vt Vlpianus vult ſolum publicum ſit directumq; ei qui certis finibus ius publicandi habet l.2.§. viarum quædam. ff. ne quid loco publico, & ibidem de locis & itineribus publicis, hoc vero cum ſolius Principis eſſe conſtet, illius etiam erit hæc cura.

Qua

Qua ratione olim populus Dei commotus fuit ablegatis nuntijs ad Seon Regem Amorrheorum
„ petens vt liceat ſibi tranſire terram illam: non de-
„ clinabimus (inquit) in agros & uineas, non bibe-
„ mus aquas ex puteis, uiam regiam gradiemur, do-
„ nec trãſeamus terminos tuos, Qui noluit eis conce-
„ dere, quin potius exercitu congregato egreſſus eſt
„ obuiam in deſertum, & uenit in Iaſa pugnauitq;
„ contra eum à quo percuſſus eſt in ore gladij & poſ-
„ ſeſſa eſt terra eius ab Arnon uſque Ieboe, & filios
„ Amon. num. 21.

Accedit quod prohibitum eſt publicas vias vrbium occupare, aut coarctare, l. quia, ff. ne quid in loco publico. Et punitur qui hoc fecerit pœna ſacrilegij, non ſecus ac ſi ſacri alicuius loci violatores extiſſent, cum eiuſmodi viæ ſacris compararentur, vt ait Iuſtin. nouel. 7. non multum differre ab alterutro ſacerdotium & imperium, vt nec ſacra à com munibus & publicis, quo fit vt eiuſmodi viæ nec alienari poſſint, nec priuatis ab offitialibus principis concedi ſine eius licentia: multoq; minus ibi inuenta bona ſeu oberrantia, quæ alias pro derelictis habentur ab vllo retineri, ſed debent fiſco reipub. aut ipſi Principi redhiberi hæc enim cum incerta ſint, ad viæ Principem ſpectabunt vt eſt text. in l. 2. §. Nerua. de acquir. poſſeſſ. quod etiam tradit Ioan. Faber. ad §. ad examen apum. de rerum diuiſ. vbi ait examen apum oberrans in iuriſdictione Dominorum territoriorum effici, & optime quidem hoc conſtitutum fuiſſe exiſtimãdum eſt, cum enim principes non ſolum ab omni malo ſeſe abſtinere debeant, ſed etiam ab omni ſpecie mali, profectò niſi præueniretur hoc iure hominum malitię, plures ſurtum inciderent eiuſque reatum, principes con-

traherent, permittentes talium rerum inuentarum, ſeu deperditarum vſum & dominium, conuerti ad cuiuslibet priuati inuentoris arbitrium, quod Deus olim in veteri lege prohibuit, ſic per Moyſen legem
„ decernens: non videbis bouem fratris tui, aut ouem
„ errantem & præteribis ſed reduces fratri tuo, & ſi
„ non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum du-
„ ces in domum tuã, ut eum apud te detinebis quam-
„ diu quærat ea frater tuus, & recipiat: ſimiliter facias
„ de aſino, & de ueſtimento, & de omni re fratris tui,
„ quę perierit, ſi inueneris eam, ne negligas eam quaſi
„ alienam. Deut. 22.

Huius nominis non immerito appellatione numerantur inter bona errantia pueri expoſiti, quorum non eſt neque pater, neque mater, neque ſtatus illorum: & bona mortuorũ decedentiũ ſine legitimo hærede, uel abinteſtato: Sic res aliæ omnes tam mobiles quam immobiles, quæ à nullo poſſidentur, uel pro derelictis & incultis relinquuntur, ut ſunt domus, agri, caſtella & c. quæ Græci ἀδέσποτα vocant, ideſt, bona ſine Domino ad principem terræ viarumq; de iure ſpectantia.

Quo iure olim vſos fuiſſe Romanos ſcribit Strabo, dum conſtituebant ad hoc ſingularem magiſtratum, qui per Aegyptum inquireret, num bona eſſent aliqua vacantia, poſſeſſiones deſertæ ſine hærede, aut alia ſine domino, vt ea dominio Cæſarum incorporarentur. Quod hodie apud noſtros Principes ſedulo videmus fieri, dum fiſcales ſuos pro huiuſmodi rebus boniſq; errantibus recuperandis conſtituunt.

Alibi extat laudabilis vſus quod pro iſtis rebus deperditis inuentiſq; per mare, aut alibi locorum proclama in ſingulari, ad hoc deputato loco fiat, per

præ-

præconem,aut trombetam vt vocant,(ſicut mem o-rabile fieri vidi ſub Illuſtriſſimorum Venetum in alma Patauina Anterioris Vrbe dominio) aut denunciatione ad valuas curiæ, vbi notificantur omnibus & ſingulis prædicta bona, atque interim in repub. conſeruantur, donec aliquis eorum ſibi dominium cum vero titulo & iure vendicet,ſi vero in præſcripto illo termino nullus comparuerit,in commune ſeu publicum conuertuntur.

Quod vero iam dixi de rebus in mari deiectis aut fortunio alio ad littus appulſis, non ſine cauſa id feci, quia ex hoc etiam Principi aliud ius accedit,quod habet ſuper flumina ſiue nauigabilia,& ex quibus fiunt nauigabilia portus & ripæ: Vt enim in terris via publica eſt, ſic & itinera per aquam publicam, quod confirmant multæ iuriſconſultorum leges l.4.§.fin.de rer.diuiſ.ff.§.flumina ibidem,& l.3. ff.de flum.l.1.§.fluminum ibidem.l.1.§.pertinet.ff. ne quid in loco pub. illaque ſic reperta ad principem illius aquæ & terræ pertinere, identidem probant plures ex legib. quib. prohibentur omnes poſſeſſores prædiorum circa portus & littora, ne aliquid ex mari appulſum capiant, nauibus ſpoliatis, merſis, diſſolutis naufragis, niſi naues ſint aut res fuiſſent pyratarum.l.3.& ſequen. de incẽdio ruina, & nauf.ff.& in Auth.nauigia.C.de furtis lib.6. meritoq; id ſibi iuris arrogat princeps cum ab ipſo impenſæ fiant in huiuſmodi portibus reficiendis & extruendis,ſolicitudoq; multa eorum principum fiat qui ibi habent imperium.

Eodem pertinet nouorum vectigalium impoſitio, nempe ſi neceſſitas & cauſa imponendi & exigendi adſit,ideo ſi ſine cauſa impoſitio fiat, vel ab alijs permitti patitur,Deo rationem reddent, tenebun-

buntutq; ad reſtitutionem, imo rapinam de bonis ſubditorum committunt, vt ait Innoc. in c. innouamus. de cenſ. iuſta vero cauſa præſumitur videlicet ſi pro ſecuritate viarum, & viatorum, pro refectione itinerum & portuum fiant, ſimilive cauſa, quæ impenſas & ſollicitudinem pro communi cauſa habent, alio qui ſemper præſumitur iniuſta, ſic exactiones angariarum, perangariarum, nauium, & plauſtrorum omnisq; alia extraordinaria collectio, ad regalis numinis expeditionem ſpectat; nec vlli hoc regale ius permittitur: vt enim iure ciuili (quemadmodum reſcripſit Alexander 3. in c. innouamus. de cenſ. Innouamus inquiens, ne alicui nouas pedagiorum exactiones, ſine authoritate & cōſenſu regum, & Principum ſtatuere aliquo modo præſumat, ſi quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit, donec ſatisfaciat, cōmunione chriſtiana careat) perpetuo affici debet exilio, qui prædicta non exequitur, ſic qui vectigalia ſine imperatorum præcepto, neque præſidi, neque curatori neque curiæ conſtituere, neque præcedentia reformare, vel his addere, vel diminuere licere, ſcribit Hermogenianus l. vectigalia, de public. & vectigal. ff. nam vſus legitimus principibus conceſſus eſt à Deo, non abuſus, prout reſcripſerunt Imperatores, & Sanctiſſimi Pontifices. leg. 1. 2. 3. C. noua vectigalia imponere non poſſe c. ſuper quibuſdam. §. præterea. de verb. ſignif. alioqui ceſſante legitima iuſtave cauſa, & pro communi ſalute paceq; conſeruanda, cura ſollicitudineque, damnum reſarcire teneātur tales exactores, vel lædentem exhibere, ſeu furem, & latrocinium præſtare.

Nouæ monetæ excuſſio, eiuſdemq; valor maior vel minor ex authoritate principis dependet, alijs vero

vero ex priuilegio, vel conſuetudine præſcripta indulgetur, & ſic læſæ maieſtatis crimen eſt, valorem dictæ principalis monetæ immutare ſicut ſuo nomine iniuſſu principis nouam, cudere, alterare, falſare, radere l. 1. & fin. de vet. nummis. poteſtate. C. lib. 11.

Accedunt confiſcationes principum, quæ de maximo illorum ſunt imperio, nullisq; per leges ſubditis permittuntur, ideo contra legem poſſe, hoc ſolum Principi conceſſum eſt, vt notat Bal. ad cap. 1. de pace tenenda, & iur. firman. in feu. Quæ confiſcationum iura, vt ſuperiora, quandoq; aliquatenus per principes conceduntur ſubditis feudatarijs, ſeu valuaſoribus, iuridicis, in crimine veræ læſæ maieſtatis, vbi ipſe princeps quandoq; læditur, ſolum ad principem tunc ſpectat confiſcatio contra vaſſallos ſuos, non ſolum eorum bonorum, quæ ſunt ſub ditione eius, ſed etiam quæ eorum ab alio principe non tenentur, à dānato in alijs criminibus, vbi confiſcatio locum habet, qui feudum habent, & imperium, ex lege feudi poteſtatem, poſſunt iure confiſcationis bona condemnati etiam alibi in ſua iuriſdictione confiſcare, vel confiſcata per crimen retinere, vt docet in crimine hæreſis, Guida Papæ deciſione 76.

Cæterum iudicandi munus quod publicum offitium eſt, nulli alteri conueniet, quam qui plenam, & ordinariam habet iuriſdictionem, cuiuſmodi principes eſſe ſuperius diximus, à quo vt reliquæ omnes poteſtates inferiores pendent, ſic etiam, ſi qui alij ſunt magiſtratus in republica à principe, vel conſtituuntur, vel confirmantur, ipſe enim ſolus eſt iudex populi & princeps, poteſtatēq; habet oēs in offitio ſuo, vel mutare, vel de nouo confirmare.

Quod

Quod vero proſecutionem voluntatis ſuorũ prę ceſſorum princeps aliquando remittit, illud non tam eſt ex neceſſitate, quam honeſtate, quippe quod nullis legibus vel factis eorum obſtringitur, nec vt hæres, ſed vt ſucceſſor dignitatis ſuccedit in principatu, proinde cauſa extante rationabili, & prędeceſ ſorum ſuorum acta factaq; immutare, reuocare & annihilare, offitialesq; in offitijs ſuis confirmare, remittere, nouos creare, offitia eorumdem numero augere, iuriſdictiones prorogare, vel reſtringere, omniaq; illa facere & præſtare poteſt, quę Princeps bonus iudicabit futurum & commodum eſſe, & reipub. vtile. Hoc tamen in primis curabit, ne petentium ambitione offitia & dignitates iuditium peruertatur, ne ve negotiationem in offitijs committẽdis exerceat, ita vt multiplicatis offitijs eorumve diſtractione aliquod lucrum vel ſordidum quęſtum quærat, nil enim poteſt reipub. ea negotiatione accedere peius; contingit enim ſępe ſępius quod pro vno aureo offitiarij redimant à principe dignitatem aliquam, quam poſtea carius reuendendi alijs occaſiones iuſtitiam naſcantur, quod quando obtinuerunt, turpiter in ſubditos graſſantur, petunt ſupra debitum ſuum, onerando & aggrauando illos, ex quo neceſſe eſt, quod interitus regni & totius principatus eueniat, dum manus venales expoſitę ſunt auctioni, vincitq; in foro qui lancem pendentem ex parte judicis ęre onerat, & venditionibus numerus magiſtratuum multiplicatur, quare princeps debet ipſemet rebus ſuis attendere, & iuditium, ſi fieri poteſt, ex perſona ſua adminiſtrare, aliosq; inferiores iudices & officiantes ad regalem ſuam iuriſdictionem, vel ſaltèm aliquod iuditium conſtituere, ad quod reliqui omnes qui minori ali-

qua

qua poteſtate pollent, neceſſario recurrant, ne tanti abuſus, & vexandi pauperes litigantes, occaſiones ex tam diuerſis iudicum offitialiumq; gradibus orian tur, præcipue quia omnis iuriſdictio pendet à principe, & ſupremę potaſtatis probatio ab eodem, tum etiam quod à principe iudicante non prouocatur, ad eos vero ab illis qui poteſtate commiſſa vtuntur à principe, ab inferioribus appellatur. Vnde Vlpianus l. 1. §. & quidem. ff. à quibus appellare non licet, ſtultum eſt inquit, illud admonere à principe appellare fas non eſſe, cum ipſe ſit qui prouocatur: neque huic contrarium eſt, quod olim populus Romanus, quos conſtituit magiſtratus, hi abſolute imperarēt, aliæq; poteſtates alibi extiterint, qui etiam abſolute iudicarent inconſulto principe, à quibus deinde prouocare licitum non fuit, ſic etiam hodie à magiſtratibus & offitialibus conſtitutis ſub principe, fieri debere, quod illi plenam & illimitatam habeāt poteſtatem, quia illa poteſtas & iuriſdictio, qualis illa fuit Romanorum conſulum, non fuit ex fonte viuo per ſe aquas ſcaturiente, ſicut eſt in manu principis & regis, ſed commiſſaria, & delegata, proinde ſi quam exercuerint poteſtatem, ex nomine alieno, & non proprio illud feciſſe certiſſimum eſt, princeps enim aſſumpto principatu imperat, leges condit, & præter illas ſi æquum ſibi videatur immutat, veniam delictis concedit, & gratiam pęnæ: quod alius ſubiectus legibus facere nequit, neque circa leges quidquam immutare, ad principem ergo ſolum pertinet vitæ & necis poteſtas, ideo gladium commiſſum à Deo exercet, ideo remittit quibuſdam ſupplitia ex legibus determinata, dummodo in remittendis delictis modum non excedat, eaq; delicta atrociora impunita relinquat,

quibus non leges humanæ, ſed diuinæ pęnam indicunt, quo pacto ſe non iuſtitiam facturum meminerit, ſed iniuſtitiam, ſolum enim Deus iuſtus eſt, fortiusq; ius naturale ciuili, ſuffultum diuina ſimul lege, §. ſed naturalia, inſtit. de iur. ciuil. natur. & gent. nec quicquam princeps facere poteſt contra pietatem & bonos mores.

Hinc & illud promanat cum ſuprema in leges à principe præmineat poteſtas, quod natalium reſtitutionem facere poſſit, quemadmodum ex lege ciuili inductæ olim ſeruitutes, quando ſeruus natus reſtituebatur natalibus, in quibus omnes naſcebantur, ſic nunc quaſi regeneratione facta, ex lege humana, ideſt, principis, poteſt hæc eadem macula abſtergi, & eos quos contra ſuas leges illegitimos conſtituit princeps, eoſdem dignatur à ſuorum iurium nexibus eximere, ita tamẽ ne in hoc plus equo ſummorum pontificum conſtitutionibus, ſanctorumq; patrum decretis contrarietur, qui alias leges de nuptijs & matrimonijs poſuerunt, quibus etiam princeps obligatus eſt, ſuisque contrarium legibus ſtatuere non poteſt, cum eo vſque ſua non protendatur authoritas: neque intendit princeps in ſuperiorem iuriſdictionem exercere. c. non licet Imperatori. diſt. 10. ſed ſingulis ſuâ iura immunitates, & iuriſdictiones remanentibus, quiſque ſuum ad Dei laudem & Chriſtianæ reipub. incrementum, ſecundum à Deo ſibi ſubiectam materiam terminosq; præſcriptos, exercebit munus.

Ex quibus facile, quantum à ſeculari principatu regimen eccleſiaſticum differat, iſtudq; ab illo, cognoſcimus, quantoq; nobiliorem hominis partem ſibi eccleſiaſticum vẽdicet, excellentioriq; medio, quia tamen vt in principio diximus vtrumq; deco-

rum

rum & ornamentum totius vniuerſi continet, mirabilemq; Dei omnipotentis in nos mortales prouidentiam deſignat, non tam literis longiorive verborum ſyrmate à nobis proſequendum, quam iuſto eſt iuxta pioq; amore admirandum, & ſuſpiciendū.

CAPVT XV.

Melius eſt habere Principem natiuum, quam peregrinum ex electione.

COeca generis humani cogitatio facilisq; boni aucupandi perſuaſio, quæ mala perſtant non videt, præruptaq; ſubirruit, ſuæ æmula virtutis eſt, & inimica rectæ dominationis, cupida alterius, & proprij oblita, fabulæ ſibi famam ſuperinduxit, naturamque humanam belluinæ ad inſtar ferocitatis commutando, honorem ſuum in quo poſitus erat, non intellexit, ideo comparatus eſt equo, qui olim fertur litem habuiſſe, & ſimultates geſſiſſe cum vno ceruo, quem ob naturæ ſuę ſuperbiam cum ſufferre non poſſet, neque ſufficeret ſolus uiribus, vt ſe de illo vindicaret, rogauit in auxilium hominem, cuius & auxilio, & directione ipſum ceruum facilè ſuperare ſperabat, cui ea conditione homo ſuppetias ferre ſpopondit, vt ſibi frenum inferre pateretur, quo & equum regere vehementioremq; in curſum extimulare poſſet, quod paſſus eſt primum equus, ſicq; inſtructus extraneis auxilijs ceruum ſubegit: verum cum propter obtentam uictoriam ſuo auxiliatori gratias agere vellet, putaretq; ſe deinceps liberum futurum, vt antea, tunc demum cognouit ſe ob vindictam alterius nocendiq; cupiditatē, ſuum

proprium ſibimet imperium & libertatem abſtuliſſe, neque hucuſque ſe ab hominum auxilio inſeſſorum ſuorum regimineq; eripere poteſt.

Hæc ſanè ſola cauſa eſt, qua plurimi ſapientes in cogitationibus ſuis euaneſcunt, & ſcrutantes ſcrutationes deficiunt, vt ait Sanctus Auguſtinus in hūc verſum. Pſal. 63. accedit homo ad cor altum & exaltabitur Deus, defecerunt ſcrutantes ſcrutationes, & conſilia mala, non ſolum Iudæi Chriſto Redemptori noſtro illudentes, cuſtodiamq; ſepulchro ſuo parantes, ſed etiam homines chriſtiani cum vafra regnandi cupiditate illecti, ſe ipſos vel fraude, dolove in dominationes ingerunt, vel legitime in regno ſuccedentes impediunt, alioſq; ſuo captui vacantes ſubornant, non penſantes vnicuique à Deo certam & vocationem & functionem conſtitutam, dierumq; vitæ terminos depoſitos, quos vt præterire non poterunt, nec ſic quidem præter Dei vocationem ad ſublimia peruenire.

Ambitio ait S. Bernardus ſubtile malū eſt, ſecretum virus peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, & vitiorum origo: eſt enim ambitio inanis affectio poteſtatis ſiue prælationis, vt docet Albertus Magnus lib. 2. ſent. diſt. 25. Inde exclamat S. Bernardus, poteſtatis ambitio Angelum fœlicitate angelica, ad quam erat creatus priuauit, ſcientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria ſpoliauit, non Euam cibus deflexerat, non mandatorum obliuio deſtituerat, ſed promiſſio honoris illecebroſa decepit: & iterum, ò peruerſitas, ò ambitio filiorum Adam, quod cum aſcendere difficillimum, deſcendere autem facillimum, ipſi & leuiter aſcendunt, & deſcendunt difficilius, parati ad honores, parati ad celſitudines ſupra modum, ipſis etiam angelicis ſpi-

ritibus formidandi. Plerumque iſthæc intentio periculoſa, vt ſacri noſtri doctores docent, etiam damnoſa in lucifero, quando vel minimam cogitationem ad Dei altiſſimi gloriam aucupandam intulit, ſubito ſicut fulgur de cœlo, cum conſortibus ſuis detruſus erat: ſic quoque accidere videmus ijs, quorum animos inordinatus regnandi affectus ſubegit, vt neque impetratis vti liceat feliciter, quorum deſiderium infęlix infauſtumq; principium fuit.

Leo Papa qui refertur 1. q. 1. ait, principatus quē ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiam ſi actibus ſuis vel moribus non offendat, ipſius tamen vitij ſui exemplo pernitioſus, & difficile eſt, vt bono peragātur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.

Dolo, & fraude plures perueniunt ad principatus, ad quos legitimè, neque lege ſucceſſionis, neque electione, neque conſuetudine populive ſuffragio peruenire potuerunt, quorum aliqui, vel nominis ſui generiſq; authoribus ſuppreſſis, alijs diuitiarum affluentia, alij regnandi dexteritate, alij curatorum tutorumq; ſub ſpecie alienos ſibi vſurpauerunt honores, mentitaq; ſibi falſo eſt iniquitas, vt ſe talem fingeret, qualem veritas neſcit, neſcitq; veri regnandi poteſtas.

Veterum monumenta ſcriptaq; id paſſim declarant eorumq; finem, & imperandi initium, quale illud antiquiſſimum Semiramidis exemplum, cuius poſt mortem Nini mariti, tantus in filium ſuum relictum extitit amor; & regnandi cupiditas, vt dum filio per ætatis defectum, neque ſibi tanquam fœminæ tot tantiſq; gentibus imperare liceret, ſumma vſa fuit aſtutia, atque ſi vera ſunt, quæ refert Marcus Antonius Muretus ex Gręcorum commentarijs, ſe ſe cuiuſdam regis ancillam, & concubinam

fuiſſe

fuiſſe ſimulauit, cuius pulchritudine & amore captus Ninus Rex, eam ſibi ex ſtupri cõſuetudine tantum deuinxit, vt nihil eſſet tantum, quod aut à rege petere non auderet, aut ei viciſſim petenti cibi eodem denegaretur, ſicq; tẽporis ſucceſſu eum maximo teneri erga regem deſiderio ait, rexq; quid tandẽ illud ſit vbi effari iuſſiſſet, cuperem (inquit illa) vt vno mihi die ſedere liceat in regio tuo ſolio, & ius dicere, mihiq; omnes vt tuo faciunt imperio, obtemperare, ad quod Rex ſubridens petita conceſſit, nec mora, edicto regis omnes ad parendum Semiramidis imperio conuocantur, dieq; conſtituto, illa ſolium regis conſcendit, ibique omnibus ſibi dicenti auſcultantibus, dictisq; obtemperantibus, iubet ſatellitibus, ac ſtipatoribus corporis regij, vt regem ipſum comprehendant, quo comprehenſo, iubet vincire, vincto iubet interficere, ſicque ex diurno imperio, diuturnum effectum eſt, licèt alios ſcribere dicat Muretus quinque diebus illam ſolum imperaſſe, adeoq; ſe obſequio & munificentia Aſſyriorum primoribus inſinuaſſe, vt viro in cuſtodiam reiecto, bona omnium venia, in regno perſeuerarit, à qua tamen relatione Iuſtinus abſtinet, eamq; mentito habitu formaq; virili per quadraginta duos annos imperaſſe ſub nomine Nini, regnoq; Aſſyriorum Ethiopiam adieciſſe, bellumq; poſt Indis illatum, cum filij ſui concubitum ambiret, ab eo interſectam, ſcribit Iuſtinus in Trogo lib. 1. Plures hac vſi ſunt impoſtura & ſimulato nomine, & genere, proximoq; exiſtente, vel decipiẽte ſimilitudine, niſi ſunt, non tantum in priuatis, ſed etiam in publicis rebus genus proprium mentiri, ſed cum proprio ipſorum damno, vt refert Valer. Max. lib. 9. c. 1. de Sidonio quodam patria, ſimili vo

ce,

ce, ſtatura ei facie Alexandro filio Herodis Antipæ, ſcribit Ioſephus lib. 17. antiquit. iudaic. c. 18. qui poſt mortem ipſius verum ſe Alexandrum eſſe edixit, atque è manibus ipſorum, qui ipſum occidendi mandata habuerunt effugiſſe, cuius in tantum apud Iudęos fictio inualuit, vt pro rege ab ęis haberetur, & veneraretur, eoque animo Romam venire adnixus, petijt partem regni paterni ab Auguſto, ibique regio cum apparatu acceptus fuit à Iudęis cuius rei ſuſpitionem habens Auguſtus, tandem ſuppoſitionem ab eodem extorſit, ac proinde regno exutus ad triremes damnatus fuit.

Quæ hominum varities, cum ab alijs prudentioribus hocque in negotio magnam experientiam habentibus, obtrudere non auderet, aliam nequitiæ ſuæ, & cupiditatis accommodatiorem viam adinuenire cœpit longiusq; à ſe omnem falſi doliq; ſuſpitionem amouere: doli enim per ſe, ſunt valde odioſi inter probos, eoque magis quo exitū habent magis crudelem, ſcilicet, dum paternorum bonorum, regniq; ſucceſſionis ſe patronos & curatores profitentur, quod quidem offitium non niſi ex decreto iudicis datur, quibus magna fidei probitas, vitæque, ac morum integritas accedere debet, ſimulque ſacramentum, de pupillorum minorumve dānis præſtandis, ſicque Rex ordine omnibus conſtitutis nemo ambigit, quin talibus curatoribus regna imperiaq; committenda ſint donec prouectę ætatis curſum conſumant pupilli, neque de fidelitate, atque in rebus pupillorum tractandis ſinceritate, damniſq; & noxis euitandis, quæſtio inſtituitur, niſi vbi valde enormis fiat læſio minori, atque alia accedant adminicula.

Aſt vero ſub hac techna multi prodiere tyrāni, ſce-

leratiores

leratiores præuiſis hoſtibus. Cum Andronicus iunior Græcorum Imperator, circa annum 1314 moriturus relinqueret filio ſuo Caloiohanni Palæologo nato duodecim annorum, tutorem Ioannem Cantacuzenum, is omiſſo tutoris nomine, non pro tutore, ſed pro vero Imperatore ſe geſſit, at poſt vnum annum ibi armis à Palæologo deiectus, vt ſcribit Laonicus Calcondylas lib. de rebus turci. & Nicephorus Gregoras lib. 11.

A Theodoſio relictis duobus ad huc filijs Archadio, & Honorio, Stilico cui mandata erat occidentalis imperij cura, & tutela, pendente minori ætate filiorum, oblitus affinitatis (erat enim ſocer Honorij) & immemor collatorum à Theodoſio beneficiorum, regnum filio ſuo Eucherio affectans, ingentia reipub. attulit mala, & cum ſæpe delere poſſet barbaros, fouit eos, tandem cum Eucherio & ſuis coniuratoribus trucidatus eſt, vt ſcribit Paulus Diaconus lib. 13. de geſtis Roman.

Quæ dominandi cupido, deterrimaq; inſtruendarum inſidiarum facies, tunc maxime ſecure cœpit, quando populus faſtidiuit iugum prioris ſui Principis, ſuumq; collo iugum excutere cogitauit, quia enim varius populus eſt atque in contraria vulgus ſcinditur, ideo ſæpius immutari principes expetit, nihilq; non facit, quod ad deſtructionem prioris principatus atque noui inſtitutionem pertineat, neſcius quod melius ſit ſemper uincentis collum iugo iam trito & polito iubare ſupponere, quam nouo, quod adhuc impolitum & iubar, & collum equi vſque ad ſanguinē excoriat. Verum poſtquam aliquantulum reſedit, & aliam quam antiquam administrationem expertus eſt, ſtatim ad priſtinum relabitur, & ob minimas quidem occaſiones recurrit

currit ad conſueta. Docurrunt idipſum rebus & ope ribus Franci qui cum regno Childericum decedere coegiſſent, ob ſtupra commiſſa per illum, & in eius locum elegiſſent Aegidium patriticum, qui à Romanis tuẽdæ Galliæ curam ſuſceperat, tandem eius pertęſi, Childericum reuocarũt, qui poſtea eorum ope, Aegidium expulit, pertimeſcentes ex mutatione Principum & electionem alterius generis effici, vt reſpub. regnaq; ipſa extinguantur, & in aliud nomen transferantur, aliamq; ditionem, Aimonius lib. 1. de Geſtis Francor. c. 7. & pro eo quod ante illis dominatio aſcribebatur, aliorum dominationi ſubijci incipiant, nullo exiſtente ex genere regum, qui tranſlationem impedire poſſit, vel iam factam, ad proprium ſuum ius reuocare, pro vt fecit Cyrus Rex Perſarum, qui ſubacta Aſia, & vniuerſo Oriente in poteſtatem redactam à Medis, cuius rex erat, monarchiæ nomen tranſtulit, vt ſcribit Iuſtinus in .i. rurſus Alexander Magnus Macedonum Rex, dominatis Perſis & alijs, tranſtulit monarchiæ nomen in Macedones, Iuſtinus in vndecimo, & duodecimo, quod ſolitũ etiam fuit Romanis, qui ſubacta regna moribus proprijs ſpoliarent & dignitate regia, eaque in prouincias conuertẽtes, vel alterius generis principatus, ſub nomine romano. Sic & alię multæ fecerunt nationes, dum alijs potuerunt dominari.

Ex qua regum, regnorumq; mutatione illorum priſtinus non ſolum perijt ſplendor, & dignitas, ſed plane in alterius dominationem degenerarunt, ita enim principatus dignitatis dulcedo, hominum animos afficere aſſolet, vt ſemel occupata regna, aut nunquam, aut ægre dimittant, quin ſoleant omni ſtudio technis, dolis, fraudibus, corruptionibus iam

imperantes (præcipue ſi filios habent) elaborare, vt eoſdem adhuc dum ſuperſtites ſunt filios, de eiſdẽ regnis inueſtiant, atque ad poſteros ſuos transferat, omnemq; ea de cauſa lapidem mouere, & potius cœlum cœlo commiſcere tentabunt, quam ſe ab ea intentione, & occupatione diſtrahi patiantur, hoſtiliq; animo repugnantes ſibi perſequuntur, tollunt, & in eorum locum alios ſubrogant.

Quod nefas proſpicientes Cæſares antiqui, maturo conſilio, vel filijs ſuis naturalibus, & legitimis reliquerunt imperia, vel adoptiuis, ne tot mutationibus per contrarias gentes & ambitioſorum hominum factiones diſcerperẽtur, pro vt fecit olim Henricus tertius Conradi Franci filius, dictus Niger, qui Capua regreſſus in Germaniam, filium ſuum Henricum quartum, quinque annos natum Cæſarem eligi, & Aquis grani coronari fecit, qui Henricus quartus ſuum quoque filium Henricum quintum, & Carolus quartus, Vvenceſlaum filium ſuum, cui ſucceſſit Sigiſmundus frater eius, idem effecerunt, ſic quoque adhuc viuente Friderico Imperatore, eius nominis tertio, Maximilianus Romanorum Rex creatus eſt, experientia namque docet, quanta cum nouo rege incommoda oriantur, vbi nouæ leges, noui magiſtratus, noui amici, noua conſilia, noui inimici, noua veſtimenta, nouus denique viuendi modus, in ſumma omnia innouantur, nec aliam ſæpe ob cauſam, quam vt ſui ex hac innouatione memoriam poſt ſe aliquam relinquant, quod quam damnoſum ſit, totique corpori reipub. lethale, plurima paſſim extant exempla: præter hoc namque quod ærarium commune atque patrimonium prioris principis exhauritur, dum qui ita principatus obtinent, eorum filios, agnatos, & proximos, qui

ante mendici erant, nobilitant, ditant, & ex domi nio prioris Principis replent: Quod etiam omnia iura & conſuetudines, proceſſus cauſarum mutantur, qui enim nouè ad magiſtratus gerendos aſſumuntur, non ſemper quæ ex ſtylo maiorum recepta ſunt, probare ſolent, ſed ſemper aliquid noui adferre reipub. ſtudent, propriasq; iactare inuentiones, ex quo haud funeſtius aliquid reipub. accidere poſſe, autumo, quam ſi ordo & leges fori immutantur, & noua iuditiorum forma conſtituitur, ſic enim & incerta omnia fiunt, & quæ illi, qui ante magiſtratu digne, & laudabiliter perſuncti ſunt, vel ſtudioſe inquirere vel longa experientia conſultare ſolebant, prius inuertuntur, quam à ſequacibus nouellisque magiſtratibus circumſpiciantur, aut imitentur, vnde merito dixit Vlpianus l. Prætor. ff. de vacat. & excuſ. tollerabilius eſſe abſentem iudicem qui iuditium agnouerit tantiſper expectare, quam iudici nouo, rem rurſum iudicandam committere.

Quibus addi poteſt & illud quantum ex talium magiſtratuum geſtione, cum multa diligentia, ſtudio & iuditij ſeueritate refrenetur licentia, & impiorum hominum coerceatur libido, audacia frangatur, & ſcelus extinguatur: at vero vix magiſtratum aliquem nouum, aut certe per paucos reperies, qui forti conſtantiq; animo impietati, & violentię, pro vt nonnunquam rei grauitas & delicti atrocitas poſtulant, ſe ſe obijciant, & iuxta legum præſcripta in eos acriter animaduertant, ſemper enim illi ſibi timent, ne poteſtate deſtituti à magnatibus, quorum crimina ex offitij ratione punire debuiſſent, detrimenti aliquid accipiant, at qui perpetua authoritate rerumq; exercitio longo, longaq; ſapientia, & prudentia vſi ſunt, horum nihil verentur, nec ſuum

commodum vtilitati principis anteponunt. Quamobrem recte mihi dixiſſe videtur Papin. l. iuriſperitos. ff. de excuſ. tut. honorem delatum à principe nullis ſpatijs temporis circumſcribi debere.

Neque illud minus periculum eſt, vbi ex lege ſucceſſionis nullus futurus princeps eſt, ſed ex electione noua inaugurari debet, quod magnæ inſidiæ, multæ variæq; factiones, coniurationes, & occaſiones oriantur, ne huic vel illi locus detur, dum enim ſe quilibet dignum arbitratur, ægre alteri ceſſio contingit, hic acta ſua & heroica facta deprædicat, alius ſua eadem, hic generis antiquitatem, auos, attauos, proauos enumerat, alius diuitias, potentiã amicos, ſicque quiſque pro ſe ſuisque certat, quod eiuſmodi electiones principum externorum, vix aut nunquam ſine inimicitijs cędibusq; finem ſuum conſequantur. hos præmijs offitijsq; afficiendo, qui pro parte ſua erant, vt ad principatum venirẽt, alios autem qui non conſenſerant, odio proſequendo, ex qua diuerſitate actionum, animorumq; diſmembratione nunquam talis libere imperare poterit, perinde ac is, qui à nemine electorum dependet, quod neque ad emendationem eligentium, neque ad plenam reipub. adminiſtrationem accedit, non enim ijs confidere poteſt, quibus inuitis præeſt, vnde occaſiones quærunt, vt citius moriatur, impatientes namque probitatis ſunt noui principis, milites aulici, qui antea ſub alio principe ex tyrannica licentia & rapinis viuebant, ideo ſæpe bonos principes quos fouere & defendere debebant, vt ſibi aduerſarios, aut dolis, aut venenis, aut aperte interimunt, cuiuſmodi infortunium, malam & mętu pleniſſimam conditionẽ principum Electorum refert, dilucidisq; verbis explicat Aurelius Victor, in epi-

tome Cæſarum, Neruam Imperatorem inducens, cui cum Antonius in curia nomine Senatus gratularetur, is ex omnibus conditionem imperantium exprimens, prudenter gratulari ſe ait Senatui & populo prouintijsq;, ipſi autem Neruæ nequaquam, cui ſatius fuit malos principes ſemper eludere, quã tanti oneris vim ſuſtinentem non moleſtijs modo, & periculis ſubijci, ſed famæ etiam inimicorum, & amicorum, qui cum ſe mereri omnia præſumunt, ſi quicquã non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus, illiciuntur ad necem regnantium, pollicitis ambientium dignitatem, crudeles, & auari, qui eos à quibus magis ſperant potius ſequuntur, quod non timendum eſt vbi per ſucceſſionem ex genere princeps certo futurus eſt.

Hancque ex genere ſucceſſionem omnes omniũ temporum nationes & gentes approbaſſe legimus, atque inter ferociores etiam populos id obſeruatũ fuiſſe, neque natura factum & iure gentium ciuili & diuino comprobatum.

Cum Deus olim in ueteri lege de rege conſtituendo legem tuliſſet, poſt quam ex numero fratrum fieri illum dixiſſet ac prohibuiſſet alterius gentis hominem fieri regem, qui non ſit frater eius in calce cap. 17. Deuteron. proſperitatẽ, & vitam longeuam pronuntiat illi futuram, qui ex ſemine priorum regum populum Dei recturus eſt vt longo tempore (inquit) regnet ipſe Rex & filius eius. Vnde & Paulus præcipit parentibus pro filijs ſuis theſaurizare, naturalis enim eſt ait Ariſtot. amor generantis ad genitum, atque ſuorum bonorum hæres patrisq; virtutum & factorum præclare imitator filius pro quo ab Imperatoribus patria poteſtas inducta fuit, eaque nonniſi iure permittente ſoluenda venit.

Idem

Idem videtur olim expreſſum quando in veteri lege prohibitum fuit ſimul in boue & aſino arare dupliciq; veſte tegi ex byſſo lana contexta. Quod & ſi non tam ad ſeculares dignitates, quã ad religioſorum habitum transferendum videatur, tamen æqua exinde à ſpiritualibus ad ſecularia comparatio ducitur, neque alia Sanctorum Patrum mens inſtitutumq; fuit, dum ſerio ſacrorũ Canonum decretis, ne aliquis laicus ad eccleſiaſtica ſe ſe immiſceat, vlloque priuilegio, & immunitate gaudeat prohibuerunt, quam quod non ambitione, ſed labore ad augmentũ honoris vnumquemque peruenire notarent. Innocentius tertius in c. officij tui, de elect. prohibet, eum qui antequam eſſet diſcipulus, magiſter fieri voluit, eligi, quantumcunque is in regula religioſorum verſatus & probatus fuerit, nec huic iuri vlla in contrarium conſuetudo obſtare poterit, quæ non tam conſuetudo, quam bonarum legum corruptela dicenda eſt, quoniam, vt ibidem glo. notat, laicus nunquam poteſt elegi, aut poſtulari in Abbatem, quantumcunque verſatus ſit in regula monachali, quia eiuſdem profeſſionis debent eſſe, qui eligunt & qui eliguntur, ne quaſi in boue, & aſino ſimul arari videatur. Idem probatur ex cap. cum ad noſtram, & c. cum monaſterium ibidem, de elec. & toto illo titulo per ſcribentes, vnde cum patris ſit honor filius, atque de natura & ſubſtantia ipſius, merito ipſi ſicut in natura ſic etiam in dignitate ſuccedet, populoq; gratior erit talis ex ſucceſſione, quam externus alius ex electione: filij namque principum, & proximi, iam ſunt eiuſdem gentis, atque nobiſcum quaſi enutriti, qui & mores populi norunt, & vires, quatenus & quando, & de quibus ſit interpellandus, populusq; libentius mores princi-

pis tollerat, quia illi aſſuetus eſt, talesq; proximos principes viuẽtis veluti alumnos & conſortes ſunt, & illi populo conuictu communi, facti quodammodo amici ſunt. Ita ſane neque vllo pacto iſthanc ſucceſſionem iura conuellere ſinunt, vt nec ex delicto quæ priuari digni forent poſſeſſores, priuandos ſucceſſores non delinquentes ſtatuerunt, idque non ſolum in minoribus, ſed etiam in poſthumis cenſuerunt: cum enim dignitates & principatus ad quos filij principis ius habent, non proueniãt eis ex perſona patrum, & auorum aut maiorum, ſed de nouo iure superuenturo, poſt damnationem patris nunquam ex delicto parentis, eodem filij priuari potérunt, pro quo ſingularis eſt lex tertia, ff. de interdic. & releg. vbi Alphenus iuriſconſultus reſpondit eleganter, eum qui ciuitatem v. g. amiſerit, nihil aliud iuris adimere filijs, quam quod ab eo peruentum eſſet, ſi inteſtatus in Ciuitate moreretur, hoc eſt hæreditatem eius & libertos, & ſi quid aliud in hoc genere reperiri poteſt, ea vero quæ non à patre, ſed à genere & natura filijs competunt, manent eis incolumia, & ſi pater amiſerit dignitatem ante conceptionem vel editionem filiorum, vt ait Vlpianus l. emancipatum. §. fin. ff. de ſenator. quia ergo hoc ius non pendet à patre, ſed à lege, vel natura, nullo modo filijs legitimis ſuccedentibus & non delinquentibus eripi debet, neque ratio id permittit, quod qui non delinquit pęnam alterius pendere debeat, cum vbi delectum non eſt, pœna adeſſe nequit l. ſi pœna, & l. crimen. ff. de pœn. neque caſu negligentię, diſſipationis, aut bonorum dilapidationis filium ſuum quis ſucceſſionis iure priuari debet, ſed ei adiutorem ponere l. conſulto, & l. 1. ff. de curator. fur. & glo. ad verbum regis, in c. grandi, de ſupplen.

negl.

negl. præl. in 6. ad imitationem furioſi, vbi Regi Portugalliæ à Papa coadiutor datus fuit, vbi Innocen. in ducib. & comitib. idem locũ habere dicit, quemad. & proceres regni Hungariæ potentiſſimo Vladislao, poſt quam in apoplexiam incidiſſet, comiti magni Stephani filium coadiutorem poſuerunt, vt ſcribit Linturius in appendice ad faſciculum temporum, anno 1504. neque ob naturalem aliquem defectum, vt claudicationis, cæcitatis, ſurditatis, aut ſimiles, hoc ius eliminabitur, ideo quod per ſubſtitutum idem præſtari poterit, vt patet in conſtit. feudalib. lib. 1. tit. 36. vbi iſthæc reſoluuntur, & gloſſa ibi notat, ſeruire poſſe per ſubſtitutum, maxime ſi feudum non ſit perſonale, nam in feudo ex lege inueſtituræ ſeruitium debetur Domino, in principatu vero libero, nemo legem principi imponit, etiam ſi is ſit parum idoneus in ſua perſona, quod confirmat Herodotus lib. 5. exemplo Lacedæmoniorum, qui mortuo Anaxandride Rege Spartanorum, Cleomenem eius filium ex lege, quia maximus natu erat crearunt, quam alijs fratribus natu minorib.

Extat præclariſſimum reſponſum Friderici quem cum Bohemi, & Hungari Alberto Ladislai filio vita functo, Cæſarem ſibi regem peterent, is abſit (inquit) à me hoc, vt patrueli meo hæreditatem paternam auferam, Aeneas ſyl. lib. 2. com. de reb. geſt. Alphonſi. Ita capta Tyro vrbe per Alex. magnum, & Stratone Rege, ob Darij amicitiam de principatu deiecto, cum Hepheſtio cui delegauerat Alexander curam præficiendi regem, vellet diademate aliquem ex Tirijs ſuum hoſpitem honorare, recuſauit is oblatum benefitium, quia nullo cognationis gradu regium genus cotingebat; Quare facta deinceps

in-

inquiſitione an aliquis regiæ ſtirpis extaret, Bellonymus quadam repertus eſt, qui genus regium duxit, prudens & optimus, at infimæ paupertatis homo, cui nihilominus Aepheſtio Diadema regium imponere contendit, quo ſic impoſito eundem, qui antea craſſo panno indutus, alijs regijs veſtibus circumamictum, produxit in forum, & Tyrijs regem eſſe iuſſit, aſſentiente ſummo cum aſſenſu populo.

Hic patet ex tacita & expreſſa omnium gentium obſeruatione, regna quæ per ſucceſſionem deferuntur, ijs ſolis qui de genere regio erant, collata fuiſſe, nec vllus vnquam factionibus hominum cõtrarium paſſum; vbi vero vi, & tyrannide id ſibi aliqui appetiuere, diuturnum non fuit, ſed alijs ex genere iterum ſubornis, eadem vi & tyrannide repetiuere.

Hinc eſt, quod quoſdam populos, reges ex vno eodemq; genere habuiſſe legimus, vt Lacedæmonij & Macedones, vt ſcribit Cornel. tacit. ſecundo hiſt. & Diog. Laert. in tertio, & Iuſtin. ex Trogo, 15. lib. ſic apud Perſas Reges ex genere imperaſſe refert Strabo lib. 15. apud Aegyptios, eandem regum per ſucceſſionem conſiſtentiam permanſiſſe, ſcribit Herodotus lib. 2. à primo rege illorum vſque ad vltimum Sethonem, nulla interruptione facta, qui illorum ſimul & rex & ſacerdos commemoratur, eorumq; regum numerum eſſe 345. per continuam ſucceſſionem ex genere.

Neque abs re erit dicere, huic regum & imper. ſucceſſioni latiſſimum attuliſſe fundamentum inclytam Auſtriacorum familiam, cuius & ſi nõ per continuam ſucceſſionem familia, in Regibus & Imperatoribus reſplenduit, ita tamen alijs omnibus longe lateque dominatur, ad ortum, occaſum & auſtrum, vt nullum aliud huic coæquari poſſit, cuius

paternum quidem genus à nobiliſsimis Romanorum principibus deductum, iam poſt annum 1272. maternum vero longiſsima ſeire trahitur à regibus Burgundis, qui Chriſto numen dedere ſub anno 491. maiores vero ipſorum multo ante regnarunt, anno n. 370. IMPERATORI VALENTINIANO contra Alemanos affuerunt, Sobolemq; ſe eſſe Romanam, iam inde à temporibus priſcis inquit Ammianus, lib. 28. iactabant. quod ſcilicet confęderati Romano populo eſſent, atque ſic merito cietur genus illorum, quod ſupra annos mille ac ducentos late dominatur: ex quo conſequitur Auſtriacos gloria ſplendoreq; nominis multo Illuſtriores in omni orbis parte exiſtere, vnde & ipſi laudentur & extollantur, vel ab ipſis æmulis inuidia perculſis.

Huic affinitates ſummæq; neceſsitudines longe clariſsimæ cum primis orbis terrarum regibus intercеſſerunt, atque ex præclariſsimis fęminis regum maximorum filiabus, Auſtriaci prognati, fęminas genuerunt, ex quibus deinde nati ſunt totius Europæ potentiſsimi Reges & Imperatores, in Aſia Africaque, latè dominantes.

Quid vero commemorem PHILIPPVM primum, qui acquiſiuit Auſtriacis regna Caſtiliæ, Legionis, Toleti, Hiſpalis, Murtię, Andaluſiæ, cęteraq; his adiuncta, Canarias inſulas Indiarum occidentalium, Burgundiam præterea, quindecimq; pręterea flandriæ attributas prouincias. Quid CAROLVM V. eius filium qui cætera Hiſpaniarum loca inſuper vero Sardiniam, Siciliam Neapolitanum regnum, Ducatum Mediolani, ac latiſſimas Indiarum occidentalium ſiue Americæ regiones adiecit, Quid PHILIPPVM ſecundum qui præter innumeras alias earundem Inſularum plagas, atque in his de

ipſius nomine dictas Philippinas inſulas, orientales etiam, Luſitaniæq; regnum poſteritati ſuæ parauit.

Poſt quos à RVDOLPHO primo ſub anno 1272. Imperatore Auſtriaco, ſinguli vſque ad noſtra tempora Auſtriaci, ſemper aliquid adiecerunt auitis ſuis ditionibus, quo poſtea vita functo, alijs interiectis, reuixit in ALBERTO Imperatore Romanorum, atque deinceps in FRIDERICVM tertium Imperatorem Romanorum tranſcendit, qui genuit MAXIMILIANVM primum Imperat. poſtquam is geſsiſſet rerum ſummam 53. annis. MAXIMILIANVS vero genuit PHILIPPVM primum regem Hiſpaniæ, qui poſt modum alios duos genuit Imperatores CAROLVM quintum & FERDINANDVM. FERDINANDVS Imperator genuit MAXIMILIANVM ſecundum Imper. Rom. aliosq; duos filios FERDINANDVM Principem Tirolen. & CAROLVM Archiducem parentem moderni Archiducis FERDINANDI in Styria. MAXIMILIANVS porro genuit RODVLPHVM ſecundum Imperatorem inuictiſsimum, & glorioſiſſimum, cui nunc ſumma rerum mundi obedit, auſpicijsq; felicioribus ſucceſſus exoptat proſperrimos. Ex quorum omnium ſerie octo numerantur Imperatores Romanorum, quorum virtus immortalis nominisq; altitudo perennis, ſupra quadringentos annos illuxit, multa æternaq; laude, atque per contrariam in Imperatoria maieſtate ſucceſsionem ſupra ducentis annis corruſcat, vſque ad finem mundi in clariſsimis per totum orbem diffuſis germinibus permanſura.

FERDINANDVS equidem Archidux auſtriæ, vt legitimus, & naturalis paternorum iurium hæres, veruſque ſucceſſor, propagandæ eiuſdem au

ſtriacæ gentis gloriæ, & maieſtatis cupidus, virtutis, & pietatis religioniſque catholicę amantiſſimus, ad illius ſucceſſionis ſeriem contribuendam ſummam, chariſsimi patris ſui Caroli prouidentiam expertus eſt, dum ſibi ad inſtar aliorum regum & Imperatorum de regno, & prouintijs paternis ab eodem proſpectum fuit, ætatique ſuæ conſultum, ne interim, vllam vel vim, vel tyrannidem, aut ſiniſtram machinationem experiretur, quæ omnia effecit & præſtitit RVDOLPHVS Imperator Romanorum modernus, qui cura, ſolicitudine & induſtria ſua paterna, hęc omnia iura contutus eſt, omnibuſq; prouintiarum ſtatibus proſpexit, ne quid ad illorum vel vtilitatem, vel neceſsitatem, deeſſe poſsit. Vtque hæc ſunt optimi parentis in filium ſuum argumenta certiſsima, rectaque fidorum in pupillos curatorum vigilantia, ſic FERDINANDO præ alijs omnibus debebatur ſucceſsio, non ſolum quia maior natu reliquis fratribus eſt, ſed etiã quia regno proximior; cuiuſmodi mos non in noſtris primum inualuit regionibus, ſed ita ex conſuetudine iuris gentiũ vniuerſa pene imperia, regna & principatus ad vnum, eumq; vel primogenitum, vel proximiorem deuoluuntur, quem morem vtiliſsimum eſſe, & regibus & regnis, ipſa docuit experientia, maior enim virtus eſt & fortior vnita cum partibus, quam in partes diſperſa, maiuſq; cõmodum habet populus in vno gubernatore, quam ex plurimis, cũ ſe plurium intentioni, & gubernio difficulter accommodare poſſit, neque vnum a pluribus, ſed plures ab vno accipiunt progreſſum.

Inter Parthos morem iſtum receptum fuiſſe ſcribit Iuſtinus lib. 41. ex eoque poſt mortem Arſacis regis Parthorum maiorem natu filium eius Phar-

naçem,

nacem, iuxta gentis morem regni hęredem factum, ipſumque poſt vita functum multis poſt ſe liberis relictis, omnes præterijſſe, atq; regnum in fratrem ſuum Mithridatem tranſtuliſſe, plus ſe regno debere, quam patrio nomini ratus, potiuſq; patrię quam liberis conſulere; ſic apud Perſas Herodotus in 7. & apud Lacedæmonios, vt mortuo rege maior ex liberis eius impararet. Plutar. in Ageſilao.

Neque conſonum videtur rationi & regnis commodum, ſi regna, & imperia inter fratres diuidantur, ſiquidem ex iſta diuiſione facile dignitas, & ſplendor familiarum interibit, viliores reddentur inter plures dignitates. fore autem melius cauere ne alij ad ſtirpem redigantur ſed ſufficienti prouiſi penſione, vel bona ad eorum & ſuorum vſum concedi debent, quam diu uixerint, reuerſura proprietate ad principalem, deſinente parte, ſicque ſemper faciendum, ſi quandoq; ſimultas inter fratres oriatur, ad arbitrium bonorum virorum iudicarem, ne ex ſimultate odium, ex odio homicidium aut vitæ inſidiæ inſtruantur.

Hoc inſuper ex Dei ordinatione, & ſanctorum Patriarcharum vſu præceptum habemus, quod ſuccesſio ſeruari debet, & ordo in adeundis hæreditatibus, ſi quidem vt ait D. Chriſto: Hom. 51. in Gen. ſummum honorem primogenitis habitum ſemper, quod ex eo patet, quando Deus Aegyptios pro meritis affligere voluit, in pœnam eorum omnia primogenita occidit, quare Aegyptus luctu impleta
„ eſt (Exodi 12.) & Iſrael exultatione, quia eorum
„ primogenita non fuerunt occiſa, ſed ſibi offerri iuſ-
„ ſit Dominus omnipotens. Magna quoque dignitas habebatur primogenituræ, quam Eſau habens natura, vendidit ob intemperantiam fratri ſuo Iacobo,

cobo, qui demum quod natura non habuit, accepit. Gen. 27. honoratiores etiam, & chariores eſſe primogenitos dixit Philo Iudæus in Agrippæ oratione, ad Caium. & Plutar. in vita decem Rhetorum. Cuiillud etiam accedit primogenijs ne propter immaturam ætatem ab hoc priuilegio repellantur, vbi nedum infantibus iam renatis, ſed adhuc in vtero matris exiſtētibus prouiſum eſt, quod in iure ſuo ſucceſsionis conſeruentur, datis tutoribus, vel curatoribus, qui interim dum ad iuſtam ętatem peruenissent, adminiſtrarēt. ſic refert Nicephorus Calixti lib. 7. cap. 20. Saporem regem nouum Perſarum in vtero matris anno Domini 310. coronatum, & moriens Ludouicus cognomento Balbus Gallorum Rex, reliquit vxorem prægnantem, ex qua natus eſt Carolus cognomento ſimplex, qui tandem ſublatis nothis, & ſpurijs Balbi, ſolus vt verus rex admiſſus eſt. Paul. Aemil. lib. 2. qui primo quidem habuit curatorem Eudonem, eo tamen regnum affectante, & poſtea deturbatus, Carolus reſtitutus eſt.

Meminit Aghatias lib. 10. de bell. gall. legem Francorum fuiſſe, per quam pueri cuiuſcunque ætatis fuiſſent, ad regnum vocabātur. Dignus æternaq; laude videtur Iſdigertes Rex Perſarum, ob præclarum factum in Theodoſium, cum enim Archadius Imperator, ne filio ſuo iuniori Theodoſio, poſt mortem ſuam quicquam ſiniſtri contra vitam eius & imperium contingeret, & ante mortem Iſdigertem curatorem eius, & imperij, donec in virum euaderet feciſſet, is vbi cognouit Iſdigertes, re ea minime neglecta nouum quoddam admirandæ virtutis exhibuit ſpecimen, pace namque prolixa centum annorum inducijs cum Romanis initis, Imperium Theodoſio quo minus periclitaretur, conſeruauit.

Inſu-

Inſuper ex oraculo Delphico reſponſum fertur quod conſultum mortuo Ariſtomenio Rege Lacedæmoniorum, à Lacedæmonijs non quidem num ſuccedere deberet quis ex filijs recens natis geminis, in cunis exiſtentibus, nam hoc ex lege certum fuit, ſed quis ex duobus, reſpondit vtrumq; regem eſſe debere, ſed magis primogenitum honorūdū, vbi oraculum non contempſit infantiam in regni ſucceſsione ordinaria, ſed & eam admittendam; & conſeruandam in iure maiorum dixit. Sic Carolus ſextus Galliarum Rex, ætatis ſuæ anno 13. & Athalaricus octo annorum cum ſucceſsit regno Gothorum, quod rexit ſub gubernatione Amalatiuntæ matris, Procopius lib. 1. de rebus gall.

Erat Salomon iuuenis regno ſuccedens 2. Reg. 1. duodecim annorum Manaſſes, filius Ezechiæ cū regnare cępit in Iuda 4 Reg. 21. 2. Paralip. c. 23. ſexdecim annorum Azarias 4 Reg. 15. Omitto infinita propemodum iuuenum & puerorum regum ſucceſſiones, qui à ſubditis fuerunt agniti, vt legitimi & naturales. Nec vnquam aliud probauit iuſtitia Romanorum, qui mortuis regibus eorum filios non priuarunt regno, & ſucceſsione, ſibiq; addixerunt, ſed datis tutoribus & coadiutoribus minoribus, alios omnes aliunde regna, & principatus inuadere cupientes, pęnis & legibus compeſcuerunt, idque ſolum ob eam cauſam, ne regna in gentes alienigenas aut falſo ſuppoſititios deuenirent, indeque familiæ certæ & nobilitatis ſtatus hominibus promiſcuis commiſcerentur, cuius rei non minus ratio habenda eſt, atque vt illegitimi arceantur, illos enim alienigenas dominantes vt oderunt nationes, ſic illegitimos dominantes oderunt Deus & leges eccleſiaſticæ, vtrumque patet ex variis eorum

rum

rum gubernationis incommodis. Proinde apud Lacedæmonas legibus cautum fuit, ne peregrini & extranei in vrbem reciperentur: legem olim Romę Petronia, & Papia, extranei à Ciuitate fuerunt expulſi, quia facilius ſeditiones & rebellandi occaſiones inde oriuntur. Vnde etiam in omnibus antiquis rebus publicis, & ciuitatibus liberis etiam nunc, tantum abeſt, vt principes alienigenæ eligantur, quin quod magis eſt, nec patiuntur peregrinos, niſi ex meritis illiſq; probatiſsimis: neque facile admittuntur inter ciues ex concilio prudenti Monothetarũ, ſolent enim ciues ex peregrinis doloſ & fraudes addiſcere, temporisq; progreſſu malis & diſsimilibus moribus imbui, nec non in alienas leges rituſq; & ceremonias abire, vt ſcribit Ariſtot. 7. Polit. c. 6.

Vt autem hæc difficilia ſunt in populo, ſic multo difficilius erit nouo Principi & peregrino aſſuefieri, aut ipſi perſuadere aliud iuſtum videri, quam ſibi & moribus fideiq; ſuæ videatur, ideo Deus iuſsit leges obſeruati & modum præſcriptum in eligendo rege, ne ſcilicet ſit alterius gentis homo, præuidens per extranei imperium, non tantum leges ciuiles immutari, ſed ipſam quandoq; etiam in ſubditis fidem & religionem.

Grande malum eſt ex ſuppoſititiis regibus & nothis gubernari vt enim ſunt plerunque audaces & ad vitia paterna etiam maiora procliuiores, ita rebus publicis regniſque & populo moleſtiores, ad hæc non poſſet haberi maieſtatis diſcretio in Imperio, vbi imperarei turpitudinis perpetuum exemplum, & in ſpurio regnante, impudicitiæ regis perpetua & continuata memoria, qua ratione Deus ab Eccleſiæ adminiſtratione eiiecit ex ſcorto natos, Deut. 23. & deinceps iura põtificia & ciuilia c. cum

in

in cunctis,& c.innotuit,de elect.c.filij.c.penult. de filijs presbyt.l.3.§.ſpurios.l.ſpurij,ff.de decurio.nec quidem niſi magna ex neceſſitate aliquando præclaraq; probitatis aut eruditionis exemplo, non ſucceſſionis iure ad dignitates permittuntur: Neque vlla coniectura probari poteſt inſtituentium principatus mentem aliquando fuiſſe, vt nothi qui probro ſunt omnibus,imperarent iure agnationis, quæ nulla eſt, vt quæ inſertione viliſſimorum hominum per concubinatum ſuſceptorum ſplendidiſſimæ familiæ conſpurcarentur, licet aliquando in tantum inualuit quorundam Principum excæcatio,vt inter legitimos filios & in honore,& regni partitione ſpurios coæquarint legitimis & naturalibus filijs,tamē experientia conſtat, exilium partitionis & ſucceſſionis fuiſſe valde infauſtum, & populo & ipſis legitimis & naturalibus, qui diu non potuerunt conuenire cum illis. Qui legerunt hiſtorias, varia & formidanda exempla inuenient, de eiuſmodi nothis & ſpurijs imperātibus, abſtinebo ego à nominibus,& relatione illorum,ob honorem & reuerentiā quem rectis veriſq; principibus ſemper detuli. ſatis erit exemplum Iſmaelis inducere,qui ex Ancilla natus, perſequebatur legitimum Iſachum filium liberæ, vt merito iuſſum ſit ab Abrahamo patri, eijce ancillam & filium eius. Gen.16. Neque illos admiſit ad ſubſtantiam hæreditariam,ſed ſeorſim illis munera diſtribuit. ſic Abimelech ſpurius Gerobaal. Iud. c. 9. ſeu Gedeonis, vt regnaret poſt mortem patris, occidit 70. fratres filios patris naturales & legitimos, ſuper vnum lapidem, excepto minimo Ioathano, vnde ad iram Dei effugiendam merito à talibus abſtinendam ducimus, ad illoſque recurrendum, quibus & natiuitatis honeſtas & parentum

decus, aliaque Principum reſpondent encomia.

Quia vero vt opinor pluribus probatum eſt, felicius & Deo & hominibus iucundius futurum regimen, ſub principe natiuo ex ſucceſſione, quam ex alieno per electionem facto, quod vtrunque tum ex commodis & incommodis pariter clarum euadit. Forſan abs re non erit, tacitæ quorundam obiectioni; reſpondere, quare ſcil. Romani Pontifices, idem tidem Sacri eiuſdem Rom. Imperij Cæſares eligantur, & non per ſucceſſionem ad ſummas rerũ proueheantur? Illud namque, etſi in veteri lege factum reperiamus per hæreditariam ſucceſſionem, ne tamen ex & iuxta carnalem propagationem eccleſiaſtici muneris verique ſacerdotij Ieſu Chriſti dignitas & Imperium vſurparetur, voluit ipſe Chriſtus, non tam generis propagatione, quam ſanctitatis, & morum doctrinęq; meritis idipſum moderari, ſicq; fit, vt religioſiſſimi quandoq; viri omnis generis in cellulis ſuis latitantes, ad pontificiam dignitatem Spiritus ſancti ductu eligantur, quod ſi per ſucceſſionem fieret, potẽtioribus ſemper & forſan minus dignis conferretur. Sic de Imperatoribus Romani Imperij in ſacris Canonibus prouisũ eſt, vt per Electores creentur, & non per ſucceſſionẽ, de quo aliàs. Vnum pro calce huius materiæ quærendũ eſt quid opus facto, ſi duo vna ſimul in orbem ex vtero materno prodirent principes, vt in Eſau & Iacob contigiſſe legimus, vter illorum in regno ſuccedere, vel præcedere debeat, cuius propoſitionis ea ratio eſt, poterit enim fieri vt ambo ſimul in vtero matris eodem tempore concepti, pariter vitalem auram ingrediantur, vbi non magis vnus quam alter primogenituræ ius ſibi vendicabit, atque manifeſtius apparebit propoſitio, ſi per inſectionem matris ſic duo

gemini

gemini concepti,& viuificati,animatiq; fętus in lucem eripiantur,vbi non erit vel difficilis ratio, vter illorum præcedet,cuius & illud difficultatem adauget, quid iuris ſi, ut in Abrahamo accidit gemini naſcantur partim ex libera partim ex ancilla, vel partim ex honeſta, partim ex concubina? Cui pro nunc quantum mihi viderur reſpondendum,quod in Eſau & Iacob. Gen.25. licèt gemini dicantur,& vere fuerunt ratione conceptionis, tamen quia non illius ratio attenditur,ſed ortus & progreſſus ex vinculo matris in mundum, ideo illam qui prior lucis vſuram acceſſit primogenitum dicam, nō alterum, qui poſt ipſum ſtatim ſubſecutus eſt; neque enim vt inquit lex Areſcuſa.ff.de ſtatu hom. natura permittit ſimul vno impetu duos infantes de vtero matris excedere, vt de ordine naſcentium non appareat. Si vero non appareat manifeſtè,quis prior ex geminis editus fuerit, reſponſionis Conſilium dat Vlpianus in l.ſi fuerit legatum.ff.de rebus dub.plane (inquiēs) ſi ita libertatem acceperit ancilla, ſi primum marem peperit,libera eſto,& hæc vno vtero marem & fęminam peperiſſet, ſi quando certum eſt, quid prius peperiſſet, non debet de eius ſtatu ambigi, vtrum libera eſſet nec ne, nec filia; nam ſi poſtea edita eſt,erit ingenua, ſin autem hoc incertum eſt, nec poteſt per ſubtilitatem iudicialem manifeſtari, in ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet,vt tam ipſa libertatem conſequatur,quam filia eius ingenuitatem, quaſi per præſumptionem priore maſculo edito. De inſectione porrò matris difficilius forte eſt reſpondere, nec tam certa ratione humana quam longa, & accurata obſeruatione nutricis id deprehendi poſſe antiquitus opinatum fuit, vt cuius maior foret in matre dilectionis affe-

ctus, eiuſdem etiam primogenituræ iura reiplenderent, vbi vero nulla humana obſeruantia ſufficere poſſet ibi ſecundum conſilium aliorum in vtrumq; fore diuidendum imperium, pro vt ſentit Io. Andreas ad Spec. lib. 4. p. 3. de feud aut vt alij putant, ſorte eſſe litem diſcriminandam.

De libera vero, & Ancilla caſus reſolutus eſt in lege Domini. quæ extat Deut. c. 21. Si habuerit homo vxores duas vnam dilectam alteram odioſam, genueritq; ex eis liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus is, volueritq; ſubſtantiam inter filios diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitq; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia, iſte eſt enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. Quæ de regnorum & principatuum ſucceſſione intelligenda non ſunt, ſed de alijs ex hæreditate ſubminiſtrandis, ſic enim non extulit primogenita Deus, vt vel ex nefarijs concubitibus procedentia, vel alio vago concubitu nodeuntia, honeſtis & legitimis prolibus preferri debeant: nam Iacob maledixit Ruben primogenito ſuo, quia aſcendit cubile patris ſui, & maculauit ſtratum eius Gen. 49. ſed potius vt quia præuiſa à Deo, & natura, ita etiam medio ad hoc congruenti prouenientia ad id quo inſtituta fuerint, operi præficerentur & hæc de hoc capite hactenus.

CAPVT XVI.

Quod Ferdinandus Archidux Auſtriæ ſit talis Princeps qualis hactenus deſcriptus eſt.

SCio quam plures hactenus ab offitio Dei veritatem dicendi abſtinuiſſe, domique ſuæ claudi ad inſtar ſutoris (vt dici ſolet) delituiſſe, ne vel iuditium aliorum temerarium incurrant, vel adulatorum cętui connumerentur, quorum vtrumque viro bono, & honeſto fugiendum eſt, maxime, ne adulator fiat, & ſi ex hoc iuditium falſum ab alijs accipiat, nec ob alterius iniuriam, veritas tacenda eſt, neque proximi ſalus omittenda, ſic enim Chriſtus ſaluator noſter opera bona facere nos docet, non ſolum in abſcondito, ſed etiam coram hominibus, dummodo oculus noſter rectus ſit, quantumuis debacchentur in illa inimici crucis Chriſti, & pſeudo Prophetæ ex illis occaſionem ſibi calumniandi accipiant, oportet enim ſcandala eſſe, ſed ve homini illi per quem ſcandalum venit, nec ideo quia ego bonus ſum, ait Chriſtus, oculus tuus nequam eſſe debet, aut quia ego bonum bonis rependo, exinde calumniari debes, eſt namque intentio iudex actionum; neque Chriſtus intendebat operibus ſuis ſanando & benefauendo hinc inde, laqueum inijcere Phariſæis, quia vero ipſi mali erant, ſibi cauſa ruinæ extiterunt ideoque ea te perditio venit Iſrael.

Adulari nunquam bonum eſſe poteſt, ſi quidem nec ipſa veritas placendi cauſa, dicenda eſt, multo vero minus mendaciū, quod natura ſua, ex eo quia men-

mendacium eſt, vtique turpe eſt ait Sanctus Aug. lib. 10. cap. 14. eſt autem adulator omnis veritatis deterrimus hoſtis, qui quaſi clauum figit in oculo eius, cum quo ſermonem conficit, ne quod ſub verborum lenocinijs venenum latet, poſſit reſpicere.

Scio ego etiam quantum reipub. & principibus malum adulatores inuexerint, puluilloſq; ſub cubito iacentis poſuerunt, vt quod corrigi ex culpa defuerat, in eo fulti laudibus, molliter conquieuerũt, væ igitur illis dicit Sanctus Gregor. moral. lib. 18. p. 4. cap. 3. ad 27. cap. Iob. hinc rurſum ſcriptum eſt inquit ille, ædificabat parietem, illi autem liniebãt illum, parietis quippe nomine peccati duritia deſignatur, ædificare ergo parietem, eſt contra ſe quæpiam obſtacula peccati conſtruere, ſed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruerſe agentes edificant, ipſi adulantes, quaſi nitidum reddant, ſed Sanctus vir ſicut bona de malis non æſtimat ita iudicare bona de malis recuſat, dicens, abſit à me, vt iuſtos vos iudicem, donec deficiam non recedam ab innucentia mea.

Vellem equidem ex factis quorundam principũ demonſtrare, quos iſti in grauiſsimos errores adulationibus ſuis detruſerunt, manifeſteq; oſtendere, quam ſint iſti huiuſmodi homines indigni, vt latere Principis aſsideant, niſi quod Sanctus Hieron. lib. 1. prouerb. ætate ſua deplorabat, hoc miſerrimo tẽpore adulationis vitium ita ſceptrum obtinuiſſe, vt ſubmiſsionisq; & beneuolentiæ loco ducatur: Contra vero qui ab eo abſtinet maleuolus aut ſuperbus exiſtimetur, ſed forte de hoc alibi; proinde nos ne aſſentationis ad ſaxa proiecti, vlli vel ſecularium, vel eccleſiaſticorum principum adulari videamur, quid veritas ipſa ſit mox aperiemus, ac in

hoc

hoc veritas conſiſtit, multorum bonorum ore concelebrata principum regumq; glotia, quæ aliud nihil eſt, quam aſſequi finem propter quem opus ſibi, commiſſumq; munus & perſona gerenda erit: Hoc vt plurimi expetiuere, ſic etiam plures à vera gloria laudis & veritatis errauere, à fine enim ſumitur modus eorum, quæ prouehunt ad illum, Deus autem nobis proponitur colendus ac fruendus, tantoq; melius & efficacius ipſum contemplabimur, quantum actiones noſtræ ab eiuſdem cognitione, & amore procedunt, tuncque actiones noſtræ & operationes ſtabilitatis habebunt pluris & efficaciæ, ſi illarum finem Deum conſtituerimus: dum vero ita à nobis conſtituitur Deus omnipotens & colitur, cęlitumq; & ſanctorum cętus beneficentiſſimus, atque ab omni labe puriſſimus, conſentaneum erit, vt odio ſummo à nobis habeantur, & ad nihilum redigantur, quicunque ijs aduerſantur, ac proinde in primis impij, cæteriq; magis, aut minus impijs viciniores, quod ſi hoc agamus, quomodo conſtabunt inter ſe beneficentia, & beneuolentia quæ ab amore, quo in Deum ferimur, procedunt, & mala alijs velle moliri, ac perficere, repugnant hæc inter ſe ſe, ac pauciſſimi ſunt, qui non in multa, ac ſæpe etiam magna cęciderunt errata, aliquo vitæ ſuo rempore: recte diſtingui ſolet ergo, amandam naturam, ſcelus eſſe exterminãdum, quod nil aliud eſt, niſi vt homines quantum fieri poteſt ſaluos velimus ac tueamur, vt per nos viuant, operam tamen omnem demus, vt abijciant ipſi vitia, quibus irretiti tenentur, ac virtutes induant inſerantq; animo penitus, & ad opera efficienda producant.

Cum vero hoc principum regumq; munus eſſe nemo ignoret, aliorumque magiſtratuum, quiſque

operi

operi ſuo finem exoptatum addidiſſe haud pernegabit, pro quo ipſi ſempiterna laude, & immortali gloria donētur. Eſt vero princeps pater publicus & communis, aliorumq; cauſa omnis illi cōmendata eſt, idcirco & vera principis gloria, populi ſalus eſt, ſi eam procuret tueatur & conſeruet, quod vt plerunque contingit ſic quod ſe princeps talem gerat, vt vnicus ſit ei finis ſalus & cura populi, hoc ex vera gloria & virtute propria principis procedit.

At vero ſi ſereniſſimus Archidux Carolus ſe pro communi patriæ parente, ac publico principe geſſerit, vtique tanquam pater & Princeps vti debuit clementia & manſuetudine, neque quidquam ei magis conueniebat, magiſq; glorioſum accedere poterat, ipſa clementia & manſuetudine vti in ſubditos, & amare rempub. ſuam in tantum, quod nihil ſibi ſupereſſe videbatur, quā optimi Principis offitium requirebat: Erat in Deum pius, & in religionem deuotus, in ſubditos benignus, in pauperes liberalis, in omnes æquus, ſicq; rem ſuam hic in terris exegit, vt ibi incępiſſe in cęlorum ſedibus credebatur, & hic finis ſibi conſtitutus fuit, vt hic non prius deſiſteret, donec ibi inchoaret, inchoandoq; perpetua frueretur fęlicitate.

Præclara iſthæc eſt operatio, cuius merces ſempiterna eſt, mercesq; glorioſa cuius ſempiterna eſt æſtimatio: tantoque Deo immortali nunc coniunctus manet, quanto à charitate illius hic in terris ſe minime diuelli paſſus eſt.

Hoc eſt indiſſolubile illud pactum quod Deus innuit cum ſubditis ſuis naturaliter, & iure cū creaturis ſuis corroborando placita, & promiſſa ſua, quod quæ procedunt de labijs ſuis non fiant irrita, „ Exod. 19. Si audieritis vocem meam, & cuſtodie-

" ritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cun
" ctis populis, mea eſt enim omnis terra, & vos eritis
" mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta, reſpon-
" ditq; omnis populus, cuncta quæ locutus eſt Do-
" minus faciemus: eſtque inſędere ſubiectionis cautum, ſi dimiſeritis Dominum, & ſeruientis Dijs alienis, conuertet ſe, & affliget vos, atque ſubuertet, poſt quam vobis præſtiterit bona. Deus vtique pacta ſua cuſtodit, neque illorum obliuiſcitur, cum eo coniungens miſericordiam, vt fęlicius præſtare poſſit homo, ea ad quæ exequenda naturaliter, nihilominus ſine vlla pactione iure naturæ obligatus eſt, & diuino. Vnde magis timendum quod expreſſe & in ſpecie iuratur & promittitur, ſicque interrogando & reſpondendo ſolenni ſtipulatione inter Deū, & homines firmatum eſt, quam ad quod communi naturæ ordine tenemur.

Atque hoc mihi inter cætera cum Sereniſſima domo Auſtriaca initum fędus videtur, cuius à primo ortus ſui origine, præclara fata contigere, ſingularique ad illud proſequendum Dei pactum in RODVLPHO primó, tunc comite Haſpurgenſi promiſſione corroboratum fuit, & ad prnm vſque tempus in eodem firmiter permanet. Videre eſt ex omnibus temporum noſtrorum annalibus quāta cum ſinceritate Principes, & Imperatores Auſtriaci à primo ſuo ingreſſu domum Dei, religionem catholicam, fidemq; illam auitam non ſolum coluerunt, ſed etiam longè lateque per vniuerſum orbem propagauerunt. Videre eſt quanta animi cum virtute, collectoque in immenſum militem omnes machinationes diabolicaſque hæreſum fraudes populſare, hoſtemque eius fidei catholicæ & chriſtianæ reipub. eliminari conati ſunt. Vnde & ipſi auſtriaci præ omnibus alijs regibus & principibus nomen illu-

ſtre & nunquam inter moriturum obtinuerunt CATHOLICVM. Quod illi ſoli PRINCIPES CATHOLICI & REGES dicantur, ſi quidem Sereniſſimis Hiſpaniarũ Rex PHILIPPVS TERTIVS REX CATHOLICVS dicitur & eſt: quorum opera & auxilio, virtute ſingulari, & incredibili humilitate factum eſt, vt totius chriſtianæ reipub. fideique conſeruatio penes eoſdem ſummis nitatur viribus, exindeque quaſi irriguis ex fontibus in alias omnes orbis partes promanet. Quod nulli mirum videri debet, ſic enim Chriſtus ſua præſentia nobiſcum ſe permanſurum obtulit: quod nunquam præualituræ ſint portæ infernales: demõſtratur hoc enigmaticè, quando in veteri lege Deus Sabbaoth per Heliam Thesbyten omnes Baal prophetas conuocare iuſſit, fideiq; illorum vanitatis conuictos, miſſo de cęlis igne combuſsit, ex quo ſibi plurinum extimuit Helias, quando Achab in occurſum illius veniens
„ ait, Tu ne es qui conturbas Iſrael? 3. Reg. c. 18. Vnde relicta Samaria in montem Oreb ad ſpeluncam ſe abdidit, quo bis euocato per Angelum, ſemper
„ clamauit zelo zelatus ſum pro Domino Deo exer-
„ cituum, quia dereliquerũt pactum ſuum filij Iſrael,
„ altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occide-
„ runt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt
„ animam meam, vt auferãt eam. Et ait Dominus ad
„ eum, vade, & reuertere in viam tuam per deſertum
„ in Damaſcum, cumque perueneris illuc vnges Aſa-
„ hel Regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vn-
„ ges Regem ſuper Iſrael. Eliſeum autem filium Sa-
„ phat, qui eſt de Abelmehala vnges prophetam pro
„ te (& poſt pauca) derelinquã mihi in Iſrael ſeptem
„ millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata
„ ante Baal 3. Reg. c. 19. & ad Rom. 11. cap.

Singulari Dei prouidentia hanc eādem domum Auſtriacam pro zelo domus ſuæ, & euerſionē prophetarum Baal, Deus euocare voluit, longe lateq; dilatare, vt quæ reliquiæ eſſent ad huc veteris religionis, ad occaſum & occidentem, ipſa in horreum quaſi recolligeret, emiſſoque deſuper virtutis ſuæ & pietatis imbre, reuiuiſceret, in altamque educeret progeniem, nec ſolum ſeptem millia ſub ditione auſtriaca reguntur, neque ſepties ſeptena, neque ſeptuagies ſepties ſeptena milia, ſed pręcipua totius chriſtiani orbis machina eidem paret, ſanctéque ac religioſe ab eadem adminiſtratur.

Hinc ab omnibus Auſtriæ principibus per deſcendērem lineam fortiſsimos Heroes enumerare ex ordine potes quorum quilibet ſuos proprios in alios ramos protendit, altiſsimasque radices vſque agit, quod nunquam ab eadem ſtirpe nomen Domini deſolabitur. Non libuit autem hoc loco ſingulorū genealogias aſcribere, longum enim foret, ad hoc manifeſtum eſt omnibus, Sereniſsimi Archiducis Caroli, & coniugis ipſius Sereniſsimæ Annæ Mariæ progenies Illuſtriſsima, vt omnibus exinde pateat quam Deus mirabili ſua benedictione fęcundet domum Auſtriacam, eorumque principum timentes Deum in longas producat nomen generationes.

Fuit Carolus ille Archidux quondam princeps religioſiſsimus ſimul & pientiſsimus, fidei religioniſq; chriſtianæ propagator ſolertiſsimus, ſtemma ſuum ducens ex parente inuictiſsimo Romanorum Imperatore FERDINANDO ſecundo cuius etiā ſumma extitit in rempub. cura amorque ſingularis, id ipſum rerum & negotiorum moles, aliaque præſtantiſſima facta, ab illoq; geſta teſtantur eiuſdemq;

egregiam indolem fortiſsimumq; pro ſalute totius imperij chriſtiani animum, teſtatur CAROLVS ARCHIDVX AVSTRIAE cuius mors nobis omnibus amariſsima intempeſtaque orta eſt, teſtantur id quoque de Carolo omnes vtriuſque ſtatus ordines, prouintiæq; poſt ipſum ſuperſtites, quas cum tanta ſollicitudine rexit, ſubiectosq; ſibi populos, vt omnia, & omnes quaſi quæ ſua eſſent curauerit. Erat in ipſo præ alijs excelſa animi virtus & conſtantia, tantæque tranquillitatis imago, vt vultum nunquam mutauerit mærore vel gaudio, moderatiſsimus in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia indulgentia liberandis, fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos, cum igitur in amore omnium imperaſſet & ab omnibus ſuis proceribus, modo pater, modo patronus, modo pater patriæ, modo frater, modo filius, vt cuinſque ætas ferebat, diceretur & amaretur, decimo menſis Iulij anno nonageſimo vltimum vitæ ſuæ diem in metropoli ſua Grecenſi fęliciter clauſit.

Hinc ſingultus iſthinc lachrymas, ibi clamores, alibi crinium euulſiones, vndique triſtiſsimam luctuoſiſsimamq; faciem videres. Quid non chariſſima coniux nouo adhuc prægrauata Archiduce? Quid innocentiſsimi heroes filij Archiducis? Quid caſtiſsimæ Heroinæ Archiduciſſæ? nouellæ oliuarum, quaſi in circuitu emortuum deplangunt parentem, ſcio quãtus tunc inuaſit Illuſtriſsimos prouinciales proceresque omnium ſtatuum, rerum factorumq; timor, qualiſque animos ipſorum cogitatio ſubijt Eheu heu Carolum Archiducem noſtrũ vere patrem patriæ amiſimus, coronam capitis & filiorum noſtrorum nutritum, perdidimus, victoriam de inimicis non habemus. An non iſthæc ſu-

bita mutatio tamque optimi principis iactura, ſummam in repub. pareret confuſionem? vbi enim non eſt ordo ibi maxima confuſio, at ordinem tenuit Carolus, tam in fide, quam in finibus, domi foriſq; cuncta inſigni prudentia & præmaturo conſilio inſtruxit, illo vero ſublato emortuoque iacent omnia vel iacebunt.

Actum iam putares de prouintijs, de fide, deque finibus Carolinis, ſic enim præſagit quandoque incerta mens hominum mala, vt fidem ſubigeret hæreticus, turca prouincias, terra caperet emortuum Carolum.

Hæc aliaq; longè proſpiciẽs FERDINANDVS tacitoq; ſecum pectore obuerſans, non dum à Deo cum patre, totaq; inclytiſſima domo Auſtriaca initum fędus diſruptum putauit, ſed inditium ſibi factum notiſſimumque argumentum præſtitum, quo inſitas ſibi virtutes, pietatem, religionẽ, aliorumq; honeſtatum diſciplinarum tunc in pręclariſſima Ingolſtadienſium vniuerſitate, cum & doctiſſimorũ, & religioſiſſimorũ ſocietatis Iheſu patrum frequenti conuerſatione addidicitam ſcientiam, expromeret, patriſq; ſui veſtigijs inſiſteret, ac prouincias relictas vna cum dilectiſſima matre ſua, fratribus ac ſororibus in fidem reciperet. Hunc ſibi ſucceſſorem paternorum iurium reliquit Carolus SERENISSIMVS, teſtamentoque ſuo confirmauit FERDINANDVM, ſuarum virtutum heroiciq; pectoris æmulum, qui eadem coſtantia, ſapientia, prudentiaq; alijs ſuperior ætateq; grandior, viam Domini in virtute pararet, eaque quæ ob immaturam mortem patris reſidua erant, ipſe ſuppleret, corrigendo, emendandoq;, atque in priſtinum ſtatum floremq; perduceret.

Me-

Meminiſſe licebit ſuperiorum regum, & principum qui iuuenili ætate præclarè res ſuas rexerant, quibus inter alios adiungi poteſt Athalaricus Rex tantum octo annorum cum ſucceſſiſſet regno Gothorum, quod is rexit ſub gubernatione Amalatiunthæ matris ſuæ: ſic forte dices inſtituiſſe FERDINANDVM noſtrum prouincias populumque ſibi ſubditum conſilio & authoritate matris ſuæ ANNAE MARIAE?

Vtiliſſimum ſane quandoq; mulierum conſilium fuiſſe gubernationi reipub. exempla plurimarum fidem faciunt. Nero namque initio ſui principatus, & imperij matri Agrippinæ ſummam rerum publicarum, & priuatarum permiſit. Primo etiam imperij die ſignum excubanti tribuno dedit, optimam matrem. Sueton. in Nerone Claudio cap. 9. quantum profuerit ad victoriam admonitio Deboræ conſtat c. 4. Iud. quam fęlix factum & conſilium Heſter, ad ſalutem eiuſdem populi, de quo omnino deſperatum erat, propter inſidias Amon, patet ex cap. 6. Heſter. validum & admirãdum fœminæ pectus Iudith, laudatur ſapientia conſilij Abigailis quo liberauit maritum 1. Reg. 25. Scribit Arianus lib. 1. de geſtis Alex. in Aſia receptum fuiſſe à Semiramidis tempore, vt & vxores regum poſt mortem illorum regerent & hoc fere in omnium regnorum conſenſu receptum eſt, in quibus principatus ex ſucceſſione, probata lege primum, vel expreſſo, vel tacito diutino cõſenſu, ad proximos defertur, vt fęminæ etiam ſuccedant in illis, potiſſimum deficientibus maſculis, vt in Scotia, Anglia, Hiſpania, America. Vnde Zenobia Odenati Regis vxor, vt refert Iulius Capitolinus in Galienis, occiſo marito, & cum paruuli filij eius eſſent, ipſa ſuſcepit imperium, diuq; rexit

non

non muliebriter, neque femineo more, ſed non ſolum Galieno, qui erat Imperator melius imperare potuiſſet, verum etiam multis Imperatoribus fortius atque ſolertius.

Iuſtinianus profitetur ſe conſulium in lege condenda ſumpſiſſe à Reuerendiſſima coniuge ſua, nouella 8. cap. 1. §. hæc omnia, vt iudices ſine quoquo ſuffragio. Vnde mirum videre non debet, ſi dicta Principiſſa Archiduciſſa vidua Caroli fęlicis recordationis, filio ſuo FERDINANDO adiumento fuerit, ad bene fęliciterq; gubernandum, ipſumq; aliquando præierit dictis factis, & verbis: ipſa namque edocta viri ſui prudentiſſimi Caroli Archiducis exquiſito conſilio, quem imitata fuit ſemper, non ſecus atque olim Regina Saba, ad audiendam Salamonis ſapientiam 3. Reg. 10. & 11. ſic ipſe quoque tunc inſtituit ſuum FERDINANDVM, commouitq; ad fortiter pro fidei & religionis integritate conſeruanda, aliaque inimica, quæ ſparſim in partibus longe diſsitis iacent, eliminanda, intrepidum eſſe, Deumq; ſibi protectorem futurum ſperare. Vnde illud eidem æque conuenire poteſt, quod legitur in parab. Salom. 31. mulierem fortem quis inueniet procul & de vltimis finibus pretium eius, confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit? Dicerem fortaſſe & illud, quod Debora, ſine cuius conſilio iuſſuq; nouit mouere exercitum Barath filius Abinos, cōtra Siſaram Principem exercitus Iabin, Iud. 4. conſilio & præcellenti animo Iſraelem liberauit de manu Iabin Regis Chananæorum, eratque ob id Deo grata, & propheti ſſa, & iudicauit populum in illo tempore. Adijcerē quantas eadem hactenus poſt principis ſui Archiducis mortem, remotiſſimas orbis partes inuiſerit, laboreſq; duriſsimos

pro

pro ſalute charorum filiorum ſuperarit, nec maria refugerit, nec aſperrimos Tranſiluaniæ colles, inuia præruptaq; Poloniæ itinera exhorruerit, quin reuocato gradu, eadem iterum pro anniuerſario Reginæ Sereniſsimæ Poloniæ ANNAE filiæ ſuæ longe dulciſsimæ adijt: Poſthæc filiæ ſuæ Margarithæ alteri Reginę Hiſpaniarum vices reddidit iſtincque ex metropoli Gręcenſi in Styria Ferrariam Italię vrbem fortiſsimam, exinde turbulentiſsimum maris, impetum traijciendo, Genuam appulit, dehinc vſque Hiſpanias peruenit, ad inſtar fortiſsimæ ſagaciſsimæq; Leęnæ catulos ſuos vbique terrarum inſecuta; tandem laborum neſcia chariſsimi filij ſui FERDINANDI fortunam conſortemq; meditatur, vbi deinceps ex ipſo alijs dulciſsimis ſuis pignoribus longæuam proſpectura eſt progeniem. Ecquis vero tam inſolita tamque ſtupenda in fragili ſexu muliebri non admirabitur? laudent alij Theano Metapõtinam filiam Leophronis Philoſopham eximiam, Corinnam Archedolori & Procatiæ filiam Poetam, Aſpaſiam mulierem doctrinæ fama atque in ſtudijs Phyſicis claram, Alij Leontij Philoſophi Athenienſis filiam, nomine Aethenais, apprime in omnibus diſciplinis, & Philoſophia omni actiua & contemplatiua, item Mathematicis, Geometria, Arithmetica, Aſtrologia, & alijs eruditam aliaſque viduas quæ Galieni Imperatoris temporibus Plotini Philoſophi ſcholas frequentare ſolebãt, vt ſcribit Atheneus lib. 13. & l. Qui filium hæredem. ff. vbi pupillus educari debeat, vt meminit Iulianus Iuriſconſ. Nos Archiduciſſam Auſtriæ viduã ANNAM MARIAM reliquis omnibus merito anteponendam ducimus, quippe quod illæ omni terrenarum rerum ſtudio & vana loquacitate exer-

citatæ fuerint,hæc vero in ſolida chriſtianorum Philoſophia tam actiua quam contemplatiua magiſtra effecta eſt, neque ſolum filum aut acum tractare didicit,ſed alias bonas,& honeſtas diſciplinas edocta eſt, multisq; aſſuefacta, quo ingenio prudentia pluribus viris antecellere poſſit. Quare & ipſa poteſt conſulere reipub.& rei domeſticæ & laboribus ingenij corporiſq; cuius ratio eſſe poteſt, quod ipſa reſpub. vel principatus nõ tam corpore quam mente regatur & prudentia conſilioque.

Tali progenitrice natus FERDINANDVS talique parente quondam vtriuſque Beucariæ Rhenique Ducis Alberti filia,genere & proſapia clariſſima,talibus inquam ſtipatus progenitoribus FERDINANDVS, tanta animi bonitate donatus, virtutum omnium floribus circumdatus,diſciplinis liberalibus ſcientijſque præclaris eruditus, ſuprema denique Dei optimi maximi gratia illuſtratus,quid ſibi amplius ad rempub.gerendam deeſſe poterit? quid cunctabitur? aut operietur alium dicentẽ ſibi? Verum eget (inquies) Princeps bonorum conſilio, & legum auxilio,& diligentiſſimis expertiſq; viris, qui bene conſultata exequãtur, aliter imperfectum erit perpetuò regni, & principatus legitimum negotium, at non deſunt huic vtriuſque generis monitores & conſultores,tam viui quam mortui,viuos dixerim illos, qui experti regimen fuerunt, & qui experientia & prudentia viri iam comperta habent quæ vtilia ſunt, quæve contraria ſaluti reipub. & hæc faciũt optimi Principis conſiliarij,quales olim habuit Moyſes num.11. & Iethro eidem aliquando perſuaſit, Exo.18. Mortui erunt ſi peritorum,& bonorum authorum in hac arte legantur monumenta, quibus omnibus ſe accommodari poterit prin-

ceps & audire oportune, qua ſibi ingrediendum ſit, & quam aſpera & difficilis, vel quam facilis ſit & peruia principis gubernatio, conſiderando ſecum ſemperque ruminando conſilium illud prudentis, vt ait Vegetius lib. 3. fieri quid debeat cum multis tracta, quid facturus ſis cum pauciſſimis, vel potius ipſe tecum: nulla enim ſunt meliora cõſilia, quam quæ ignorauerit aduerſarius, antequam fierent.

Optimo omnium iuditio vſus conſilio Ferdinandus quando ſuam in primis Deo, illiuſq; hic in terris Chriſti filij vnigeniti ſui vicemgerentis Vicario, Sanctiſſimo Domino noſtro Domino Clementi VIII. Papæ, & pietatem reuerentiamq; pariter & obedientiam exhibuit, fidemq; & ſinceritatem erga eandem ſanctam ſedem apoſtolicam demonſtrauit, eidemque ſe, & ſuas prouincias quam potuit, & debuit obnixè comendauit, probe ſciens à Deo principium boni regiminis atque optimi principis gubernium expetendum, nec ipſum ſpes fefellit ſic adeuntem ſummũ Pontificem, ſupremumq; Hierarcham, quin clementer ab eodem exceptus, paternoq; affectu complexus, vtque pater filium conſolatus eſt: quibus ex ſententia rebus perfectis, ſanctam benedictionem accipiens, ab hinc ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli limina viſitando, Romam vſque perrexit, vbi pluribus ex ſacratiſſimo Cardinalium Senatu præſulibus fauſtu illi, feliciaq; acclamantibus ſumma & penè ſingulari in Ferdinandum vſi ſunt beneuolentia & humanitate, omnibuſq; ex ordine ipſum viſitantibus ſinguli ſua ſibi obtulerunt offitia, mutuamq; in Deo ſinceramq; charitatem: ipſius viciſsim admirantibus raram animi prudẽtiam, morum comitatem, loquendi promptitudinem, atque quod Cardo Principis

eſt

eſt in rebus agendis peculiarem dexteritatem: cuius rei poſtea maior increbuit fama celebriorq; diuulgari cępit per totam Romanam curiam, quando is FERDINANDVS in ſua metropoli Grecenſi fabuloſæ illius (vtar verbis D. Epiphanij de hæreſ. lib. 1. hæreſi 30.) multiplicitis hydræ ſerpentariam formam expellere, nouaſque de fide & religione leges per cunctas prouincias ſuas condere cœpit, hominibus nihil tale expectantibus, neque tale quippiam FERDINANDVM nouum Principem moliturum opinantibus.

Sane vti res iſta fuit noua, ita multum periculoſa, magiſque iſtis nouis hominibus exitioſa.

Hoc ſummum maximumque eſt tibi FERDINANDAE Sereniſſime in Romana Curia elogiū, triumphus potentiſsimus, nomenque perpetuo victurum.

Cura tibi Diuum effigies, ac templa tueri,

I, perge, aggredere, votaque fata ſinunt.

Quid ergo moror vetuſtiora prædeceſſorum acta geſtaque præclara recenſere? Vnius FERDINANDI memoria fęlicia nobis tēpora repręſentat, princeps optimus natus eſt, atque à natura datus, qui rempub. chriſtianam, & ſchiſmatum & bellorum turbinibus afflictam recreet, conſtituat atque gubernet. Cuius in animo præclariſsimæ dotes omnes munia ſua obeunt, atque offitia ſua non deſerunt, adeo certe, vt etſi non eſſet ex heroibus illis oriundus, in quibus ſemper gloria ſincera, honoris ſplendor, decus verum enituit: animus tamen ſuus pulcherrima virtutum maximarū cohorte circumſeptus, omnia illuſtria excelſa, quæ ad communem vtilitatem ſpectant, iure ſuo ſibi vendicare & præſtare deberet.

Si enim de continentia vitæque caſtimonia & victus moderatione dicendum eſt, ſiquidem principem eſſe nouit, ſed non ea ratione præpoſitum, vt reipub. bonis abutatur, ſed vt modeſto vſu contentus, cætera ſubditis integra conſeruet; neque Principem alio ventre, aut corpore præditum quam hominis, & proinde poſſe ſi velit, iiſdem quibus cæteri homines contentum eſſe, viuere, veſtiri, & mori? quæ omnia communia ſunt omnibus, vt reliqua humana. Hæc vero ordinarie ſunt obſeruanda, præter illa vero ſunt quandoque principibus abundantiora, & ſplendidiora conuiuia pro maieſtate ſua ſignificanda neceſſaria, tempori ſiquidem noua rerum occaſio, multa permittit quę in conſuetudinem trahi non debent à principibus.

Nicephorus Calixtus loquens de Maximino Imperatore Orientis, & eius ingluuie: vino autem multo inquit deditus fuit, ad ſummam contumeliam, petulantiam, & crudelitatem, quæ ex ebrietate proueniunt, nihil fecit reliqui, lib. 7. eccleſiaſt. hiſt. cap. 21. Narrat Q. Curtius quantum nocuerit Alexandro ebrietas, quotque fecerit homicidia, quorum valde pęnituit: in ſobrietate laudatur frugalitas Thiberij Cæſaris, qui vt parſimoniam publicam ſuo exemplo iuuaret, ſollemnibus etiam cęnis pridiana ſæpe, ac ſemeſa appoſuit, dimidiatumq; Aprum, dicit Suetonius in eius vita c. 34. & ſi nimia horum parſimonia fuit, imitanda erit Marci Antonij pij vita, cuius virtus talis fuit, vt eſſet opulentia ſine reprę henſione, parſimonia ſine ſordibus, & menſa eius per proprios ſeruos, proprios aucupes, & piſcatores & venatores inſtrueretur. Sic continentia Alexandri Magni laudatur à Q. Curtio de geſtis Alex. erga vxorem Darij, & regias virgines, quas ita ſancte habuit,

buit, vt ſi ab eodem parente fuiſſent genitæ, quod & beneuolentiam illarum & regis in fuga exiſtentis, promeruit. Cyrus Perſarum Rex Pantheam omnium mulierum formoſiſsimam captiuam, in conſpectum ſuum adduci vetuit, tantum opprobrium Principi eſt, videre eum Veneri prohibitæ vacare, qui exemplo cæteris eſſe debet obſeruationis mandatorum Dei, quorum vno prohibetur mechia: nec ſordius quidquam, quam ſuam maieſtatem ad vile ſcortum deijcere, cum poſsit honeſto matrimonio coniungi, nec deteſtabilius vllum, quam Principē cuſtodem, & patrem ſubditorum, contrario actu ſuorum ſubditorum ſtupris, adulterijs honorem perſundare. Vnde ſi Dei vindictam effugere velit, hæc ipſe ſolum non faciet, ſed nec in aula ſua fieri patietur, omneſque occaſiones, & reliqua cunctaque eo animam impellere poſſunt, præſcindet, mimos, hiſtriones, Choreas, aliaque pręludia ad luxuriam prę cauēdo. Si vero de ſuperbia quod vitium affine eſt, ſcilicet guloſitati, loquamur, hæc principibus, non minus conuenit, quam nimia deiectio, quæ quidem ex ſatietate panis, & victus abundantia originem accipit, vt teſtatur Ezechiel c. 16. vbi Sodoma cum tota repub. abſumpta eſt. Multa pericula vitabit princeps, ſi vires ſuas agnoſcat, ne ſupra id, quod eſt; ſe extollat, neve plura quam poſſit, exequi præſumat, neque alios contemnat: eſt enim ſuperbia appetitus excellentiæ inordinatus, qui prouenit ex eo, quod aliquis ex voluntate tendit ſupra id, quod eſt, qui enim vult ſupergredi id quod eſt, ſuperbus dicitur.

Recordari expedit eius quod monet S. Chryſoſt. tom. 1. hom. 31. ſi quis (inquit) innumerabilia bona fecerit, virtutem omnem abſoluerit, ſi tamen quid

de

de ſe magnum ſentit, maximus omnium miſerabilis eſt, & miſer, & poſt pauca, adducit Phariſæum & publicanum ex tex. diui Lucæ 18. & Paul 1. Cor. 4. Sic nos Nabucdonoſorum, & Pharaonem, quorum alter fęnum vt bos comedit, alter vero aquis inuolutus ſero didicit, quid ſit ſuperbia. Dan. 5. Exod. 5. & 14. Illudque exinde ſequitur quod valde animi ſubditorum alienentur ab eorum amore & obedientia, & hoc tamen eſt vitium commune imperantibus & nihilominus debēt curare, qui diu, & ſecurè voluerint imperare, eſtque maxime difficile, vt dicebat Marcus Imperator (Herodianus in primo) apud Herodianum, in maxima licentia ſibi moderari, quaſiq; frena imponere cupiditatibus, potiſsimum quando res ſuccedunt ex animi ſentētia, & ridente fortuna.

Quid inquit D. Chryſoſt. hom. 24. in Matht. tom. 2. arrogas homo, quod ſublimi curru veheris, quod te trahit mularum iugum, æquale illud eſt, nam & ſaxa plerumque, & lignum geſtant. ſed ſpecioſa veſte circumdaris, ſed reſpice, pro cultu veſtium, virtutum decore fulgentem, & videbis iam te freno putrefacto ſimilem. Illum autem arbori admirabiles fructus ferenti, maximam præbenti cernentibus voluptatem, tu quidem circumfers pectum vermiū atque tinearum, quæ cum tibi incubuerunt celeriter huiuſmodi ornatu nudum relinquent, qui ſtolam habet virtutum non poteſt illa priuari, nec illa corrumpitur, nec tinea, nec vermibus, nec morte ipſa.

Fertur de prudentiſsimo Carolo V. Imperatore Auſtriaco in funebri eius oratione Sueuica, eum anno quinto ante mortis periodum, inter maxima regni negotia ſarcophagum ſibi aſtrui curaſſe, cum

omni

omni ſupellectili, quæ mortuo ad ſepelliendum neceſſaria ſunt, idq; clanculum, ne ad hominum oſtentationem, aut ſimulatam religionem factum videretur, quem apparatum habuit apud ſe, quinque annis, vbicumq; terrarū eſſet ſecretiſsimè, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficiſceretur, eumq; diligentiſsimè ſingulis noctibus ſemper conſeruauit, ac reponi iuxta ſe iuſsit, ſic ſibi ſemper ſepulchrum adeſſe voluit, vt perpetua mortis recordatio eximeret à corde vanum huius mundi faſtum, fluxamq; ſuperbiam.

Huiuſmodi humilitatis virtus adeo innata eſt. FERDINANDO, vt ipſam cum omni grauitate cęteriſq; virtutibus conuinctiſſimam inuenies, non
„ enim ingreditur Spiritus Domini (dicit propheta)
„ in animam ſuperbientem, ſed humilem & timen-
„ tem ad ſermones meos. maximum hoc eſt orna-
„ mentum Auſtriacorum Principum præcipuumq;
totius maieſtatis fundamentum, vt enim quis ædifitium ſplendidius magiſq; amplum extruere cogitat, tanto profundius fundamentum (ait) vt ea quæ ſuperſtruenda ſunt firmius perſiſtant. Sic diuina illa comitante virtute, ipſi à Deo regnum perceperunt & in ſinceritate perfecta cordiſq; ſimplicitate direxerunt, penſantes rerum humanarum circulum eſſe, qui rotatus ſemper eoſdem fortunatos eſſe non ſinit, diuinaq; inſcrutabilia iuditia, inueſtigabileſq; viæ eius, vt fęlicitas illa terreſtris & momentanea, à Deo quandoque concedatur, ob bona quædam peracta, & ſic recipiatur remuneratio in hoc mundo, ibique vita priuentur æterna, aut pro grauioribus malis, ibi pęnas æternas, quod Ibycus Ethnicus maxime timebat, vt refert Plato in Phædro, & vt refert Plutarcus in lib. *συμποσιακων λόγω*, d. dicebat.

bat. δέδοικα μή τι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω, ideſt timeo ne aliquo in Deum admiſſo delicto honorem ab hominibus per permutationem accipiam. & forſam hæc præclara reſponſio admonere potuit Philippum Macedoniæ regem ne felicitate nimia efferretur, vnde ille id munus deſtinauit vni ex pueris ſuis aulcis, vt ſummo mane cubiculum ingreſſus pronuntiaret, ἄνθρωπον εἶ φίλιππε. Homo es ò Philippe.

Dum vero humilis vult eſſe princeps, videat, ne nimia inde ſibi fiat deſpectio, cum regendi ipſius exinde ſæpe frangatur authoritas, ſolet enim ex nimia humilitate, vel neglectus dignitatis & principi & ſubditis officere, conſilio ergo vtendum eſt Vlpiani, in l. nec quicquam, circa aduocatos. ff. de offi. procur. vbi docet proconſulem oportere eſſe patientem circa aduocatos, ſed cum ingenio, ne contemptibilis videatur.

Optimè mihi ad hanc rem principi ſequenda videtur ſententia Iulij Cæſaris celeberrimi Imperatoris, quam ad milites ſuos aliquando tumultuantes dixiſſe refert Dio. Caſſius lib. 41. Ego, inquit, ſacræ neque aliàs rectum eſſe arbitror, vt qui principatum gerit, ſubditis ſit inferior, neque ſalutare quicquam agi poſſe cenſeo, vbi hi quibus iniunctũ eſt, vt dicto ſint audientes. imperare ipſi velint. Intelligitis enim quàm ſit probè futura ornata illa domus, in qua natu minoribus ætate grandiores deſpectui ſunt, aut ludus literarius, vbi diſcipuli magiſtros contemnunt. Quæ verò ſpes ſanitatis ægrotis, ſi non per omnia medicis obtemperent quàm tuta nauigatio, ſi nautæ gubernatoris iuſſa non pareant? Ita natura duas neceſſarias res, eaſque ſalutares comparauit in humano genere, at alij cum imperio

perio eſſent, alij ſubijcerentur, nihilque eſt, quod abſque his ſit, vel minimo quidem ſpatio perdurare queat.

„ His adſtipulari videtur ſapiens Prouerb. c. 5. Ne
„ des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli,
„ ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labo-
„ res tui ſint in domo aliena. Quare Eccleſ. hoc prin-
„ cipis factum errori tribuit cap. 10. Eſt malum, in-
„ quit, quod vidi ſub cœlo quaſi per errorem egre-
„ diens à facie principis, poſitum ſtultum in dignita-
„ te ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos
„ in equis, & principes ambulantes ſuper terram
„ quaſi ſeruos.

Vnde ſicut vtrumque vitio datur principi, ſuperbia ſcilicet, & nimia animi abiectio, qua ſe omnibus ſubſternere & ſupponere vult, quod indignum eſt principatu, & rebellandi exinde ſubditis, in alteriuſque tranſeundi dominationem occaſio ſubminiſtratur.

Quid de clementia & benignitate plura opus referre erit? Signum hoc eſſe certiſſimum, de infelici ſtatu reipub. omnes atteſtantur, quãdo populus aduerſus principem inſurgat, vel ſuum rectorem contemnat, non ſecus ac ſi ſubditi inter ſe factionibus & diſcordijs ſibi aduerſantur. Concordia enim res paruæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur. At verò Carolum Archiducem quis vnquàm ex ſubditis odio habuit aut cõtempſit, nec ij quidem, quorum in malefacta vt debuit, iuſtiſſimè animaduertit, quicquam ſibi iniquè precati ſunt, tantumque abeſt, vt ſibi exoſos habuerit, vt omnes ſibi amiciſſimos chariſſimosq; clementia ſua deuinxerit. Vnde rectè dicere poterat, illud Athalarici Regis apud Caſſiodor. lib. 9. c. 18. & noſtra verè pietas cuſtodie-

batur, dum feriato gladio naſcebatur metus, & proueniebat ſine cruore correctio, commoti enim ſumus placiti, minati ſumus otióſi & clementer, irati ſumus, quando ſola vitia damnauimus, cura & anxietas magna fuit, videre ſubditos vitijs ſcatentes, felicitas verò noſtra, habere morigeros & amatores eorum, quæ expediunt. Sic labor cogitatione auferebatur regnanti, dum ſubditi ſibi profutura diſponebant, vt dicebat Theodoricus Rex ibid. lib. 3. c. 49. Hæc pietas fuit CAROLI, hic animus, hoc ſtudium, cura, perpetuaque ſolicitudo.

Nec aliud filio ſuo FERDINANDO reliquiſſe putandum eſt, ſic enim gloria ingens moriētis principis expoſcit, aiebat Vopiſcús in Tacito, quod rem pub. magis amet quàm filios; vtique ſecurus de filio, minus verò de pace & ſalute, quæ ex filio in rem pub. defluere debet; ideoque magis curam habuit de populo ſibi commiſſo. Vnde quod olim ad Alexand. Magnum dictum fuit, vt eſt apud Aelianum lib. 14. var. hiſt. idipſum Carolus ad FERDINANDVM memorabile dictum dixiſſe potuit: ad gloriam (inquit) incumbe, verùm ea conditione; ne ſis peſtis vel magnus aliquís morbus, ſed pax & ſanitas, affirmans per vim & ſæuitiam expugnare ciuitates & populos exſcindere, peſtilentiam eſſe; ſanitatis verò ſalutiſque ſubditorum rationem habere, eſſe pacis commoda.

Simile quid Marcus prudens Imperator iam moriturus, commendaturuſque filium ſuum populo, dixit, vt ait Herodianus in 1. neque aut pecuniæ vis tyrannidis luxuria explere, aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt, niſi illi ipſi quos regas, animum imperanti beneuolentiamq; accommodent. Quippè ij diu demum tutoq; imperant,

qui

qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate ciuium ſuorum animis inſtillant, neque verò quos ſeruire neceſſitas coegit, ſed quos obtemperare ſua quemque voluntas adegit, ij ſunt in agendo patiendoque à ſuſpicione omni aſſentationeq; vacui, nunquam imperia detrectant, niſi violenter contumelioſeque ſint habiti.

Magnum ſibi FERDINANDVS ſuffragium apud proceres populumq; omnem adiunxit, quando poſt mortem patris ſui Caroli in Imperio principatuq; ſuccedens, hanc modeſtiam & bonitatem animo præſeferebat, neque aliud nobis (inquit, dũ inaugurraretur) decretum eſt, quàm pro authoritate noſtra id agere, quod vobis ac toti reipub. Chriſtianæ ſalutare, nobiſque bonum & rectum videbitur, voſque conſiliarios habere reipub. gerendæ; Viuetiſque pro arbitrio in libertate illa, quam vobis antea à patritijs Imperatoribus ereptam, Carolus pater meus reſtituere conatus eſt; neque immeritò, regum enim & principum eſt ſubditis volentibus imperare, Tyrannorum inuitis dominari; regibus & principibus lex duodecim tabularum rectè conuenit: Salus populi ſuprema lex eſto, quam ſi exequantur, fieri non poteſt, vt non viciſſim à populo diligantur, quia natura humana prona eſt ad remunerandum, & gratiæ ita ſe manibus coniungunt, vt vna gratia aliam pariat. Stultum autem eſt credere, principem diligi à populo, ſi ipſe eum non amet & publica negotia.

Inter preconia virtutis Traiani Cęſaris Dio. Caſſius plura recenſet, illud eum cupiuiſſe magis, à ciuibus ſuis amari, quam timore affici, & cum populo humaniter, cum Senatu honorificè verſatum eſſe.

Verùm in hac re magna opus eſt prudentia FER-

DINANDO Archiduci, ne dum nimia ſibi erga ſuos vtendum putet bonitate & clementia, corruptelam quam ipſe vocat libertatem maledicendi & calumniandi, impunitam habere permittat. Impoſſibile enim eſt, principem populo rectè adminiſtrare rempub. ſi ex arbitrio eorum illam velit regere; populus verò à Deo commiſſus eſt principi, regendus, non ſequendus, neque vanæ populi voces audiendæ ſunt, neque is quem elegerit populus, ideo probandus, aut quem reiecerit, reprobandus, vt fuit ſtatutum in Concilio Sardienſi, quod refertur c. 2 de elect.

Detrahet princeps ſuæ authoritati & dignitati, ſi populi ſui ſentētiam iuxta poſtulata neceſſario admittat, neque principatus libertate fruitur, ſed veluti democratiæ videtur obnoxius, nam olim ſpes illicitæ coactionis inualuit in populo, ad cuius clamorem manumiſſus fuit ſeruus proprius, cuius tamen inualidam manumiſſionem decreuit ampliſſimus ordo l. 3. C. qui manumit. non poſſ. & Paulus I. C. in l. ſi priuatus. ff. qui & à quib. manumiſ. lib. non. ſi. ex conſtitutione Marci Imp. ibid. Solet enim plerunq; populus abuti clementia & bonitate nimia principis; ideò operepretium erit Principi FERDINANDO, hāc ſuam innatam animo bonitatem, patriſq; ſui imitatam clementiam, paululum cum maieſtate ſua metuq; iuſto, & obedientia attemperare, ne inde ſua principis libertas, cum poteſtate temerè à ſibi ſubditis confundatur, quare obſeruandum ſibi eſt, quod Caliſtratus I. C. reſpondit l. obſeruandum eſt. ff. de off. præſid. Obſeruandum, inquit, eſt ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur: vnde mandatis adijcitur: ne præſides prouinciarum in vlteriorem famili-

liari-

liaritatem prouinciales ſuſcipiant, nam ex conuerſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed & in cognoſcendo neque excandeſcere aduerſus eos, quos malos putant, neque precibus calamitoſorum illachrimari oportet, id enim non eſt conſtantis & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit: & ſummatim ita ius reddere debet, vt authoritatē dignitatis augeat. Eſt enim mirabile quippiam latens maieſtas & dignitas principis, quod reddit admirationē pręter naturam omnibus, quod nec admirantes, quid & quale illud eſt, notare poſſunt, ex quo honor ſingularis, reuerentiaq; maxima gignitur. Vnde Ouid. in Faſt. 5. ex honoris & reuerentiæ coniugio natam iſtam dicit maieſtatē, dum ait, Deos quondam exemiſſe à terris maieſtatem filios honoris & Reuerentiæ, ideoq; homines priuatos maieſtate, gigantum auxilium poſtea inuocaſſe, vt illam de cœlo detraherent.

Certè Dei hæc virtus eſt, & radius à vera Dei maieſtate inditus, ſeu angelus poteſtatis miniſter, vel aliud quippiam efficax, ſed incognitum, quod figura illa Moyſis reſplendentiaq; faciei illius, quæ ex colloquio Dei cornuta videbatur, manifeſte demōſtrat, quam ob gloriam & maieſtatem eius duræ populus ceruicis intueri non potuit, niſi poſtqnam ipſis velauit faciem eius. Exod. c. 34. Sic cum Deus de ſpiritu Moyſis diſtribuit in ſeptuaginta illos ſenes, Num. 11. maieſtas apparuit, & inter populum iſti, tali maieſtate reſplendentes prophetæ & obſeruati fuerunt.

Quando Salomon vnctus eſt in regem, 3. Reg. 1. ſtatim Adoniæ factio à maieſtate regia ita deterrita fuit, vt deſiſtere à regno debuit, etiam viuo patre Dauid, Deus enim, cuius iſta principum poteſtas,

munus & donum eſt, vt ſupra cap. 13. diximus. eandem vult reuereri, quemadmodum hominibus dando poteſtatem in animalia dixit Gen. 9. terror veſter ac tremor ſit ſupra cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli.

Porrò hanc principum regumque clementiam plurimum cohoneſtat non ſolum pęnarum relaxatio, ſed & bonorum largitio in ſubditos, quæ aliàs dicitur liberalitas principis. Vt enim illa vitæ quandoque conformatio eſt: ſic iſta eiuſdem prolongatio & ſuſtentatio, quippe ſeipſos principes iuuant, dum alijs beneficia largiuntur faciẽtes ſibi amicos, penes quos theſauros ſuos vel reipub. ſecurius collocant, recepturi maiores theſauros, quam ſi ærario concluderent. Eſt ſanè nullus fructus pecunijs reconditis, non plus quam Cræſus aut Mydas rex auri, qui proximus morti accepit auriculas aſini, vt ſcribit Ouid. 11. Metamor. Quare rex Cyrus dicebat, opera regum & paſtorum eſſe ęquipollentiam, ſicut enim ad paſtorem pertinet curare vt pecora habeãt ſucculenta lætaq; paſcua; ita principis eſt facere ciues opulentos; Imitanduſq; Cimon Athenienſium princeps, vt refert Probus in eius vita & Plutarch. ſimiliter, qui tanta fuit liberalitate, vt cum pluribus in locis prædia hortoſq; haberet, nunquam eis cuſtodem impoſuerit fructus ſeminãdi gratia, ne quis impediretur rebus eius quibus vellet, frueretur ſemperq; eum pediſſequi cum nummis ſunt ſecuti, vt ſi quis opis eius indigeret, huic ſtatim daret, ne differendo videretur negare.

An hæc liberalitas fuerit in Carolo, non tàm mei inſtituti ratio poſtulat dicere, quàm eorum, quorũ locupletes facti ſunt & parentes & filij, & amici & nepotes, ipſe enim non tam liberalis videri voluit,

quam

quam eſſe, neque tam liberalis, quam magnificus: diſtingui enim ſolet ab Ariſtotele liberalitas à magnificentia 4. Moral. ad Nicomach. c. 2. quod magnificentia conſtituit ſumptus in magnis, maximeque publicis, liberalitas verò circa propria & priuata. Quid verò dicam de Carolo, cuius tanta fuit magnificentia, vt non ſolum ciues populumq; ſuum magnifecerit, neque ſolum nobilibus pauperibus annua ſtipendia poſuerit, ſed pro tota repub. Chriſtiana omniumq; prouinciarum ſuarum ſalute, magnificentiſſimum in Metropoli ſua Græcenſi ſtudiorũ omniſq; pietatis & ſciẽtiarum Collegium ſeu Academiam inſtruxerit, inſtructam dotauerit, dotatam Imperatorum & ſummorum Pontificum priuilegijs communierit: adhæc publicas ædes, ciuitates, Carolinam, ſcholas, templa, hoſpitalia, & ſimilia ſuæ ditionis locorum partim de nouo extruendo, partim collapſas reparando, in meliuſque effingendo firmauit.

Cuius optimi ſui parentis exemplum, optimeq; de repub. meriti progreſſum ſecutus FERDINANDVS, qui præter quotidianas publicaſque elargitiones, etiam nouas inſuper adijcere voluit, multoque magis parentis ſui nomen famamque extendere, ſuamq; ex eo obligare, dum annuis redditibus prædicto collegio Societatis Ieſu Græcen. ex immobilibus bonis prouidere, veteribuſq; adauctis eorundem omnium prædictis patribus bonorum tam ſpiritualium quam temporalium adminiſtrationem committere ſtatuit, quod multis etiam uiris Catholicis mirandum venit, alijs verò obliquo rem oculo intuentibus multum ſcandaloſum, quaſi melius eiuſmodi bona temporalia ad proditoris illius Iſcariotis opinionem, venundari potuiſſent, alijſq; pau-

peribus

peribus erogari, non conſiderantibus piam & religioſam ipſius dantis mentem, rectamque ſuſcipientium intentionem, Nec verò ita ferendum eſt iudicium de veneranda illa Ieſu patrum ſocietate, atq; de alijs religioſorum virorum congregationibus, illi namque pluribus excedunt, & priuilegiorum & ſtatutorum ſuorum rationibus, quibus aliorum ordinum conuentus gaudere non poſſunt, ſicut & in alijs ordinum religioſorum generibus multa reperire licet à ſe inuicem diſcrepantia, vt aliquibus eadem non liceat, quæ alijs. Cum ergo patres Societatis Ieſu ex ſua primæua inſtitutione in tātum præ alijs priuilegiati exiſtant, pluraque in Chriſtianam rempub. commoda ſuggerant, mirum non eſt, ſi præ alijs maiora illis permittantur & concedantur.

Rem hanc altius conſideranti æqualique lance metienti ſtatim conſtabit animus noſter, qui nullus eſt, vt ipſis blandiri velim, nihil enim magis ſemper exhorrui, quam eorum hominum lenocinia, quibus quod verum non eſt, pro vero venditant, verique mendacia veſte amic unt, quamuis in ſcholis eorū, fidem Catholicam edoctus, alijſque in artibus liberalibus ac ſcientijs imbutus, ibiq; in Græcenſi Collegio patrum ſocietatis Ieſu tam in philoſophicis, quam in Sacræ Theologiæ ſtudijs lauratus fuerim, inſuper ab eiſdem ſemper in præſens vſque ſingulari affectione & amore proſecutus, pro quibus me eiuſdem plurima debere haud diffiteor, imò omnia ipſis acceptum refero, quare pace illorum veneran dorum patrum dixerim, ingens hactenus ex illorū Sancto laudatoque inſtituto in Eccleſiam Dei prouenit commodum, dum non ſolum honeſtarum diſciplinarum, quas liberales artes vocāt, vſum & prę lectionem in tota ferè Germanīa introduxerunt,

ipſiuſque

ipſiuſque SS. Theologiæ altiſſima myſteria longè faciliori modo propoſuerunt, ſed etiam fidei Catholicè rudimenta ita iuuentutem edocuerunt, vt paſſim vbiq; terrarum plantationes eorundem refloreſcant, ſicque per generationem quaſi in generationem in vniuerſum orbem terrarum radices egerunt. adhæc optimum ſanè longeque vtiliſſimum in clero viuendi modum exhibuerunt, quo deprauati paſſim ſacerdotum mores expurgantur, vitaq; in dies malorum renouatur. Magnum profectò ex hac ædificatione fænus in Eccleſiam Dei proueniſſe exiſtimandum eſt, maiuſq; in annos ſequẽtes cum patientia profecturum ſperamus.

Planè ergò iniquum dixerim & ab omni animi rectitudine alienum, qui hæc pro Dei honore molimina, & eccleſiæ incremento profectus non ſuſpiciat, veneretur & collaudet, Sed nouus ordo eſt dices? plurimumque ſibi de temporalibus attribuunt: An verò nouum Euangelicorum peſtilentiæ germen non eſt nouum quid, planèque ordo inordinatus pasſim in præcipuis Germaniæ ciuitatibus, caſtelliſq; & oppidis infeliciter auſpicatus? quis uerò huic incrementum per negabit aut quo minus de ſecularium, imò verius de Catholicorum religioſorumq; fundationibus uiuant, impedimento erit? Quòd verò prædictis patribus impenditur, ex æquo & congruo ſubminiſtratur, tanquam Dei miniſtris & legatione loco Dei fungentibus, non ad gulam, non ad faſtum, non ad luxum ſuorum, ſed ad ſuum ſuorumq; adminiſtrantium vſum & neceſſitatem, ideo tantoperè terrena concupiſcunt, ut ex opere manuum ſuarum ſudoreq; vultus ſui uictũ ſibi & amictũ comparent. Neq; ipſi aliunde quàm cæteri homines orti ſunt, aut aliis quibus tegantur

& veſtiantur, indigent, ſed terram in rem ſuam cognoſcunt, in quam breui redituri ſunt, hancq; moliuntur, vtpote prædominante elemento, quod terra dicitur, quodq; animam aggrauat, & ſpiritui ſemper repugnat. Hinc carnis afflictio ſpirituſque in eandem frequens colluctatio.

Sed principibus nimis ſunt familiares, ſuggillas. quî verò potuit fieri quod principes Dei in terris imaginem gerentes veritatem non amplectantur, eoſq; diligant, quos veritatis amatores agnouerunt. Certè ſecundum dictum Saluatoris ſeipſos gladio ſuo transfigunt. dum ueritatem impugnant, & docentes uerum odio proſequuntur. Quod principum amicitiam beneuolentiamq; habeant Ieſuitę, hoc illis ex ſuperabundantia accidit, non ex ordinis ſui inſtituto, hocq; ſolum in ſe uera virtus continet, quod eam omnes appetant, ipſiuſq; quam maximè poſſunt participes fieri, tantoq; accuratius eam inſectantur, quanto magis à prima ætate eandem imbiberunt, conuixeruntq; eidem. at quibus cura non eſt ueri neq; honeſti neque uirtutis vllius, nullo negotio mala comminiſcuntur, prauaq; decoquunt, quia ab adſuetis deſueſcere graue eſt, ut dixit Lycurgus, quod is pulchro exemplo demonſtrat, producens aliquando in concionem Atheniens. duos canes eadem matre & eodem patre natos, quorum vnum uenationi aſſuefecerat, alterum in culina nutriuerat, unde producto lepore & olla, alter leporem ex inſtitutione inſecutus; alter uero ollas & offas irruit. Sic eodem patre eadem matre progeniti homines ex Adamo & Eua, alii uenationi, & exercitationi, rerumq; altiſſimarum contemplationi dediti ſunt; alii verò eſcæ & uentri, nec quos aluit arduarum in rebus exercitatio animiq;

ad ſuprema erexit excellentia, humilibus iſtis cadu ciſq; eſculētis ad modum paraſitorum afficiuntur, ſicut nec ii, quorum eſca venter eſt, & uenter Deus, ad virtutum culmen honeſtiq; faſtigium greſſus pa rant, ſed ad inſtar canum pingeſcunt in culinis dominorum ſuorū, ingluuiem ſaniemq; nutriunt. Vnde mirum non eſt, ſi leporem non capiāt, neque Ieſuitis applaudant. Verùm de his aliàs.

Vt verò res penitus cognoſcatur placuit eiuſmo di principum donationes pluribus percurrere, & oſtendere, an licitè fiant, ſingulariter verò de hoc facto Sereniſſimi Archiducis FERDINANDI, quo patribus de ſocietate Ieſu annuos redditus con tulit, eoſdemque in bonis immobilibus cum ſpiritualium & temporalium adminiſtratione coſtituit.

Primò namque videtur, principem nullam face re poſſe eiuſmodi donationem, cum ex parte iuramenti, quo iurat, ſe iura regni ſui, & honorem, illibata ſeruare, vt eſt in c. intellecto. de iureiur. Tum quia fori & conſtitutiones regnorum tranſeunt in contractum & ligant principem. l. digna vox. C. de legib. per Bal. & notatur in l. cunctos populos. de ſum. Trinit. & fid. cathol. Accedit, quod alienationes quas facit princeps de bonis coronæ, ipſo iure ſunt nullæ, & poſſunt reuocari, etiamſi iuratæ ſint. d. c. intellecto. de iureiur imò quoties donatio fit vel alienatio, & iura regni diminuuntur, & enormiter lædūtur, non valet, vt in Auth. quomodo oport. epiſc. in princ. Denique ſi eiuſmodi donationes licitè fierent, vt in partibus prouinciæ; eadem ratione valerent de tota prouintia, & ſic regnum vel prouincia deduceretur ad non eſſe, regnum verò nullam recipit diuiſionem vel ſectionem, neque detractionem legitimæ, vel alicuius alterius iuris, vt not.

gloſ.ſing.in c.licet.de vot.& voti redempt.& §.prę terea. de prohibita feud.alien.coll.10. ergò eiuſmodi donationes fieri non poſſunt.

Plura hoc loco pro iſto negocio adduci poterāt, quæ hanc rem confirmare videntur, ſed quoniam res breuius ſolui poteſt, ideò diſtinctione vnica fiet, ex qua etiam iura ſuperius allegata ſoluuntur, vt quod princeps iura regni indemnia conſeruare, nihilq; alienare velit, &c. quod illa intelligantur de donatione ſeu alienatione volūtaria per principem facta ſeu facienda, & tunc obſtat ſibi iuramentum, & iuris prohibitio, ne diminuatur regis ſeu principis patrimonium, c.grandi.de ſupplen. neglig. prælat. in 6. & in l.prohibere.ff.quod vi aut clam.§.planè & ibidem per Bar.& tales donationes factas ipſe princeps poteſt reuocare, & poteſt venire contra factum ſuum. vt ibi notatur.

Si autem Princeps vult alienare ex aliquà cauſa ſubſiſtente, aut cauſa eſt decens, rationabilis, & neceſſaria, vt quia vult remunerare benè meritum ſeruitorem, cui eſt obligatus ad antidora.l.ſed & ſi lege.ff.de pet.hær.§.conſuluit.& c.1.in feud. de natura feud. Vel vult ſoluere mercedem ſeruitorum, vel vult dare ecclesijs vel pijs locis pro remedio peccatorum, vel Eccleſias & Capellas fundare, vel vult dare Eccleſiaſticis perſonis; tūc dummodo regnū, vel tertius enormiter non læditur, valebit donatio vel alienatio. (quod intelligitur, ſi ſit res alienabilis realiter, & ad ius principis ſpectet.) nec tunc iuramentum principis factum de conſeruandis bonis prouinciæ ad has rationabiles alienationes vel donationes ſe extendit. in c. Abbate ſane: de re iudic. lib.6. & firmat Bart. in l.prohibere.§.plane.ff.quod vi aut clam. Qua ratione etiam tolerata fuit donatio

facta

facta B. Sylueſtro per Conſtantinum, & dicit glo. decreti, quod per tales alienationes non læditur Imperium, quæ Eccleſiæ ſeu intuitu illius factæ ſunt. c. Ego Ludouicus. 63. diſt. quas & ſucceſſor tenetur confirmare. c. Adrianus. il primo. ead. diſt. Idem tenet Speculator, de donat. factis Eccleſ. particular. dum iura imperij enormiter non lædũtur, & ad hoc vid. Bal. in tit. quid ſit inueſtitura in vſib. feud. & hoc totum intelligit, ſi fiat ex motu proprio, non ad poſtulationes aliorũ, & ex cauſa rationabili. ex tex. ſingulari in l. 1. C. de petit. bonor. ſublat. lib. 10.

Cum verò iſtiuſmodi donatio ſeu alienatio Milleſtadienſis facta à Sereniſſimo FERDINANDO patribus ſocietatis Ieſu, ex rationabili cauſa, motu proprio, vtpote quod iſthinc locorum & cultus Dei & religio in populo, quę planè exulauit, reſtituatur, cleruſq; ad frugem perducatur, nemo niſi impius, quin iure & optimo modo facta fuerit, diſſentiet: eò potiſſimum, quod prædicti patres nil ſibi inde ad propriam vtilitatem vendicent, ſed ſolo victu & amictu contenti, omne reliquum in vſum eccleſiæ, & aliarum rerum ibi neceſſariarum, vel reficiendarum vel de nouo parandarũ accumulẽt. Nec refert quod tales donationes in bonis ſpiritualibus ſituatę ſint, cum etiam principis officium requirat, Eccleſias & monaſteria curare, attendereque vt omnia ritè & religiosè peragantur. Et hoc affine eſt ſacris canonibus, c. petimus, 11. q. 1. c. nec licuit. 17. diſt. vt quando hæc vel ſimilia per Eccleſiaſticum ſuperiorem corrigi non poſſunt, vel quando talis Eccleſiaſticus non adeſt, qui iſthæc exequatur, vel negligentia ſopitus iacet. c. ex tranſmiſſa. de foro compe: ferè tamen ſemper ſi quando ex principibus eiuſmodi locorum mutationes fiunt, intelliguntur fa-

ctæ

ctæ à prudente & ſapiente principe, qui in quantum ſua ſibi valeat authoritas nouerit, quantumq; denegat. Vnde plerumque in talibus ſummorum Pontificum conſilium requiritur, conſenſuſque expetitur, quemadmodum in prædicta donatione ſeu conceſſione Milleſtadienſi factum fuiſſe nemo ambigere poteſt.

Vt verò ſummæ virtutis eſt principum liberalitas atque munificentia; ita etiam niſi benè & prouidè attēdant, exinde ambitioſa ad maiora audenda excitari poteſt occaſio. quemadmodum legimus in lib. reg. 3. cap. 11. & 12. quod Ieroboam, Nabath, filius ex ſerua matre natus adhuc iuuenis ædificationi murorum Hieroſolymitanorum ſubſeruiens, à Salomone Rege primum præfectus operi, dehinc tributo Ioſepheorum contribulium, tādem decem tribus regno ſubtraxit: Conſilium ergo erit optimis principibus, vt dum in vitam tranſire viderint eiuſmodi tineas, nimiumq; ex benefactis ſubditos exaltari, quod ſtatim occurrant, antequam totam rempub. aut vi, aut apertè aut clandeſtinè occupent. Exemplo Tyberij Cæſaris, qui cum pluribus coniurationibus & factionibus Seiani generi ſui infeſtatus eſſet, ad eumque populi fauorem perueniſſet, vt ſibi cauendum, aut de vita aut de morte conſulendum eſſet, iuſſit eum compræhendi, & in carcerem conijci, quo facto, plebs quæ ei plurimum fauerat, cæpit infinitis criminibus deteſtari & accuſare, donec ab Imperatore morti adiudicatus fuit, vt ſcribit Dion. Caſſius in Tyberio, prout etiam narrat Sueton. in vita Tyberij, c. 65. ad hoc princeps vltionis genus non apertè ſed per obliquum venit: Verba eius ſunt: Seianum res nouas molientem Tyberius quamuis & natalem eius publicè celebrari, & ima-

gines

gines eius aurea paſſim coli videret, uix tamen, & aſtu magis ac dolo, quã principali authoritare ſubuertit. Sic principes ſibi improuidè ſerpentes in ſinu, mures in pera nutriunt, & ferrum porrigunt, à quo pereunt.

Refert Polyænus lib. 4. ſtratagematων, quod Antigonus Rex cum audiſſet Pythonem Mediæ præfectum peregrinum exercitum conſcribere, & pecunias colligere, eo conſilio, vt defectionem faceret, ſimulauit ſe fidem non habere nunciantibus: Ego, inquit, nequaquam crediderim hoc agere Pythonem, cui ego quinque millia Macedonum armatorum ac Thracum, & mille præfecturæ cuſtodes parauit, quos ei mitterem; quibus auditis Python, crediderit τῇ φιλανθρωπίᾳ ideſt humanitati, & confeſtim venit ad recipiendum conſilium. Antigonus verò Pythonem in medio Macedonum receptum & introductum cæpit, & morte mulctauit ſine tumultu. Maximè in talibus caſibus accelerandum eſt principibus & rebuſpub. remedium aduerſus huiuſmodi magnatũ ambitiones, nam vbi ſe detectos vel ſuſpectos intellexerint, celerius conantur perficere; quod ceperant meditari. Proinde aliorum eſt remedium, ne diu in eodem officio eiuſmodi permaneant, quod olim diu rempub. Rom. integram conſeruauit. Contra verò facta fuit deſtructio reipub. quando facta eſt prorogatio temporis gerendorum maiorum poteſtatum. Ita Julius Cæſar, qui nouerat ſe ad ſummam poteſtatem perueniſſe ob nimiam imperandi conceſſam licentiam, lege ſtatuit, ne quis omnino prætor anno, conſul biennio, amplius à ſuo magiſtratu continuo imperaret, Dio. Caſſius lib. 43. Sic factum eſt Senatuſconſultum Caluino & Meſſala Coſſ. ne quiſquam ex his, qui con-

conſulatum vel præturam geſſiſſent, exteriorem aliquam prouinciam antè quinquennium acciperet, quam legem firmauit Pompeius, vt Dio. Caſſ. li. 40.

Alij Collegas his dari oportere decreuerunt, alij, vt filios ſuos obſides ponerent, qui mos fuit Cõmodo Imperatori, vt ait Herodian. in 1. Melius meo iudicio foret, omnem iſtiuſmodi hominibus præſcindere facultatem ambiẽdi, eoſq; depoſitos inhabiles ad reliqua dignitatis & honoris offitia reddere, vt pote quod indignos cenſeam munificentia liberalitateq; principis, qua in ſuam propriam & ipſius dantis pernitiem abuſi fuerunt.

De Fortitudine porrò, religione atque totius regiminis progreſſu multa dicenda forent, latiuſq; ſe ſe extenderet huius capituli ſumma, quare ad hoc ſolum cõcludendum videtur. FERDINANDVm à Deo & natura optimis præclariſſimiſq; dotatum præconijs, inſuper & paternarum virtutum ſtimulis exornatum, quod ſuo ſibi demandato officio, vti incepit, maximo cum ipſius & totius Chriſtianæ Catholicæq; religionis profectu & incremento ſatiſfacturus eſt.

Quibus autem vijs & progreſſibus faciendũ curabit, illud ipſum in ſecundo libro, Deo dante, auſpicijs felicioribus dicemus, iam verò primi libri epilogum meditabimur.

CAPVT XVII.

Quantum commodi & vtilitatis accedat ex tali principe prouincijs?

A Tali igitur Principe omnium virtutum generibus, optimarumq; ſcientiarum diſciplinis benè inſti-

inſtituto, quid aliud ſequi poteſt, quàm perpetua pax, concordia, & totius reipub. trãquillitas; omnia enim ſi quæ ſunt, quæ deformare ſeu denigrare ſtatum reipub. politiamve videātur, ipſius inſtituti eſt, abolere aliamq; formã inducere, omnia in melius cõmutare, promouere virtutes, errores corrigere, ſeditiones ſopire, omnia ordine ſuo ſtatoq; tẽpore peragere: vbi nihil pęnitendum accidit, ditatur reſpub. & ne corruat, prouidetur. Miſera autẽ contra reſpub. vbi imprudens & ignarus artis gubernandi primum cum ſua experientia diſcit, quæ in principe etiam miſerrima, ſicque dum pręposterè omnia geruntur, omnia quoque paulatim infeliciter ſuccedunt. Egregia ita oppida multis laboribus & ſumptibus conduntur, à principibus ſubuertuntur, reſpub. induſtria ciuium diues, principum rapacitate ſpoliatur, bonæ leges latæ à plebeis magiſtratibus, à principibus violantur. Inueniuntur certè principes natura minimè mali, & qui velint præeſſe & prodeſſe ſubditis, ſed neſciunt, imò dum volunt, & id efficere, potius ſibi & illis noceant, quàm aſſequantur, vt vera ſit illa allegoria μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν. nec puero gladium committendum. Certè quæ quantaq; mala oriantur in repub. vbi princeps fortis & prudens non præſidet, declarat finis libri Iudicum c. vlt. In diebus illis (inquit) non erat rex in Iſrael, „ & vnuſquiſque hoc quod ſibi rectũ videbatur, hoc „ faciebat. Vbi enim vindices legum deſunt, ingeniũ hominum ad licẽtiam & temeritatem pronum eſt: à principe verò ſapiente, magnanimo, iuſto & verè catholico exercetur animaduerſio in omnẽ inſolentiam, ſuperbiam, contumaciam, eſt enim princeps qui præeſt omnibus, qui conſulit atque imperat, nihil priuato ſtudio iudiciove tractandũ permittẽs,

neque vllius inferendæ iniuriæ neque vindicandæ & vlciſcendæ modos ſupportãs. Pulcherrima huius rei extat in ſacris biblijs viciſſitudo, qua felicitatis & infelicitatis, boni & mali euentus ex optimo principe, eiuſque viciſſim defectu cognoſcuntur. Iud. c. 2. quãdo populus Iſrael habebat principes, Dominus flectebatur miſericordia, & audiebat gemitus afflictorum, & liberabat eos de cæde vaſtantiũ: poſtquã autem non habebat amplius principẽ, reuertebatur populus ad peiora, quam fecit, vnde vexati ab inimicis maliſq; principibus, redierũt iterum ad Deum: Deus verò miſeratus illorum dedit alium, Ioſuæ ſcilicet, poſt hunc Othonielem filium Cenez, qui repletus ſpiritu Dei, vicit & oppreſſit regem Syriæ, & quadraginta annis ſub eius imperio quieuit terra Iſrael feliciter. Sed eo mortuo addiderũt filij Iſrael facere malum, & ſtatim Deus miſit Eglon Moab, & copulauit ei filios Amon & Amalech, & percuſſit filios Iſrael; & poſtea clamauerunt, & ſuſcitauit deditq; eis alium ſaluatorem, Aod amphidextrũ, qui percuſſit Eglon & Moabitas, & quieuit terra ſub eius principatu & ſub Samgar, qui ei ſucceſſit. Iud. c. 3. Verùm ſublato Aod iterum filij Iſrael exacerbati ſunt, & tradidit illos Deus in manus Iabin Regis Chanaan, quibus clamantibus ad dominum, miſit illis Barac. Iud. c. 4. cum Debora, & deleuerunt regnum Iabin. Sed rurſus addiderunt facere malum in conſpectu Domini, & tradidit illos Deus per ſeptem annos in manus Madianitarũ, à quibus valdè vexati, redierunt ad Deum, qui miſit illis ducẽ Gedeonem. Iud. c. 6. quo mortuo auerſi ſunt filij Iſrael à Deo, & fornicati ſunt in Baalim, percuſſeruntq; cum Baal fœdus, vt eſſet eis in Deum, nec recordati ſunt Dei ſui: qui eruit illos de manibus inimicorum

ſuorum omnium in circuitu, nec fecerunt miſericordiam cum domo Gedeon, iuxta omnia quæ fecerát Iſraeli.

Similia reperiuntur in reliquis Iudicum libri capitibus: Ex quibus cognoſcere licet, quantum boni reipub. cotingat ex bono & optimo principe, quantumq; malum ex ipſius abſentia.

Nec valet ſi dicas, ſemper eſſe principẽ in repub. quoniam ſi negligens ineptus eſt, imprudens ſit, nullum ex ſua adminiſtratione reſultare poterit cõmodum, cum tãtum ſit non eſſe principem, quàm eſſe, & malum & peruerſum moribus & ingenio: alia namq; talis principis nõ eſt vtilitatis occaſio, quàm ſibi ſimilem reddere reliquum hominum cœtũ, cũctaq; peſſundare. Et ſi in quotidianis rerum vſibus deficiat, quid in grauioribus, & de rarò contingere ſolitis ſperandum erit? quomodo pacem conciliet de inimicis? quomodo hoſtem iamiam ingruentem atque præ muris operientem expediet? actum ſanè erit de principe, totoq; ipſius regno, neque vt ait S. Ioan. Chryſoſt. ſuper cap. 5. Eſa. ciuitas tam conſiſtit in lapidibus & lignis, & mænium ambitu, quam in prudentia & ſagacitate eas incolentium. Teſtes huius rei nobis eſſe poterũt ſacræ literæ, in quibus Dei populo eiuſmodi fęlicitatem contigiſſe ex principũ prudenti conſilio fortiq; animo legimus, neque ſolum hoc, ſed etiam quod caput totius negotij eſt, omniſq; benè inſtitutæ reipub. ſummarium, ſacra cum mundanis, leges cum religione, ciueſq; cum clero ſalutem inde ſibi & proſperitatem accepiſſe. Vniuerſæ igitur Iſraelitarum reipub. magno quoad durauit ornamento & emolumento, ſingulis denique hominibus ad virtutem documento, & ad beatitudinem adiumento fuit ſtrenuus ille Dux Ioſue

filius Num, Iud.c.2. ipſo verò deſiderato, recordatio beneficiorum diuinorum obſcurata, ſtatimq; ab illa patrum grauitate degeneratum fuit, mox verò reipub. illius integrę ſplendor, impuris moribus obſoleuit, indeq; ad vana opinionum atque doctrinarum commēta, in inſanas de natura diuina fabulas, mixtas & perturbatas de religione ſententias aberratum, ac demum omnis cum ſingularum ac priuatarum, tum publicarum facies rerum, in fędiſſimam turpitudinē, deteſtabile dedecus, impuriſſimamq;
» labem commutata eſt, vti legitur Iud.c.2. Mortuus
» eſt autem Ioſue filius Num, famulus Dei centum, &
» decem annorum, & ſepelierunt eum in finibus poſ-
» ſeſſionis ſuæ in Thamnatſare, in monte Ephraim à
» Septentrione ad plagam montis Gad, omniſq; illa
» generatio congregata eſt ad patres ſuos, & ſurrexe-
» runt alij, qui non nouerūt Dominum, & opera quæ
» fecerat in Iſrael.

Ex quo colligitur, quod Ioſue veteris pacti fidelis miniſter, cæteriq; boni ac ſapientes illius ætatis viri populi duces, qui & paternam pietatem ſectati, & fidem imitati fuerant, & ſpem retinuerāt, è viuis ſublati, noua deinceps hominum, morumq; facies extiterit, ab illa priore longe diſſimilium, qui non nouerunt dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael, ſed priuati conſilij ſui rationem ſecuti, contempto veri Dei cultu, idololatriæ labe infecti ſunt, ac ſenſim quem defenſorem & propugnatorem populus Iſrael habuerat, vindicem & vltorem ſeuerum
» expertus eſt, vt teſtantur verba ſacri textus Fece-
» runtque malum Iſrael in conſpectu Domini, & ſer-
» uierunt Baalim.

Si aliud nullum ſit reip. commodum ex bono & catholico principe, hoc vnicum maximū erit, quod

diuini cultus diſciplina,& religionis ac vitæ inſtituta, certa quadam ratione conſeruantur, & retinentur. Accedit aliud, quod quam diu ſuperſtites Iudices erant Dei fulti auxilio & fauore, eximebant populum ſibi commiſſum de manibus hoſtium ſuorũ. Suſcitauit, ait, iudices Dominus, & liberauit eos de manu deprædantium eos.

Nec illud minus vtilitati & conſolationi ciuiũ, omniumq; prouinciarum Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ accedit, quod FERDINANDVS earundem iam mores expertus, viuẽdiq; rationes cognouerit, faciliusq; ſi quippiam extra ſeu præter lineam æqui & boni acciderit, dummodo totum communitatis bonum, finiſq; inter legum ſuarum enormiter non lædantur, conniuere, ipſiſq; compati nouit, quod in alijs principibus fortè non continget, qui vita, moribuſq; & religione contrariantur: nemo enim dubitat, quin ſecundum regiones & prouincias, multa in moribus, honeſtiq; ratione æſtimanda variantur, non minus, quàm in ipſarum rerum proprietatibus, quod exemplis probat Aemilius Probus in princ. de vita Impp. Græcorum. facta ad ſeinuicem collatione morum Græcorum & Romanorum, & eius quod honeſtũ vel inhoneſtũ videtur inter vtroſque.

Vnde cum princeps ignarus morum honeſtique ciuium eorum ſuis voluerit omnia adaptare moribus, non tam emendabit atque proficiet, quàm diſperdet, & peccatũ generabit immedicabile, neque lex eius voluntas, ſtatutaq; merebuntur nominari, ſi non ponantur pro locorum moribus apta.

Irridetur Plato ab Atheneo lib. 2. dipnoſophiſton c. 22. quod videatur non exiſtentibus viris leges ſcripſiſſe, ſed hominibus à ſe fictis, ita vt qui his vtãtur, poſtea inquirere oporteat. Eſt autẽ, ait Ariſtot. lex

de-

determinata ratio iuxta ciuitatis conſenſum, quæ ſingula, quo pacto facienda ſunt, declarat. Sic repre hendit Seneca 2.lib.de beneficien.c.2. Marcum Brutum pro interitu Iulij Cæſaris, quod eo modo putauerit mutandam ſpeciem reip. Romanæ, tollendo tyrannum, & acquirendo libertatē, cum tamen mores non eſſent tunc populi, qui poſſent illa libertate vti, vnde deterius potius erat futurum.

Difficile autem eſt tali principi perſuadere, id honeſtum videri, quod populo videtur. cum illius moribus aſſuetus non ſit. Vnde Deus ipſe iuſſit leges ſuas conſeruari in populo, prohibendo ſeuerè, ne vnquam alius rex vel princeps regnet in populo, niſi populi morum, legumq; & ſtatutorum illius notitiam habens. Deut. 17. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus: ex eo enim quod mores populi immutantur, etiam religio mutetur neceſſe eſt in ſubditis, quo nihil peius. Vnde Deus arbitrarius, incerta lex cum incertitudine adipiſcendæ ſalutis. Norunt id quidā in Germania, & qui nunc Turcarum ditioni ſubduntur.

At verò FERDINANDVS paternarum legum morumq; prouinciarum ſuarū non immemor, ſtatutorumq; omnium plenam habens cognitionem, ita omnium conſenſu, vnanimiq; applauſu, in principem dictarum prouinciarum paternarum conſtitutus eſt, quod nulla deinceps inter ipſum & ſibi ſubiectum populum, ſiue de morum iudicio, ſiue legum faciendarum ratione, diſceptatio oritura eſt; imò ſibi plurimum ipſis gratulari debent, quod chariſſimi ſui principis Caroli, à quo ipſorum reſpub. multis vigilijs periculiſq; vitæ adiuta, aucta, & conſeruata fuit, filium FERDINANDVM ſibi in ſucceſſorem reliqnerit, quem enim prouinciæ viuen-

tem

tem Carolum coluerant tanquam patrem,& à quo viuente patris officia acciperēt, non niſi vtilem pro ipſis electurum & nominaturum eſſe, & ad gubernacula idoneum teſtificantur: Vtique pluribus ſeditionibus obuiam itum eſt,ex hac facta præuiſione, & ciuilibus diſcordijs, quæ ſolent inter contendentes de principatu & ambitioſos oriri, à quibus ſępè ad interitum redacta ſunt ad imperia: atqui vt priuati bona ſua, ſicetiam Imperatores aliquãdo inter liberos ſuos teſtamento imperium diuiſerunt, ſicut Conſtantinus Magnus tres filios hæredes Imperij reliquit,nulla adhuc lege de ſucceſſione vel electione Imperatoris poſita. Theodor. lib. 11. hiſt.eccleſ. cap.fi.Sic idem multa quæ acquiſiuerat,& imperio ſuo adiecerat viuens, alijs quoque anre communicauerat imperium,quos poſtea debellauit. Sic Alexander Magnus moriturus cum deficeret, & inquiſitus ab amicis, quem imperij faceret hæredem,reſpondit,digniſſimum fore imperatorem: qua voce cum bellicũ ceciniſſet inter amicos,omnes in æmulationem conſurgebant, & ambitione iam militum & vulgi fauorem quærebant, donec ſexta die à decubitu præcluſa voce exemptum digitc annulum Perducę tradidit,quę res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedauit. Atqui ex hac Caroli pientiſſimi Principis ſolicita cura,vigiliq; ſolicitudine,magnũ nobis omnibus auxilium adueniſſe dicemus, paritérq; omnia bona ſimul cum Sereniſſimo FERDINANDO accedere,ſalutiſq; eum corporis æternæ felicitatem,pacem,& nunquã interrituram reipub. tranquillitatẽ,ſi eius dicto obediẽtes, ſanctiſſimiſq; ordinationibus obſequentes fuerimus, Cuius vt nobis magis pateſiat officium,munerisq; ſui debitum, id in ſequenti libro, Deo volente,aperiemus.

Finis Primi Libri.

DE VERO ET CHRISTIANO PRINCIPE

Neq; ipſius hic terris viſibili Miniſterio.

Liber Secundus.

Authore R. D. Matthæo Scolaſtico S. S. Theologiæ & I. V. Doctore, et Sanctiſſimi D. N. D. Papæ Clementis, eiuſdemq; S. Sedis prothonotario Apoſtolico.

AD

SERENISSIMVM PRINCIPEM & Archiducem Auſtriæ Ferdinandum &c.

ESAIAS.

CAP. XLII.

ECCE ſeruus meus,ſuſcipiam
eum,Electus meus complacuit
ſibi in illo anima mea: Dedi Spi
ritum meum ſuper eum , iuſti-
tiam gentibus proferet. Non cla
mabit neq; accipiet perſonam,
nec audietur vox eius foras. Ca-
lamum quaſſatum nō conteret,
& linum fumigans non extin-
guet. In veritate educet iudiciū,
non erit triſtis neq; trubulentus,
donec ponat in terra iuditium,et
legem eius inſulæ expectabunt.

LIBER SECVNDVS.

De Vero & Chriſtiano Principe,

Eiusq; viſibili hic in terris miniſterio.

CAPVT PRIMVM.

Proprium Principis offitium eſt iuſtitiam facere.

FInis omnium rerum publ. & gubernationum eſt conſeruatio humanæ ſocietatis, eius autem ſocietatis eſt habere vitam, in qua poſſit ſine errore, & quiete Deo inſeruire, omnia .n: propter hominem creata, & ad vſum eius, homo vero ipſe propter Deum. Vnde Gerſon lib. de poteſtate eccleſiaſtica conſider. 13. ait legis Ciuilis eſſe finem, vt homo teneatur aliquid agere, vel non agere pro conſecutione finis ſui naturalis, qui eſt humana fælicitas, vel Monarchica, vel Politica, vel Oeconomica. Legis autem diuinę finem conſtituit, aliquid agere vel non, pro conſeruatione fælicitatis æternæ: ſicut enim Deus omnia fecit, vt ait Boetius, propter ſe, & ad ſe, ſic omnibus dedit viam certam tendentium ad ſe, quę dicitur appetitus, vel amor, & pondus trahens rem ad ſuum dominatum & initiale principium, quod eſt ipſe vt.

ſit,,

ſit, ipſe principium & finis: patet autem non vocari nos fœlices, aut finem conſecutos, cũ dormimus, ſed huiuſmodi appellamur quod aliquid agimus, alioquin in ſomno, & ſtupore nil differimus fęlices ab infelicibus, vtriusq; enim idem eſt ſtatus trunco ſimillimus. Horum autem diſcrimen in actionibus, & propter honeſtiſſimas vtileſq; & fæcundas alter eſt apud omnes in admiratione, alter contra ſic etiam non erit in nobis beatitudo, quod aliqui‹ efficere poſſimus; quamuis id ſit omnino in prom ptù ſed quod efficimus: Cuiuslibet enim rei pote tia dijudicatur & naturam ſortitur è ſummo, a quod pertingit, atq; ex potentia cognoſcimus eſſ tiam rei. Nam ſint abſq; ornamentis animi imm tales certè magis, minusq;, vel pecudes erunt ab ctæ, vel efferi ſerpentes, qui magis minusq; cunct aut negligant aut ſpernant. Beatitudo vero eſt ſc lius humanæ potentiæ complementum; ſic igitu fælicitas perfecta erit actio. Quarum actionum cũ vna, & eadem ſit priuati cuiuſcumq; intentio, felicem eſſe, & ad fælicitatem peruenire, eoq; vniuſcuiusq; pertineat uiuendi inſtitutio, familiarũ œconomia, Ciuitatum & regnorum diſciplina, & gubernatio, & ad perpetuam fælicitatem veluti ad vltimum ſcopum dirigantur, tum & cujusq; viuendi priuatus modus, & familiarum regimen & Ciuitatis, & Regnorum procuratio, proprios, adhuc habent fines, & limites quatenus ſibi agendum & procurandũ propoſuerunt; & ita non ſunt finaliter vltimi, & extremi, ſed ad generalem tendentes, non ſecus quam ſi in viam ex deuerticulis aberrantem vitam, & in publico, & priuato reducerent, priuatus quiſque ſua opera, ſuas artes curat tantum, familia plurimum vſum habet communem ad munera,

Com-

Communitas, vniuerſitas, collegia ex familijs augentur, & quædam ad communem, quędam ad priuatum commodum habent offitia: ſic fit in Republica, vbi ſunt diuerſi fines ex diuerſis. Qui tamen omnes ad vnum ſocietatis humanæ finem tendunt, prout ſinguli ex communitate, ſeparatim, aut coniunctim opera priuatorum indigent.

Quælibet ars eſt abſoluta dicit Plato, ideoq; minimè indigna, primo lib. de iuſto. vt in tractandis negotijs, rebus & humoribus non ſuæ, ſed rerum ſibi commendatarum vtilitati conſulere, vt pupillis tutorem, medicum ęgris, nautis gubernatorem, ita principem magiſtratum legitimum ſubditorum vtilitati conſulere. Si vero aliqua ars veluti medicina, mercedem exigit, non facit id quia medicina eſt, ſed quia cum mercenaria quadam & quæſtuaria commiſcetur: Quare ars Ciuilis Reipublicæ tractandæ perfectisſima eſt, neque indigens aut ſeruilis, neque utilitatis gratia habet gubernationem: Qui enim ſua gratia adminiſtrat iniuſtus eſt, non reddit unicuiq; quod ſuum eſt, ideo amicitias diſſoluit. & ſocietatem, ſequè indignum, non tantum Principatu ſed ipſa tota communitate reddit, atquè vt per iuſtitiam illam ſocietas conſiſtit, ſic per iniuſtitiam diſſoluitur. Idem Plato de Republica dicit, gubernatores quidem eorum, qui gubernantur gratia, non gubernatos, gratia gubernatoris nſtitui, & proinde illis ſalutaria prouidere debere, ſiue volentibus ſiue repugnantibus, non ſecus quā Medicus ægris remedia adhibet ſiue inuitis, ſiue volentibus, aut urendo, aut alium dolorem inferendo, modo arte utatur.

Nemo ergo dubitet, cum proprij cuiuſq; cætus finis certus ſit, quin aliquis ſit totius, cumque huma-

næ vitæ partibus ſit ordo, in uniuerſo genere uitæ eſſe confuſionem exiſtimet, aut quia partes inter ſe habent quandam vnionem, ideo ipſum totum, ſit diſperſum.

Quamobrem neceſſe eſt certum eſſe generis hu humani finem eumquè in actione quādam conſiſtere circa perfectiora, per quem, & ſuperiora pro uiribus imitetur, & inferiora diligenter gubernat, ſcientia naturalia perſcrutetur: prudentia diſponat humana pietate Deum atque iuſtitia omnia mode retur. Ergo vita iſta duplicem habebit finem & contemplationes, & actiones, cuius prioris tanquam di uinioris gratia ſunt reliquæ inſtitutæ omnes actiones humanę. Cuius geminæ vitæ inſtitutio plurimis indiget adminiculis, ut neque à paucis nequè à multis hominibus, ſed ab uniuerſo ſimul hominū genere poſſit adimpleri.

Cum uero optimę reipublicæ finis opus ſit, finis hominis vero is optimus exiſtimandus ſit, gratia cuius Deus totum hominem propagauit, atque Reſpublica nil aliud eſt ſm̄ D. Thomam pri. polit. quam ordo Ciuitatis, & ſalus, & permanētia, eius ſocietatis erit bene poſſe uiuere, bene autem uiuere, eſt iuſtè & ſecundum ea quæ iuſta ſunt degere, & ſociari, ſic enim bene id quod iuſte explicat Iſodorus lib. i. & Gym. cap. 25. & Vlpianus leg. prima ff. de iuſt. & iur. Ius à iuſtitia dictum, Vnde iuſtum, & ius eſſe artem boni, & æqui, per quam æquum ab iniquo ſeparatur, licitū ab illicito diſcernitur, & mali boni efficiū tur, vel pęnis, uel præmiorum exhortatione, cuius ſtudii duæ dicuntur poſitiones, nempe ueluti materia, circa quam uerſatur priuatū, & publicum, publicum, quod ad ſtatum generalem pertinet, priuatum quod ad rei pr[illegible]. Sunt enim quædam

publicè

publice vtilia, quædam priuatim publicum ius in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtit, priuatum autem collectum eſt ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuili. Finis autem omnium hominũ ex præceptis gubernationis, & iuribus generalibus dependet. Vnde deinde efficitur quod honeſtè viuatur, alter non lędatur, & ius ſuum cuilibet tribuatur. Quæ omnia continentur ſub præcepto bene viuendi eaque omnia fouet nutritq; ALMA IVSTITIA. Iuſtitiaq; omni Reipublice pro anima, & vita eſt, & difficile eſt eam conſtare ſine iuſtitia, imo quo magis ſeiungitur à iuſtitia, eo magis accedit ſubuerſioni, & à ſuo nomine recto recedit: Neque inter prædones, & latrones aut improbas alterius generis ſodalitates, eorum quamuis prę da ſit, & ſcelerum communicatio, dixerit quis ſocietatem iuſtã, quæ ex iuſtis cauſis, & honeſtis ex rebus coniungi debeo, ſed coniuratione, factione, & peſtilentiæ ſedem, cuiuſmodi fuere congregationes cęcorum, & claudorum in arce Gebuſeorum, quæ dicitur Ciuitas Dauid 2. Reg. 5. quæ oderant animam Regis Dauidis, quos ipſe ſubſtulit, qualis & illa erat iuxta Thratium, Ciuitas dicta πονιρόπολις ideſt improborum Ciuitas, in quam Philippus collegiſſe dicitur, velut inſentinam infames ac moribns improbatis, vt author eſt Theopompus, & Plutarcus lib. 13. Philip. & libro de Curioſitate, hi enim non iuſtitiæ cauſa, non bene viuendi, non ſalutis æternæ neque ad beatè viuendum coeunt, ſed potius ad iuſtitiæ ſubuerſionem, ad impietatem, & damnationem æternam, non digni titulo hominis: qui ex profeſſo naturæ, quæ alteri non faciendum, quod ſibi nemo fieri vellet, & humanitati reluctantur: Quorum etſi etiam in alijs rebus publicis gene-

rentur vitia quædam prauique mores, tamen idipſum aliquando non tam ex malitia eorum, quam ex corrupto ibi degentium & imperantium iuditio contingit: Omnes enim Reſpublicæ primum in eo videntur conſentire vt ſocietates inducāt ad benè beatæque viuendum, id enim eſt opus, & actio propria hominis rationalis, verùm aliter atque aliter ſæpe contingit, quod ex iniuſtitia oriantur iniuriæ, contumeliæ & doli diuerſi, transferantur Regna de gente in gentem, Regiæ domus & Clariſſimæ familiæ extinguantur, & vnà populus ſępe cum ſuo Principe corruat, non aliter quam dum Nauis imperito Gubernatore regitur, vna cum vectoribus, & Nautis & Gubernatore ſubmergitur, & hoc eſt iuſtitia quod clauus in Naui & ſi clauum Gubernator non regat neceſſe eſt per ſyrtes cauteſque Nauis periclitetur; ſic ſi Princeps non regat iuſtitiæ temonem, neceſſe eſt Reſpublica in immedicabilia mala coincidat. Contra Rex qui iudicat in iuſtitia, thronus eius firmetur in æternum & in ſumma iuſtitia conſeruet, & augeat Regna, & Principatus & Imperia. Iniuſtitia perdat, minuat atque ſubuertit.

Ex hac iuſtitiæ adminiſtrationis neceſſitate reſpondet Heraclitus Epheſinus apud Diogenem Leertium nono. Ciues pro legibus non minus pugnare debere, quam pro męnibus, eo quod ſine legibus ciues omnino tuti eſſe nequeant, ſine męnibus poſſunt. *δίκη νόμου τέλος ἐςί, νόμος δὲ ἀρχόντας ἔργον, ἄρχον δὲ εἰκὼν θεοῦ παντα κοσμοῦντος.* ideſt iuſtitia Regis finis eſt, lex autē principis opus, Princeps autem imago Dei cuncta gubernantia. Vnde premium meretur, qui iuſtitiam exercet, eiuſque miniſterio incontaminatā Dei maieſtatem conſeruat, non ſolum inter chriſtianos, aut Iudæos, ſed

etiam

etiam id præſtat Deus inter Ethnicos, qui vbique ſuum oriri facit ſolem, ſuper bonos & malos, ex quo conſeruat creata à ſe; & cum prouidentiam habeat eorum, maxime vero hominũ, quibus ad ſuam conſeruationem ſingulari dono iuſtitiam conceſſit;
„ quia iuſtitia de cœlo proſpexit, & miſericordia, &
„ veritas obuiarunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt Pſal. 84. & hoc maximè decuit Dei bonitatem, nè iniuſtus videretur ethnicis moralibus, & in virtutibus moralibus, benè viuentibus, quibus in hoc ſæculo plurima bona retribuit, & Monarchiam pene ipſos tamdiu ſtabiliuit auxitque.

Hanc iuſtitiam porro multa alia verioraq; bona conſequuntur, vt inquit Macrobius lib. 1. in ſomn. Scip. cap. 7. Innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, charitas; quibus boni Principes Reipublicæ bene conſulunt & vrbes tuentur: Quibus etiam virtutibus vir bonus primum ſui, atque inde Reipublicæ Rector efficitur, iuſtè ac prouidè gubernat humana, diuina non deſerens. Iuſtitia omnes alias virtutes amplectitur vt ſupra in 1. lib. ex Ariſt. notauimus cuius præcepta, ſunt honeſte viuere, alterum non lædere, ius ſuum cuique reddere, quæ omnia non ſolum ad gubernationem generalem Reipublicæ conducunt, & ad ſocietatem vniuerſalem; ſed etiam ſine illis nec domus quidem parua conſtare poterit.

Iuſtitia tam ſeuera operum noſtrorũ exactrix eſt vt etiam eius iuditium, & cenſura poſt mortem noſtram nos comitetur: quia abſoluti ab his vinculis
„ corporeis omnes comparebimus ante tribunal Do
„ mini noſtri Ieſu Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque
„ prout geſſit in corpore ſuo ſiue malum ſiue bonum 2. Reg. 5. & tunc per iuſtitiã fiat proborum, & im-

probrum diſtinctio; per artem ęqui, & boni, & ſcientiam iuſti, & iniuſti, & mali pęnis afficientur, boni verò præmijs remunerabuntur : euitabitur etiam hominum confuſio, ex qua mali bonos corrumpere, & perdere poſſunt, vel nocendo, vel malos mores communicando.

Fęlix ergo Reſpublica, in qua floret iuſtitia, quæ habitus eſt animi, communi vtilitate ſeruata, ſuam cuique tribuit dignitatem, vt contra infęlix & quæ proximè ruinã adferre minatur, cum nullum eſt vel bonorum, vel malorum diſcrimen, tunc enim omnia ſcelesti audiebũt, impune incolent vrbes in medium prodibunt, & ſæpe etiam inſtar Heroum quorundam per vrbem incedent, eoſque quos leges vel imperare vel ſententiam dicere vetant non ſolum publicis negotijs audacter ſeſe immiſcebunt, ſed etiam publica omnia ad ſe inaudita quadam temeritate vocabunt, ac tyrannide, & crudeliſsimò dominato, quoduis publicum etiam iuditium ſibi vendicabunt.

Nihil tam conueniens Principi, quam hæc alioq; præcauere, & nihil egregius in Principe, quam iuſtitiæ opus ob id à Deo virtute poteſtatem obtinentes, iudices dicti ſunt cuius interpellationis meminit ſapiens cap. 1. diligite iuſtitiam qui iudicatis ter„ ram ſeruite Domino in bonitate & in ſimplicitate„ cordis quærite illum, quoniã inuenitur ab his qui„ non tentant illum (& in fine) iuſtitia enim perpe„ tua eſt & immortalis iniuſtitia autem mortis acqui„ ſitio impii autem manibus, & verbis accerſierunt„ illam, & eſtimantes illam amicam defluxerunt, &„ ſponſiones fecerũt ad illam, quoniam morte digni„ ſunt, qui ſunt ex parte illius.

Diuus Hieronymus in Hierem. cap. 22. Regum

eſt

eſt inquit proprium offitium facere iuditium & iuſtitiam, vnde Salomon ad hoc ſibi dare petiit cor docile, vt iudicare poſſit populum, & diſcrimen inter bonum & malum 3. Reg. 3. Regina Sabi ſalutando Salomonem ait ibidem cap. 10. admirabun-
„ da, ſit Dominus tuus benedictus cui complacuiſti
„ & poſuit te ſuper Thronum Iſrael, eo quod dilexe-
„ rit Dominus in ſempiternum, & conſtituit te Re-
„ gem, vt faceres iuditium & iuſtitiam. Sic monet S.
„ Hierem. cap. 22. audi verbum Domini Rex Iuda:
„ qui ſedes ſuper ſolium Dauid, tu, & ſerui tui, & po-
„ pulus tuus qui ingrediemini per portas iſtas: hæc
„ dicit Dominus facite iuditium, & iuſtitiã, & libera-
„ te vi oppreſſum de manu calumniatoris, & Prouer.
„ cap. 20. Rex qui ſedet in ſolio iuditii diſsipat omnẽ
„ malum intuitu ſuo.

Ab initio Reges in propria perſona iudicabant, vel iudices conſtituebant, qui loco ſuo iudicarent alijs ipſi maioribus negotijs implicati, & iudices ſub ſua poteſtate male iudicantes coercebãt, vtrumque bonus Princeps & Rex facit, & per ſe iudicat & vt Iudices ſub ſe conſtituti recte iudicent prouidet, eſt enim præcipua cura illius, etiam inter præcipuas delitias; cuius rei exẽplum refert Atheneus lib. 12. cap. 4. ex Heraclide Cumeo, Regum Perſarum ſcriptore, quod Rex in Thuris Regione feraci ſuis legibus viuit, neque vllius imperio paret, delitijs maxime abundans, hoc ei tamẽ præ cæteris ſummæ curæ eſt vt iudices conſtituat, quod ſi quis minus iudicaſſe putetur, feneſtra quædam eſt in altiſſimo Regio loco, quæ ferrea catena ligatur, quam qui ſe iniuſte iudicatum exiſtimauerit, apprehẽdit, feneſtraq; attrahit quod vbi rex ſenſerit eos ad ſe vocat, atque ipſos dijudicat; & ſi videantur iudices

minus iuſte iudicaſſe, moriuntur, ſi iuſte is moritur qui feneſtram mouerat, idque ex ſingulari iuſtitiæ Religione fit, vt qui parcit nocentibus & improbis, ab iiſdem quoque puniatur, & occidatur, & ipſimet vindicent iniuriam illatam Reipublicæ per immunitatem ſibi conceſſam in perſona concedentis, ſicuti dictum eſt ad Achar Regem 3. Reg. 20. quia dereliquiſti hominem dignū morte de manu tua erit anima tua pro anima illius, & populus pro populo illius.

Saul quoque Regno priuatus fuit Dei iuditio, quod Achab Regem contra pręceptum Dei viuum conſeruarit 1. Reg. 15.

Narratur in lib. ſupplemen. Q. Curtij, Philippum Regem Macedonum 23. patrem Alexandri Magni, fuiſſe obtruncatum à Pauſania nobili iuuene, ex Macedonibus, quod paſſus ſtuprum ab Attalo affinitate, & amicitia regi coniunctiſſimo. Iuſtitia vſus non fuiſſet in puniendo Attalo.

Quod ſi quis contendat Principem mitem, clementem & ad indulgentiam pronum eſſe debere, id non admittendum intelligat, ſine cauſa, nec contra iuſtitiam habendam eſſe acceptionem perſonarum ſi res mali exempli ſit, caueri enim debet Princeps ne dum ſingularem perſonam ſaluare contendit, veluti partem politici corporis, toto vim corpori inferat, vnde recordari debet offitij ſui, quod olim expreſſum fuit in pictura cuiuſdā virginis ad inſtar, apud Criſippum, quam refert Gellius lib. 14. cap. 4. ſub forma virginali aſpectu vehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, non humilis, aut atrocis, ſed Reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate, per cuius formam intelligi voluit iuſtitiæ Antiſtitem oportere eſſe grauem, ſanctum, ſeuerū, incor-

incorruptum,non ſubditum adulationi, contra improbos nocenteſq; immiſericordem, atque inexorabilem,& rectum,& arduum potentem,vt & maieſtate æquitatis veritatiſque terrificum.

Sui muneris ſi recordabitur Princeps, & ſubditorum, eliget potius vtilitatem publicā, quam proprium arbitrium,vel deprecantium ſequi. Imitabitur inquam in hoc, bonos principes, quales erant Reges Aegyptiorum, qui iuxta Regionis conſuetudinem iudices adigebant, ad iuſiurandum, vt refert Plutar. in apophteg. vt ſi quid Rex iuberet,eos iudicare quod iuſtū non eſſet, ne iudicarent, tanti referri putabant, vt iuſtitia obſeruaretur in regnis: ſimiliter fecit Antigonus per omnes ciuitates, admonendo, vt ſi quis per literas iuberet ipſe, quod aduerſaretur legibus,non curarent perinde, ac ſi eo inſcio fuiſſent ſcriptæ.

Hoc in negotio reperimus ſanctiſſimos Pontifices ſeſe ſubmiſiſſe iuſtitiæ legibus, vt Alexander tertius in cap. ſi quando,de reſcrip. qui dat poteſtatē iudicibus delegatis,vel ordinarijs non implendi mandata Sedis Apoſtolicæ, ſi illis videantur non iuſta, dummodo cauſam rationabilem,cur non impleuerint adferant. Sic intelligendum idem de alijs mandatis & iuſſionibus ſuperiorū, cap. cum teneamur, de præbendis,cap. quoniam quidem.73.diſt.& Cæſares Gratianus. Valenſ. Theodoſius in l.1. de petit.bonorum ſublatis C.lib.10.ſanxerunt,ne iudices habeant rationem reſcriptorum ſuorum, ſi contra leges impetrentur,addita ratione,quod ſæpe in non nullis cauſis inuerecunda petentium indignatione principes conſtringuntur, vt etiam non concedenda tribuant. cap. cum in iuuentute. §.cæterum, de purgatione Canon.

Quam-

Quamquam ſæpe commoueatur princeps bonus ira, & indignatione; debet tamen recordari, ſe gerere perſonam Principis quæ longe diſtat à perſona priuati; & habet inſignia publica, æquitatem, & iuſtitiam, quemadmodum Tiberius Conſtantinus, Imperator, moriturus Mauritio genero ſuo concedens imperium, profeſſus eſt dicens, ſit tibi Imperium cum hac puella filia conceſſum. Vtere eo fœliciter in mente habens æquitatem, & iuſtitiam: hæc enim ſunt præcipua Imperatoris optimi inſignia, Aimonius lib. 3. ff. de geſtis francor. cap. 35.

His inſigniter vſos fuiſſe legimus Alexandrum Magnum, Midam, Iulium Cæſarem, & alios. De rebus Indorum refert Quint. Cur. lib. 8. etiam in tanta quam habebant luxuria, regiam omnibus patere, & cum Rex capillum pectebat, & ornabat, reſponſa legationibus, & iura popularibus redidiſſe.

De Seuero Imperatore refert Herodianus lib. 3. Romæ deinde paucos inquit commoratus annos, ius dicebat frequenter, ciuilibus negotijs & liberis erudiendis intentus, accuſatos à Prouincialibus iudices, probatis rebus grauiter puniuit.

Octauius Auguſtus ius dixit aſſidue, & in noctem nonnunquam ſi parum corpore valeret lectica pro tribunali collocata, vel etiam Domi cubans, & non modo diligentia, ſed etiam lenitate ſummam Sueton. cap. 33.

Mithridates Rex Ponti oriundus, à ſeptem Perſis duarum & viginti gentium, quæ ſub Regno ſuo erant linguas loqui didicit, vt omnibus iura dicere omnes audire, & colloqui ſine interprete poſſet. Solinus cap. 7. Gellius lib. 17. cap. 17.

Admonuit Agapetus Iuſtinianum in epiſtola ad eum ſcripta, vt facilis aditus eſſet indigentibus ob

vim

vim ſupremæ illius poteſtatis aperuit ijs aures, qu à paupertate obſidentur, vt inueniret Dei aditum apertum, refert Plutarchus in eius vita.

Demetrium Regem difficilem, & moroſum, ab anu cum ratione admonitum ad audiendas querelas ſubditorū à qua ſe poſtea emēdatum oſtendit, cum enim illum rogaſſet, vt ſe audiret, reſpondente eo ſibi otium non eſſe, tum alta voce ad illum Anus conuerſa, nec etiā reges inquit, quæ verba reuoluta animo effecerunt vt poſt habitis omnibus dehinc rebus alijs, multos dies audiendo reſpondendove inſumeret, & Deus ipſe eiuſmodi ſegnes principes redarguit per Prophetam in iudicando, & minatur
„ pęnas acerbiſſimus Eſaiæ cap. 1. Principes tui infi-
„ deles ſotij furum, omnes diligunt munera, ſequun-
„ tur retributiones, pupillo non iudicant & cauſa vi-
„ duæ non ingreditur ad illos, propter hoc ait Domi-
„ nus exercituum Deus fortis, Iſrael, Heu ego conſo-
„ labor ſuper hoſtibus meis & conuertam manum
„ meam ad te, & excoquam ad purum ſcoreā tuam
„ & auferam omne ſtannum tuum & reſtituam iudi-
„ ces tuos, vt fuerunt prius & conſiliarios tuos, ſicut
„ antiquitus &c.

Dignus eſt recolendus ab omnibus Regibus, & Principibus Philippus Herodis Antipæ frater, qui præfuit viginti annis, & ſemper in ſua ditione degebat, & quoties domo progrederetur iter fecitcū paucis ſelectis comitibus, ſub ſequente ſella, in qua ſolebat iura reddere, & ſi quis ex occurſu opē eius imploraret ſiue dilationem, mox ibi ſella poſita reſidens cauſam cognoſcebat, aut ſontem damnaturus, aut abſoluturus innoxium Ioſephus lib. 18. cap. 6.

Magis & illud celebriuſq; dicit Hector Boetius

C lib.

lib. 1. Galtherum Scotorum Regem ius dixiſſe, ſedentem in marmore in modum Cathedræ efforma to, vnde marmori tantam acceſſiſſe authoritatem, vt vbicunque terrarum reperiretur omen conſtituendi Regni Scotorum facere crederetur & proinde Simonem Brethum ab Hibenis ex Hiſpania euocatum in Regem, marmor illud ſecum extuliſſe multoque poſt Feguſium ex Hibernia in Albionem traijcientem ſe vna euexiſſe, & in Agathelia conſtituiſſe, cui deinceps longa ſucceſſione vſque ad Robertum primum Scotiæ Reges inſidentes coronari ſolebant. Veſtigia huius rei antiquiſſima, crediderim remanere in Carinthiorum oris, in pratis Salienſibus infrà Claudiſoum & Sanctum Vitum Ciuitates Carinthiorum ad ſedem Principis marmoream, vbi Ferdinandus Sereniſſimus Archidux Auſtriæ purpuratis circum proceribus inſidens terræ ſe Principem, iuſtiſſimum iudicem, ſalutis Patriæ ſtudioſum, liberæ conditionis hominem, digniſſimum tali honore, & chriſtianum fidei cultorem, defenſorem propagatorem inclamare audiuit, ibique nudum gladium manu ſua vibrans, æqua rerum iuditia ſubditis omnibuſque proceribus pollicitus eſt. Ita vero Rex dicitur eſſe iuſtitiæ, & obligatus ad eam faciendam vt docet Lucas de Penna ad l. neminem. C. de ſubſceptoribus, & Archarijs lib. 10. etiam redditus Regni dati Principi, ad hoc inſtituti videantur, vt ſint, tanquam ſtipendia eius ad iuſtitiam reddendam vt ait D. Tho. 2. 2. q. 63.

Dum vero iuſtitiam ita extollimus, ne eius vim robur ac virtutem neglexiſſe videamur, dicendum eſt eam nil aliud eſſe, quam originem, & fontem, vnde ius ideſt ſcientia eius quod bonum & æquum dictum, hauritur, ſitque habitaculum quoddam ſeu

manſio

manſio cognitionis æqui, & boni, eaque plerunque ſic definitur: quod ſit iuſtitia conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi, & hæc voluntas debet eſſe in corrupta, quantum fieri poterit in rectore Reipublicæ, quæ ſemper eum laudabilem faciet, quam quam in diſtributione plerunque erretur: quia magis habetur ratio ad id quod fieri debet, quam ad ea quæ fiunt, quo loco ſapienter additum eſt (conſtans & perpetua voluntas) quoniam non ita intelligendũ eſt, quaſi ſic perpetua ſit Principis aut Reipublicæ voluntas, vt nunquam interrumpi poſſit quæ perpetuitatis ratio ſoli Deo conuenit, ſed ita dicitur perpetua, vt ipſe proponat ſemper in omni euentu debite, & ſecundum legem operari velle cuius intentioni atque propoſito ſic ſemper operandi addit firmitatem quamdam, & conſtantiã, vt non vacillet in tali intentione, ſed fixum id gerat, quæ quidem çoſtantia nemini contingit, antequam omnem ſit adeptus virtutem, ita ſe: vt neque ptopter auaritiam, neque propter m etum, neque propter aliquam voluptatem, aut aliam affectionem à iuſtitiæ rectitudine deflectat: Multos enim ſæpe reperies habentes propoſitum ſemper ſtudioſe agendi quia tamen firmis radicibus virtutis non nituntur identidem dilabuntur.

Ex hac deinde ſic bene firmiterq; conſtituta voluntate oriuntur bonæ leges, iuditia ſyncera, & bonum proximorũ, & noſtrum pariter promouetur, omnes enim alias virtutes in ſe continet iuſtitia, legumque fiendarum eſt proprium ac ſacratiſſimum templum, ſcientiã eorum quæ eligenda fugiendave fuerint, quæque ad hæc media congruant probe ſuggerit atque eius diuiſione in omnes facta iuſtiſſimam rerum commutationem æqualiaq; pondera

& menſuras reddit. Cuius quidem iuſtitiæ partium ſubiectiuarum ratio id poſtulat, vt quod vnius priuatæ perſonæ ad aliam priuatam miniſterium exigit, totius viciſſim communitatis in ſingulas perſonas, ſecundum proportionalitatem, muneris ſit vt D. Thom. 2. 2. quæſt. 61. artic. 1. prioris quidem commutatiuæ inſtrumenta ſunt contractus quibus commettia hominum ab inæqualitate opinionis aut falſæ functionis ad æquum vel re, vel conſenſu deducuntur, vt maxime patet in emptione, & venditione, in quibus primo inuenitur ratio commutationis, & ideo oportet adęquare rem rei, vt quanto iſte plus habet, quam ſuum ſit, de eo quod eſt alterius, tantundem reſtituet ei, cuius eſt: in diſtributionibus vero, vbi datur aliquid quod totius eſt, debitum parti, quod quanto maius eſt quanto ipſa pars maiorem principalitatem habet in toto, ideo plus alicui de communibus bonis datur, quanto illa perſona habet maiorem principalitatem in communitate, & hoc eſt quod ait D. Thom. vbi ſupra artic. 2. medium vtriuſque non eodem modo accipi, in diſtributiua quidam ſecundum Geometricam proportionem, in commutatiua vero ſecundum Arithmeticam, quæ attenditur ſecundum parem quantitatis exceſſum.

Hoc vero quare ex proprijs iuſtitiæ viſceribus exoriatur, cuiuis forte non patet, vnde quia iuſtitia ſolum eſt ad alterum, hæc vero collatio bifariam cõmittatur, aut ad alium ceu priuatum hominem, aut ad alium ceu publicum quo bonum commune adminiſtratur. Nam reſpublica ſeu Princeps, hanc generalem, & legalem iuſtitiam adminiſtrans, reſpectum habet ad omnes ciues atque ad ipſum ſinguli, quod tali exemplo edoceri poteſt. Sicut in cor

pore

pore humano membrum vnum comparatur, & ad alterum membrum, & ad totum compoſitum, ad quod reliquæ partes omnes ordinantur, ſic in Republica ſe habent ciues, ex vtraque ergo parte ratio ſumi poteſt iuſtitiæ, iuſtitia namque illa quæ ordinat ciuem ad ciuem, tamquam vnam partem ad alteram, particularis eſt, ſub qua militant omnes contractus, vt ſupra memini in hoc eodem capite, emptionis locationis reſtitutionis mutuati, ſolutionis mercedis &c.

Altera verò quæ ordinat ciues in bonum commune eſt iuſtitia generalis, quæ quidem ſic nominatur tum ab obiecto, & fine, nam bonum commune omnium eſt generale, tum etiam ab effectu & proprio nomine, nempe quod reliquas virtutes omnes ordinat ad tale commune bonum, vt ſi vir fortis ſtrenue agat in bello ob commune bonum, vir temperatus abſtineat ab alieno thoro ob conſeruationem eiuſdem communis boni & ſic de alijs.

Quoniam vero ad huiuſmodi fortiſſimos actus ordo iſte ſingulariū partiū plurimū confert attendere debent bene Principes, & qui iuſtitiam adminiſtrant, vt ſuum cuique ſecundum iuſtam commenſurationem attribuant, nec vllo modo committant vlli vel pauperi, vel nobili, vel libeto, vel ſeruo iniuriam inferri, nam veritas eius quod fieri debet conſtantiam facit, & quod verum eſt immutari non poteſt, veritas enim eſt (dicit Cicero ſecundo de inuent.) per quam immutata ea quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt dicuntur: Notandum tamen, non ideo quid uerum eſſe: quia uerum id eſſe dicimus ſed illud uerū dici: quia tale eſt. Philoſophus lib. 9. Meth. cap. fin. Admonentur inſuper principes & iudices, qui eam iuſtitiæ conſtantiam profiteri

debent,

debent, vt antequam quidpiam ſtatuant, pronunſtient, aut iubeant illud diligenti examinatione perpendant, & cum conſilio metiantur, ne figant refigantve leges & iuditia, quo nihil nocentius eſſe poteſt in republica, cum ad illam inſtabilitatem gubernatorum & factorum eorum, ſequatur incertitudo actionum, & confuſio in ipſa Republica.

Vt autem prædicti rectores ſigillatim huius iuſtitiæ limites obſeruent melius, ſciantq; quæ qualia, & quanta in eiſdem contineantur per diſcurſum totius libri in ſingulis capitibus enodabitur, & hoc loco compendij erit, totam vim ordinemq; omnem iuſtitiæ huius in tribus præcipue conſtare, ſcilicet, in iuſtitia erga Deum, erga proximum & ſeipſum. Quia verò præ cæteris & ante omnia diligendus eſt Deus, ideo in ſequentibus capitibus ab his quæ ad iuſtitiam Dei Principi facienda, & expedienda eſt, eodem dante auſpicabimur: Illud autem aliud non eſt quam recta in Deum, Religio, veruſq; cultus in Republica conſeruandus.

CAPVT II.

Principis eſt extirpare hæreſes quod eſt maxima pars iuſtitiæ.

VItia obſcutare virtutes affinitate quadam niſi ab acutè videntibus diſtinguantur docet, & illuſtrat Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. epiſt. 9. ſicque ingenia peſſima hominum virtutes nomine vitij affinis obſcurant & vitia nomine virtutis defendere ſatagunt, ita quem videmus humilem, illis erit abiectus, erectum ſuperbus, minus inſtitutum irridendus,

dus, Doctum inflatus, ſolertem cupidus, verecundum ruſticus. Vt contra, qui defendunt vitia dicent abiectum humilem eſſe, ſuperbum erectum, irridendum minus inſtitutum, inflatum doctum, & ſic de ſimilibus, & iſtæ ſunt artes impiorum hominum, qui aliquid portentoſum, & pernitioſum in ſubtilitatem, & in aliorum fortuna, moliuntur non aperto Marte, tantum ſcelus, quod prætendunt, aggredi, proculdubio repulſam paſſuri ſi ita aggrederentur, ſed veluti per cuniculos aliquid boni proponentes finem peſſimæ mentis tegere, quemadmodum Sandrodotus apud Iuſtinum 15. lib. prætextu libertatis Indiam contra Alexandri Magni præpoſitos excitauit, quibus necatis ipſe author libertatis, titulum in ſeruitutem vertit, & populum quem ab externa dominatione vendicauerat ipſe ſeruitio preſſit.

Aliud non videntur agere ij omnes, quotquot ab vnitate eccleſiæ receſſerunt ſibique legem nouam, & eccleſiam nouam extruentes, nihil præter Dei inſtitutionem, & Apoſtolorum decreta vociferantur, ad ſimilitudinem Phariſæorum, qui ſeparatim ab hominibus nouam viuendi formulam effinxerunt, vt ſuperbiam ſuam, & hypocriſim ſpetie Religionis obumbrarent, Ioſephus lib. 2. de bello iudaico cap. 7. & antiquitatum lib. 18. cap. 2. quos Scribas Dominus noſter arguit Matth. 23. quod ſub prætextu Religionis, & muneris offerendi Deo, alioquin ſi aperto id cupiuiſſent, nullo loco ſtabiles paſſi fuiſſent, vtpote quod contra expreſſum Dei verbum, hominibus legem imponerent aliaqua onera importabilia: ideo dilatabant philateria & habitum ſanctitatis, exterminabant facies ſuas, vt ieiunantes viderentur ab hominibus, & tantum ſemper primos recubitus affectabant in menſis.

Quo-

Quouſque hactenus prorepſerit fucus iſte male ſanorum hominum, teſtis eſt Gallia, Flandria, Anglia, Scotia, Germania. Fuit hæreticorum in eccleſia ambitio, & nimia honoris cupiditas pernitioſior aliquando ipſis hæreſibus, quia ipſa cauſa hæreſum, & ſchiſmatum fuit ſæpe, vt Nouatus ſacerdos Romanus ambitionis vitio laborans, lapſis ſemel omnem ſpem veniæ denegauit. Euſebio lib. 6. cap. 43. Epiph. lib. 2. hær. 54. Manes dum ſe Chriſtum & Paracletum haberi voluit, ad impia impulſus, vt Simon Magus, & Lucifer in Sardinia, & ferè alij omnes hæreſiarchæ antiqui, & noſtrorum ſæculorum, qui radices traxerunt ab eodem initio, & Religionis nomine ſe latere poſſe arbitrati ſunt.

Quorum pertinacia ex ipſius nominis deriuatione apparebit, ſic enim Sanctus Antoninus ſecunda parte ſuæ ſummæ tit. 12. cap. 4. hæreticum duplici modo deſcribi poſſe exiſtimat, vt is ſecundum Auguſtinum ſic deſcribi dicatur: hæreticus eſt qui alicuius commodi temporalis, & maximè gloriæ principatusq; ſui gratia, falſas ac nouas opiniones gignit, vel ſequitur, & intelligitur de opinionibus, quæ ſunt contrariæ fidei ſi enim quis falſam habuerit opinionem in Philoſophia morali, vel Geometria, hic non dicetur hæreticus, prout hæreſis eſt ſpecies infidelitatis, ſecundum D. Thom. 2. 2. quæſt. 1.

Alio modo dicitur hæreticus ſecundum D. Hieronymum quod dicatur is quaſi ab electione, eo quod vnuſquiſque ſibi eligat opinionem, quam putat meliorem in doctrina fidei. Nam ſecundum D. Tho. vt ſupra qui rectam fidem habet chriſtianam, voluntate ſuæ aſſentit Chriſto, & alijs omnibus quæ quo vis modo ad eius doctrinam pertinent. Si verò aliquis Chriſto non vult aſſentire, hic habet volun-

tatem

tatem malam, ſicut, & is qui, & ſi intendat Chriſto aſſentire, tamen non eligit ea, quæ ſunt verè à Chriſto tradita, ſed quæ ſibi propria mens ſuggerit. Vnde ſicut primum proprium eſt Paganorum, ſic ſecũdum eſt proprium hæreticorum Chriſtianorum, dicentium ſe Chriſto credere, & mandata eius non obſeruant. Vnde quantumuis ſe glorientur. Chriſti diſcipulos & ſucceſſores Apoſtolorum, ex quo à uera Chriſti inſtitutione, ideſt, doctrina, & obedientia Eccleſiæ Catholicæ deuiant, nunquã ſe ueros Chriſti imitatores demonſtrabant.

Hoc uerò uelum nequitiæ & uoluptatum ſuarum ponunt, ne ab omnibus dignoſcantur: ad quod egregie alludit Saluianus in quarto pallio dicens ſanctitatẽ plures mentiri, licet enim inquit de Conuerſorum uenerabili choro uidearis, Religionem ueſtibus ſimiles licet fidem cingulo adferas licet ſanctitatem pallio mentieris, non credis, & uulgo circumfertur, quod habitus non faciat monachum.

Certè nunquam quidquam boni, ſed ſemper maximum malum ominata eſt ſimulatio in eccleſia. Nam illa non potuit ſe continere intra fines ſimplicitatis, & humilitatis, quales habet Dei eccleſia, atque pro præcipuo Chriſtianæ Reipublicæ fundamento poſuit Deus, ſed confundet, & commiſcet ſacra profanis, & dat occaſionem laicis, uel ſecularibus Principibus, prærupto uel aperto ab eccleſiaſticis propugnacolo, quod continebat firmam eccleſiam in eam ingrediendi, contaminandi, & prædandi: nec ſolum eo ſibi hæreſes finem conſtituunt, ſed ueram Chriſti eccleſiam Religionemq; auitam conuitijs aſpergere, ſuaque loco illius effictaque phantaſmata ſupponere populum denique ipſum, omnemq; rectam politiam, atque ipſoſmet Reges

& Principes ex ſuo ſolio deturbare, ſtrenue laborant. Sicut enim Lucifer ille non paſſus altiſſimum in throno ſuo, ideo ſibi ſimilis eſſe cupiuit vt totum ſibi quod eſt in mundo offerretur, & hoc eſt proprium omnium hæreticorum, cum pertinacia defendere errorem ſuum, idque ſolum principatus ſui, & temporalis commodi gratia, vt ſupra ex D. Antonino.

Vnde principibus atquè Eccleſiæ Rerumq; politicarum moderatoribus noctéſque dieſque elaborãdum eſt, vt huiuſmodi virus peſtilens ex ſuis Prouincijs abigant, eliminentque, non enim ſecura erit Reſpublica, neque Princeps immunis, multoq; minus offitij ſui ſtatuſque rationem attendet, ſed ad impurum uiuendi genus contempto Deo Religioneque exulata, in Tyrannidem conuertetur, quo facto nulla ſalus rebus, planeque actum erit de Republica. Vbi verò viget Religio, ibi ſummum vinculum eſt Principis cum populo, mutuaq; animorum coniunctio ipſeque Princeps plurimum iuuatur in adminiſtratione rerum ſuarum. Quid enim melius feliciuſque accedere poteſt Principi, ad imperandum ſubditis ſuis, quam cognitio & cogitatio ſui ipſius ſtatus, qua ſe ſubditum quoque agnoſcit in timore, & humilitate? illaque cogitatio, neque fallere neque vitari poterit facile imo illa eſt quæ Principibus ſubditos parere ſtatuit: Eorum vero quos nulla talis cogitatio tangit, plerumque eſt dominantium in ſubditos magna inſolentia, & inſupportabile iugum vbi vigent tyrannica mandata, & duriſſima atque ſub his vita populi miſerrima, & oppreſſio bonorum. Nam vt dicit Sidonius Apollinaris lib. epiſt. 13. ſententiæ tali ego nunquam aſſentior, vt fortunatos putem qui Reipublicæ præcipitibus

ac lubricis culminibus inſiſtunt, nam dici nequit quantum per horas fert in hac vita miſeriarum, vita fęlicium illorum (ſi tamen ita ſunt pronunciandi) qui ſibi hoc nomen vt Scylla præſumunt, nimirum: quia hoc ipſo ſatis miſeriores quod parum intelligunt ſe inuictiſſimo famulatui ſubiacere. Nam ſicut hominibus Reges, ita Regibus dominandi deſideria dominantur.

Quod ſi verò accedat ipſorum conſideratio, & aliorum iam mortuorum Principum infelicitas, caſuſque diuerſorum, & quomodo inanis illa fauilla putrefactio, cadauera, vermium eſca, interdum viuentes ludibria fortunæ facti, iuſto Dei iuditio fuerint, naturali quodam decurſu, quo omnes in terram vt viliores & pauperiores, relictis ſceptris armis & thoracibus, & ſtipatu militum perducti, & citius quam putarent, fuerunt, redibunt ad ſe ipſos & intelligent naturale eſſe à Deo iuditium, vt quo pacto ſibi deſuper conceſſam poteſtatem, volunt ſibi à ſubditis obtemperari, ita æquum eſſe, vt ipſi Deo, & ſuperioribus obediant, ab iniurijs & iniuſtitijs ſe temperent quæ iuſta, & æqua ſunt faciant, tanquam reddituri rationem pro animabus noſtris, tandemq; recepturi, in corpore ſuo prout geſſerint ſiue bonum ſiue malum. Hoc verò ſolum efficit vera, & catholica Religio in qua cum iuſto timore, & ſolicitudine ſalutem noſtram operari tenemur. Hæreſis verò omnem metum expellit ſecuroſq; Principes, & liberos à ſeruitute legis aſtruit: At verò timor Dei, & conſcientiæ ſtimulus, quos ſæpe tyrannus ab oppreſſione ſubditorum non reuocat amor. quamuis ſuperiorem hominem non vereantur, aliquando in debito offitio continet, vt confeſſus eſt Abimalech Rex Geraræ Gen. 20. cum tuliſſet vxo-

rem Abrahæ Saram quam putabat eſſe eius ſororem. faſſi ſunt idipſum fabricatores Turris Babilonicæ Gen. 1. & faſſus eſt Pharao, qui obturauit contra Moyſen animum ſuum & aduerſus Dei mandatum pertinaciter reſtitit Exo. 10.

Idque tam connatum eſt humanæ naturæ, quod etiam Gentiles idipſum aliquando confeſſi fuerint, iuxta illud quod ſcribit Aeſchilus, omnia ſunt inquit definitè conſtituta præterquam dijs imperare, nullus enim liber niſi Iuppiter; & rurſum: qui reuerentur Adraſtrian ſeu Dei indignationem, ſunt ſapientes, Iouis enim oculum fingebant omnia videre, eundemque omnia audire. Huc accommodari poteſt & illud quod Plutarchus ſcribit in vita Ariſtidis, tria ſcilicet eſſe quibus omnes ad Deum reuocantur beatitudinem, ſcilicet, metum, & honorem: ob id Plato iuſſit lib. 6. de legibus. Templa Domibus rega libris coniungi, vt ſic recordentur ſummi honoris Dei, & timorem habeant in actionibus ſuis ſperentq; exinde beatitudinem.

Quæ quanta vis eſt Religionis inter homines, quamque efficax & vtilis ad ſalutem, nedum ſubditorum, ſed Regum aliorumq; omnium, & ex hac ſola miteſcunt Principes, & diſcunt rectè fęliterq; alijs imperare, dum norunt ſe non liberos, ſed lege Dei, & præceptis eccleſiæ alligatos atque maioris imperio ſubditos.

Nec minus abeſſe debet hæreſis à ſalute populi; quippe quod nulla pax concordia, rerumq; domeſticarum vtilitas conſiſtere poſſit, niſi Religionis vinculo inter ſe coniungantur: Omnium enim fertur in iniuriam quidquid in Religionem committitur eaque ratio ſumma ſit, quæ pro Religione facit, ideo eius ſinceritas ſuper omnia procuranda,

atque vt omnibus conſtat animæ immortalitas eaque prætioſior eſt corpore, ſic magis illa conſeruanda eſt, quam corporis vtilitas quod ex ijs patet quibus cum alicuius religionis ratio, vel dogma proponitur quod ad animæ ſalutem pertinet, vt eam religionem conſeruent, omnes alias res, tam proprias, quam alienas paruifaciant, mortalia pro immortalibus contemnentes & inde furibundæ & implacabiles propemodum ſeditiones rebelliones & bella quæ pro Religione ſuſcipiũtur, dicta ideo bella ſacra: quia pugnatur pro aris, & focis. ita filius Eleazari filij Aram Sacerdotis, cum vidiſſet quod vnus ex filijs Iſrael intrauerat coram fratribus & Moyſe, contra prohibitionem ad Scortum Madianitidem, arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitam in lupanar, & perfodit ambos ſimul virum, ſcilicet, & mulierem in genitalibus Num. cap. 25. Matathias videns Iudęum quendam in omniũ oculis ſacrificare idolis ſuper aram, in Ciuitate Modin ſecundum iuſſum Regis, Doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius ſecundum iuditium legis & inſiliens trucidauit eum ſuper arã, ſed & virum quem Rex Antiochus miſerat, qui vrgebat immolare occidit in ipſo templo, & aram deſtruxit; & zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees Sambri ſuper filijs Salomi, 1. Mach. 2. & exclamauit Matathias in Ciuitate dicens, omnis qui habet zelum legis ſtatuere teſtamentum exeat poſt me, & fugit ipſe, & filij eius in montes & reliquerunt quæcumque habebant in Ciuitate: Ihesù zelo Domini occidit omnem Domum Achab, & vniuerſos prophetas Baal 4. Reg. 9. 10. & 11.

Nihil magis diſcipulos Chriſti in ethnicorum audaciam commouere potuit ad impugnandum eandem,

dem, quam Religio; ſubeuntes præſentiſſima mortis pericula atque mortem ipſam, hinc cum Sancti Spiritus gratia deſuper imbuti, quæ nullum vſpiam dereliquit, ita ad contemptum omnium, imo etiam ſuiipſius incitabantur vt omnia pro ſtercore ducerent, ſolum vt Chriſtum lucrifacerent, & veram Religionem in populo retinerent, eandemque ad retinendam animarent, ad quod duo quæ ſupra diximus illos præcipuè exhortabantur, animæ, ſcilicet, immortalitas, & certiſſimè poſt mortem bonorum operum, poſt labores iuſtos, & mandatorum Dei obſeruationem ſpes retributionis certiſſima, & ex contrario mortis æternæ aduerſus impios præparata habitatio. Tantum præualuit Religio Chriſtiana, veraque & catholica, quod non ſolum cauſæ ipſius euincendæ plurimum ſemper laborauerunt Chriſticolæ, ſed etiam gentilium turmæ ad ipſius appellationem in vnum ita coaluerunt animoſq; militum veluti numina auxiliarij ad pugnam roboratæ ſunt, quemadmodum legitur apud Poliænum libro primo ſtratagemmatum, vbi ad duorum equorum circumactorum, ſumptis animis & Religione ſpartiatæ commoti, ſtrenuè pugnauerunt atque Arcades vicerunt.

Aliud inſignis victoriæ memorãdum exemplum reddit idem Poliænus lib. 7. non contemnendum ab Amaſi, in eo bello, quod aduerſus Arabes habebat, vbi à tergo Aegyptiorum, conſtituit ſtatuas eorum Deorum qui apud ipſos ſummo honore, & Religione colebantur, vt hoc modo alacrius pericula ſubirent, arbitrantes ſe Deos habere ſpectatores, quos nequaquam hoſtibus prodere aut relinquere deberent.

Non abſimile chriſtianorum militi contra Tur-

cas

cas eunti, ad fortiter non pro fictilibus Dijs, ex ære aut ligno, ſed immaculato agno Ieſu Chriſto, Deo & Domino noſtro pugnandum inclamatur, cuius vexillum coram agitur omnibus intuentibus, quo ſigno indicto militibus fiducia repleti, omnes gaudentes aduerſus barbaros & alacres in pugna animis ruentes, inſignem christianorum victoriam reportant; teſtantur idipſum ſigna collata olim, & nunc cum Turcis & Saracenis, quemadmodũ meminit Surius in hiſt. & Schleudanus lib. 1. anno Domini 1188. ſub cruciata illa quæ fuit publicata per vniuerſum orbem à Iulio I I. Pontif. anno Domini 1517. cui expeditioni ſe Fredericus primus Imperator cum pluribus principibus & grandi multitudine Germanorum cruce ſe ſignarũt ad eundem pugnam exequendam.

Alexandro quarto Summo Pontif. cum Ecellinus tyrannus totam fere Venetiam occupaſſet, & Mantuam iam obſideret, Philippum Fontaneſium Archiepiſcopum Rauennatem Venetias properè miſit, qui prædicta Chriſti cruce præparatoq; exercitu Anſedeſium Ecellini ex vxore nepotem, Patauio expulit, vt ſcribit Platina in Alexandro quarto ob quod immortale in Deum religionemq; catholicam decus, perſectamque crucis Chriſti perpetuamq, venerationem, immortali identidem colluſtrata eſt decorataq; vrbs Veneta, perpetuoq; circumdata ſitu impenetrabili, nullam recognoſcens ſuperiorem niſi ſolum Ieſum crucifixum, vt multis probat Baldus in l. 1. ff. de rerum diuiſ. & Bartolus in l. hoſtes. ff. de captiuis, & poſt lim. reuer. Alber. in l. 1. C. de ſumma Trinit. & fide catholica.

Nec immeritò audaces reddit chriſtianos Principes vera Religio ſibique pro ſymbolo affingunt

Au-

Auſtriaci Archiduces: AVDACES FORTVNA IVVAT. Quippe quod certius tenent & legunt prę mium vitæ æternæ, & teſtimonium mortis æternæ, addito præcepto diuino, quod audaciores & ad mortem temporalem obeundam alacriores reddit, omniaq; contemnēda vt Deum ſequamur, patrem matrem, vxores & liberos, & nos ipſos Matth. 19. Luc. 14. reſiſtendum, & pugnandum pro fide vſque ad ſanguinem, vt Martyres fecerunt nec timendos eos, qui corpus occidunt, & nihil amplius habent quod faciant, ſed eum qui poſt quam corpus occiderit habet poteſtatem animas mittendi in gehennam ignis. Matth. 10.

Monuit olim ſapienter Mecęnas vir grauis Cæſarem Octauianū apud Dionem lib. 52. hiſt. Deum ſemper, & vbique colere vt moribus patriæ receptum eſt, ad eundemque cultum alios compellere debere, peregrinarum verò Religionum authores odio, & ſupplitijs proſequi, non modo eorum gratia, quos qui contemnunt, haud dubiæ nihil quoque magnifaciūt ſed propterea etiam quod qui noua numina introducunt multos ad vtendum peregrinis legibus alliciunt, hinc coniurationes coitiones, & conciliabula exiſtunt, minime principatui cō modæ res. Nouit ſane præclarus ille monitor nihil funeſtius audiri poſſe in Regno, quam populum ſibi habere contradicentem non ſolum in rebus politicis, ſed in Religione, facilis namque eſt populus ad mutandam ſententia &c. vel in bonū, vel in malum, & opinione dicitur antequam rem bene perpendere poſſit. facilis etiam à Religione non accurate exculta ad ſuperſtitionem, iterumq; multo facilius, ſi alia poſt modū proponatur deuiat: quia in prima non bene fundatus eſt: hinc diſputationes,

con-

contradictiones lites,iurgia,contentiones. Qui periti ſunt pro veritate iuſte contendunt, qui autem errore imbuti pertinaciter,& ſæpe ex malitia obſiſtunt,ſe ipſos prædicant, humanis aliquando doctrinis validi, falſa pro veris obtrudunt, ſimplicis veritatis amatores contemnũt, interim factiones fiunt, ſciſmata oriuntur pugnæ ex ſcintillis, diſcordiæ incenduntur, quæ non niſi poſt multas clades extinguuntur.

Subtilis eſt iſtorum impoſtorum ad Principum animos mitigãdos aſtutia, omnia ad vtilitatem Dei públicæ inſtituendo Principem ad cęlos vſque exaltando, chriſtianum clementem, iuſtum, miſericordem, benignum appellando quæ defenſio, & techna ſuccedit ineſcationi, vel prætextu religionis defenſionis; ſicque paulatim ad ſe vtilitatem omnem transferendo populum demulcent in primis beneſitijs, & vbi iam conſecuti ſunt popularem auram & fauorem,in Regem, aut Principem paulatim incipiunt inuehi,in eum omnes culpas reijciunt, nec magis ipſi fauere poſſe clamitant,quod tamen velle, & ſummopere deſiderare obganniunt, & iurant quod ſi daretur occaſio auxilium ſe præſtaturos, id ipſum ſtrenue, & ſumma cum populi vtilitate pollicẽtur: ſed non poſſe manente Rege catholico,aut Principe, ſicque commouent populum in catholicos Principes & diminuunt populi in ſuos legitimos Principes amorem, adijcientes ad hoc, populum nimis præmi tributis, exactionibus indebitis, venationibus alijſque vitijs & oneribus,parumque Principẽ aiunt curare quid patiatur populus,dummodo ſuis commodis inſeruiat,hæcque clam ingerunt & alios ſuæ factionis & ambitionis proceres qui idipſum dicant, inſtigant. Hæc ſpetioſa mini-

ſtrorum Dei, ſcilicet, querela, quæ & doctores aliquando conturbat, diſtrahit, diuidit, cęlum terræ miſcet; ſacra prophanis, monaſteria deturbat, eccleſias diruit, pios ſimul & bonos concitat.

Vidimus non ſine lachrymis in Gallia in Germania hunc prætextum religionis populum demulſiſſe, & armaſſe, perſuaſum à ſeditioſis contra legitimos principes, tandemque euanuiſſe cum ſuis authoribus, non tamen tam cito fieri potuit, vt ex tantis incendijs veſtigia cinerum tantùm & ibi latentes ſcintillæ non remanſerint. Sic tempore Moyſis viri mitiſſimi, & electi à Deo Chore, Datan, Abiron, & non ambientes dominationē, factiones contra ipſum inierunt, & in ſuas partes traxarunt, ducentos quinquaginta viros proceres Synagogæ, & qui tempore Conſilij per nomina vocabantur, & prætextum religionis addiderunt; dicentes aduerſus Moyſen, & Aaronem. Num. 16. Sufficiat vobis quod omnis multitudo Sanctorum eſt & in ipſis eſt Dominus, cur eleuamini ſuper populum Domini. In quibus verbis notatur iſtos deceptores primum delinuiſſe populum, & ad libertatis cauſam, & à ſubiectione ducis legitimi voluiſſe retrahere, quia perſuaſerunt æquales Moyſi, & eiuſdem ſanctitatis eum eſſe, & tamen finis illorum erat, vt Moyſen deijcerent, & ipſi defenſionis fictone religionis catholicæ apicem ſummamque rerum obtinerent: Qua fraude vſi prædicantes & ſectatores falſæ libertatis euangelicæ in bellicis nationibus contra Catholicum Regem Hiſpaniarum Philippum ſecundum excitantes tragicum tumultum, ita vt ad excidium religionis catholicę, ſpectare videretur, idque ſolum propter edictum factum à Catholico Rege de obſeruando Concilio Tridentino, deque alijs

reli-

religionis fideique catholicæ ſtatutis, quibus populus commotus, & plerique ex magiſtratibus, nobilibus etiam, coniurationes & factiones facere cœperunt nouæ religioni locum dare, aduocare hæreticos concionatores, cum tamen alia eſſet intentio catholici Regis, pro vt fuſius iſta proſequitur Surius lib. com. in orbe geſtarum anno Domini 1566. Quorum tamen Deus ſicut & aliorum ſuperbiam vendicauit, ipſeque Moyſes viriliter executus eſt vltionem à Domino impoſitam, & indictam. Quod & Principes Germani aduerſus turbã libertatis Euangelicæ temere & ſeditioſe contra legem diuinam aſſertricem imitari debent ſtrenue, & huiuſmodi initijs & progreſſibus mature obſiſtere, ſi ſaluam ſartam. tectamq; velint, & reipublicæ ſibi commiſſæ adminiſtrationem conſeruare deſiderent.

Cuius rei olim erant apud Romanos conſtituti à Cæſaribus homines ſingulares, qui rectorum prouintiarum & magiſtratuum, perinde ac priuatorum actus & commiſſa ſcrutarentur, & deferrent, qui & offitiales dicebantur [vt in l. vnica, de priu. car. C. l. ea quidem, de accuſat. Quod noſtris quoque principibus perſuadendum exiſtimo, ſunt enim qui aliquid tam graue moliuntur ſemper in ſpecula, & exploratores conſiliorum habent aulicorum & principalium, vt ex omnibus tanquam Chamaleontes ad omnia donec inſtituta perfecerint colores mutent verſipelles.

Magna etiam cura fuit Romanis ne daretur in religionis cauſa licentia vagandi in quamlibet partem, eo quod multa mala exorirentur, vt experientia ſæpe docuit, fuitque occaſio ſæpe reformandi, & inquirendi in habentes libros prohibitos, eoſque comburẽdi ſicut liquet ex Liuio lib. 5. deca. 3. & lib.

10. Decad. 4. Illudque lege duodecim tabularum ſancitum fuit, vt apud Ciceronem de legibus, nemo ſeparatim Deos habeſſit, & Suetonius in Claudio cap. 25. Iudæos impulſare Chriſto tumultuantes aſſidue Claudius Roma expulit, Druidarum religionem diræ immanitatis, & tantum ciuibus ſub Auguſto interdictum, penitus aboleuit.

Olim prohibitum fuit nouas in Clero religiones inducere ne quodammodo rudis populus chriſtianus turbaretur, & occaſionem acciperet inquirendi cur tot tantæq; religiones permitterētur, ſi enim cuique ſuum permitteretur præſumptuoſa temeritas conniueretur, quæ tamen crimen habet, & importuna eſt, non quod religionis cauſa prohibeantur homines congregari, vt ait Martianus I. C. in l. 1. ff. de coll. illic. ſed ne cum æmulatione quadam, ſeu ſciſmate, alij tantum nomina vſurparent, vt accidit tempore D. Pauli quo alij dicebant ſe eſſe Cephæ, alij Pauli, alij Apollo 1. Corint. 1. Religiones coire non prohibentur homines, dum tamen non ſit contra ſenatus conſultum, quo illicita collegia arceantur. Quid eſt autem ſine ſenatus conſulto conuenire? nempe ſi ſine permiſſione conueniant, vel priuatim, vel publice. Sic Tertullianus aduerſus pſichicos ſcribens chriſtianos excuſans conuentus, niſi forſan in ſenatus conſulta & Principum mādata coitionibus oppoſita, deliquimus, & idem Martianus l. 3. §. in ſumma eodem tit. ff. de coll illicit. In ſumma autem niſi ſenatus conſulti authoritate vel Cæſaris collegium, vel quicunque tale corpus coierit contra ſenatus conſultum, & mandata, & conſtitutiones collegia celebrat.

Multo ergo diligentius cauendum in Republica ne ſectarum hæreſumque varietates indicantur, &

ſola

ſola religio catholica eaque vna locum habeat. Religio, & veneratio nulla alia quam vnius Dei tenenda eſt ait Lactantius lib.inſt.cap.20. vnionis author, vna fides eſt, multiplex autem diſcordiæ & ſeditionum: neque ſibi conſentire poſſunt, quorum diſpar eſt de fide ſententia, & hoc ſtratagemmate vſi ſunt aliquando Reges Aegyptiorum pro ſceptro, vt illis videbatur ſtabiliendam, variam. & admiſtam religionem induxerunt, vt diuerſa de religione, inter ſe exiſtente ſentētia Aegyptij omnes conſpirare, nunquam poſſent, Diodor. Siculus in ſecundo. Atque verò hoc non eſt veri Regis ſed tyranni opus, factiones in ſuo Regno nutrire, atque in Deum & religionem peccatur dum pluribus diuerſis admiſſis religionibus ſeu impietatibus Dei veri cultus contemnitur, cum cuius contemptu, ſtatus reipublicæ aut poteſtas quę à Deo eſt diu ſtare nequeunt, vbi enim Deus auerterit ſpiritum à populo, & Principe, neceſſe eſt eum concidere, tāquam corpus mortuum, quod anima, & ſpiritu non viuificatur teſtantur id Ioram Ochozias, & Athalia, verum Dei cultum publice non defendentes, ſed ſinentes quenquam ſuo modo viuere, Ioas poſt mortem Ioadæ Pontificis diuinitus obſequies principum Iuda, acquieuit eorum petitionibus, permiſitq; vt derelinquerent templum Domini Dei patris ſui, & ſeruirent lucis, & ſculptilibus 2. Paralip. c. 24. ſic mali origo creuit, & multo magis ſub Achaz qui primus Regum Iuda religionem iurauit, In Synagogam, & templum hæreſes cultumque peregrinorum Deorum intulit, & clauſit templum Domini 2. Paralip. 28. 4. Reg. 16. atque ita ad iracundiam concitauit Dominum, & infecit populum: ſuſpende verò iram & vltionem Ezechias & Ioſias filius eius, qui cultum Domini

reſtituerunt poſt quorum mortem non continuit ſe Dominus, quid funditus populum euerteret, & in captiuitatem Babilonicam adduci permitteret punitis ducibus cum populo vt docetur à cap. 20. 2. Paralip. vſque ad finem & à 24. cap. 4. Reg. vſque ad finem libri.

Qualis verò iſtis ſeductoribus pœna remaneat præter quod ęternam, niſi reſipuerint indignationis ſententiam certiſſimam incurrant, eam iudicarem ipſis à principibus ſecularibus iuxta ſacrorum Canonum decreta pęnam talionis infligendam quemadmodum ſolitum eſt vtriuſque ſexus hominibus christianis cultum ſeu religionem aliquam mentientibus decerni, cautū eſt in Concilio Toletano 4. cap. 52. & in cap. vt clerici, de regular. vt qui ſe fingunt habitu, & nomine monachos & non ſunt corrigantur, vt veri clerici, & in cap. cum cauſam. de electione, iuſſum eſt vt clerici quidem non profeſſi cuiuſdam monaſterij, vt vel Beati Auguſtini regulam in eadem eccleſia conſtitutam profiteantur & ſeruent, aut ipſam eccleſiam omnino dimittant. Similiter in cap. quod interrogaſti 26. diſtinct. ſi quæ mulieres ſacrum velamen ſibi impoſuerint, & ſi exierint ſe ſub eodem velamine ſancti moniales eſſe, quia per hipocriſim eccleſiaſticam diſciplinam conturbare volunt eam pęnitentiam agere debent de illuſione nefanda, atque in tali ſancto habitu permanere, aut certe iuxta Concilium Romanum canone 29. relatum in canone 30. mulieres 27. q. 1. in monaſterijs regulariter viuere, aut in domibus ſuſceptum habitum caſte obſeruare, ſic plures euangelicæ prauitatis miniſtri deterrerentur ſi dimiſſis ſuis vxoribus ſanctum vitæ ſtatum profiteri & id quod falſo mentiti ſunt veritate, & opere adimplere cogerentur

gerentur quia ſcriptum eſt Deut. 22. non eſſe in boue & aſino arandum, nec quenquam debere induere veſtem de lana linoq; contextã, ideſt, cum tales impoſtores diſeruire volũt eccleſiaſticis obſequijs, debent in eo legitime conſtituti permanere, non verò vt ſunt laici, ſe huiuſmodi inordinate ingerere, alioquin ſi immunes fuerint tales atque libitum fuerit vnicuique ſacramenta eccleſiaſtica diſpenſare, & tractare, omnis eccleſiaſticus ordo turbabitur, nec catholicæ fidei iura conſiſtent neque canones ſacri rite obſeruabuntur, quod Principes catholici intelligere & aduertere debent cogitantes ſe maximam iuſtitiæ partem in hoc Deo attribuiſſe ſi prædicta in Prouincijs ſuis ſanctè & ſine reſpectu procurauerint & effecerint.

CAPVT III.

Principis eſt hæreticorum ſcholas & exercitia ſubmouere.

NVlla tum ſancta res extitit quæ non malorum hominum abuſu in malum conuerſa ſit, neque vlla ſocietas in qua non inuenti ſint mali & ſubuerſores bonorum. Quorum reprehenſio tanto difficilior eſt quanto prætextu religionis & pietatis iſthæc magis magisq; committuntur. Sane literarum ſtudia & artium liberalium collegia apprime Reipublicæ neceſſaria ſunt & veluti certiſſimum ſeminarium, & officina ex quibus ſcientiæ vel ignorantiæ, pietatis vel impietatis formatio vel corruptio ingeniorum puerilium columnæ & fundamentum aut bonum aut malum ſperandum eſt: prodeunt enim

iſtinc

iſtinc qui ad eam adminiſtrandam euocantur, quare intereſt Principis Curiarum & Reipublicæ, in ſumma omnium, curam eorum ſubire & videre, num ibi præpoſiti, & magiſtrales ſint ex quibus Reſpublica iuuari vel lędi poſſit: quia vt Marcus Tullius Cicero tertio de diuinat. ait: Nullum munus Reipublicæ afferre maius meliusve poſſumus, quam ſi doceamus, atque erudiamus iuuentutem ijs moribus præſertim & temporibus quibus ita prolapſa eſt, vt omnium opibus refrenanda atque coercenda ſit, non minorem Reipublicæ curam in ea parte collocandam eſſe cenſebimus, quam in ceteris, quæ ad adminiſtrationē eius, qui præeſt ciuibus impendendam eſſe, opere pretium videtur: atque Plato in omnibus penè Dialogis maxime in 21. Dial. parentes in primis ad recte educandos filios adhortatur ſciēs non poſſe genus humanum abſque gubernatoribus optimis vel honeſtę viuere, vel feliciter gubernari: Præterea nunquam fore bonos in Republica Principis, niſi uiri ſine probatiſſimi ſtatim, ſcilicet, à tenera ætate diligenter exculti, difficulter enim & ſæpe nimia cum indulgentia pueritia ſub domiſticorum cura regitur quæ nacta licentiam in adoleſcentiæ ætate laſciuiam cum ſuperbia ſequitur, & ſine ferris ad inſolentiam tranſit; Vnde factum eſt vt tot præſtantiſſimi viri in diſſitas & veluti extra orbem ablegatas nationes cum ſtudio diſcendi peregrinati ſint, & contemptas & incognitas ſedes, proprias ſuis reddiderint præclaras, ſic Plato audito Socrate poſtea Megaram ad Euclidem cum alijs Socraticis diſcipulis ſe contulit. Diogenes Laer. lib. 3. in Plat. hinc Cyrenem profectus Theodorum Mathematicum audiuit, tum deinde in Italiam ad Pythagoricos, Philolaum atque Eutitum conceſſit, ab his ſe

in

in Aegyptum ad Prophetas ſacerdotesque recepit regreſſus Aethenas academiam illuſtrauit.

Vnde Carolus Magnus pro conſolatione ſtudioſorum hominum iuſſit Epiſcopis & Archiepiſcopis ſcholas per vrbes certis & commodis locis ſtatuere circa annum 1237. notatur ab Henrico Pantaleone Fredericum ſecundum Cæſarem fundamenta adiecisse ſchola Viennenſi cui addita priuilegia poſtea Cæſarum, & Pontificum quam poſtea renouauit Albertus Archidux Auſtriæ anno 1356. & Rodulphus eius nominis quartus anno 1366. ex quo tempore eius exemplo aliæ plures liberalitate Principum, & Imperatorum fundatæ & erectæ ſunt in Germania.

Neque vlla nunquam fuit Reſpublica quæ vbi mentem cępit à barbaris & incomptis moribus reuocare, non conſtituerit ſibi publicam bonarum artium diſciplinarumq; & ſapientiæ aliquam officinam, ſeu ſcholam, teſtantur in Britanna & Gallia antiqua Ducidarum collegia, & cętus, & alibi Brachimanes Gymnoſophyſtæ Philoſophi, cæterique, qui vbique ſcholas habuerunt, quas nunc dicimus priuato Athenienſium nomine Academias, de quibus ex ordine & ex profeſſo tractat Iacobus Middendorpius.

Nec immerito id quidem, ſi enim artium mechanicarum ſcientia & opera, ad ſocietatem Reipublicæ valde ſunt neceſſaria, multo magis neceſſariæ erunt artes & ſcientiæ bonarum diſciplinarum quibus & artifices & aliæ perſonæ reguntur & conſeruantur, vt etiam præſtantior eſt ipſa anima corpore, & ea quæ circa animæ ſalutem, ſunt nobiliora his, quæ circa corpus verſantur.

Sic itaque ordinanda eſt reſpublica vt quidem

neceſſaria corporalia non deſint & ordinata ſint, imo potius, & in bonis legibus, & diſciplinis populus inſtituatur maxime in ipſa vera religione, quæ eſt anima ſincera, & vinculum pręſtantiſſimum Dei cum homine, & hominum inter ſe, & deinceps vt artes liberales & iuſtitia doceantur à quibus alieni homines, & ciues efficiuntur veluti animalia bruta cum ignorantia alieni ab omni humanitate, & ciuili conuectum: proinde Dauid cum ordinaret Rempublicam, & offitia, & miniſteria Regni diſtribueret inter cętera etiam curam habuit, doctrinæ docendæ, atque ordinatus eſt Connenias cum filijs ad opera forinſecus ſuper Iſrael ad docendum, & iudicandum 1. Paralip. 26. & ex iuſſu Regis Aſſyriorum miſſus eſt vnus de ſacerdotibus Iſrael in Samariam, qui docuit eos legitima Dei terræ 4. Reg. 17. Ioſaphat Rex Iuda reformaturus Rempublicã, quam ei pater Aſa reliquerat corruptam, cum eius cor ſumpſiſſet audaciam propter vias Domini in quibus gradiebatur, etiam excelſa, & lucos de Iuda abſtulit & tertio anno Regni ſui miſit de Principibus ſuis Benhail, & Obdiam, & Zacchariam, & Nathaneel, & Micheam vt docerent in Ciuitatibus Iudæ & cum eis leuitas & ſacerdotes 2. Paralip. 17.

Artaxerxes Rex Perſarum conceſſit ad petitionẽ Eſdræ filio Sariæ Scribæ, & Doctori legis Moyſis doctiſſimo poteſtatem docendi, populum Iſraeliticum per regnum Sirum diſperſum, cum poteſtate alios ſibi coniungendi 1. Eſdræ 7. communicauit autem illam conceſſionem Artaxerxes ex Concilio 7 conſiliariorũ Regni ſic enim ſcriptum erat in Epiſtolare eius à facie enim Regis & 7. conſiliariorum eius miſſus es, vt viſites Iudęam & Ieruſalem in lege Dei tui qui eſt in manu tua &c.

Ad

Ad eundem modum Sereniſſimus Archidux Carolus pro communi Prouinciarum, & Prouintialium ſuorum filijs, ſubditorumq; omnium vtilitate maximis impenſis ſuorum prædeceſſorum Illuſtriſſimorum Archiducum Regum & Imperatorum in ea re imitatus exemplum, & in Metropoli ſua Gretenſi publicam ſcholam extruxit ibique tanquam ſeminarium bonarũ artium pietatis & veræ ſanęq; religionis eſſe voluit, ex quo deinceps pro neceſsitate viri Doctiſsimi pariter & pietate morumque probitate florentes prodirent, fecit ad hoc maximã iucunditatem in habitantibus proceribus ne filios ſuos ad longe diſsitas Regiones pro capeſsendis honeſtis diſciplinis ablegare cogerentur, vbi maiores ſumptus fieri neceſſe eſt, & forte aliquando cum minori fructu eccleſiæ & parentum ſuorum hilaritate.

Neque minus facit filius eius Sereniſſimus Ferdinandus dum tanto ſtudio filialique dilectione inhęrendo patrijs virtutibus idem ab omnibus fieri ſatagit, ſuadetque, & cohortatur, aliaſque ſuas Prouincias, omnibus modis ad idem adducere conatur & in hoc certè aliud non facit, quam Dei voluntatem qui vt olim in veteri teſtamento per Reges, & Duces ſuam populo voluntatem innoteſcere fecit, ſic in hodiernũ vſque diem per Vicarios ſuos Principes catholicos Rempublicam auſpicari vult, à veto Dei cultu & Catholicæ Religionis cognitione, cui curæ ſuæ quantumuis obſtacula ponantur, non tamen ab eo, quod hactenus laudabiliter cęptum eſt, & quod materno ex lacte imbibit receſſurus eſt. Semper enim virtuti vitium obſtitit, & bonis conatibus maligna animi cogitatio.

Extat pia Sanctorum Pontificum ad rectores re-

rum publicarum admonitio Eugenij Papæ ſecundi, & refertur cap. de quibuſdam 37. diſt. De quibuſdam (inquit) locis ad nos refertur, neque magiſtros, neque curam inueniri pro ſtudio literarum, idcirco ab vniuerſis Epiſcopis, ſubiectiſq; plebibus, & alijs locis in quibus neceſſitas occurrit, omnino cura, & diligentia adhibeatur vt magiſtri, & Doctores conſtituãtur, qui ſtudia literarum liberaliumq; artium dogmata aſſiduè doceant, quia in his maximè diuina manifeſtantur, atque declarantur mandata, & Clemens Papa primus epiſtola quinta ad ſuos diſcipulos cap. relatum eſt nobis, eadem diſt. relatum eſt nobis (inquit) quod quidam in veſtris partibus commorantes aduerſantur ſacris doctrinis & pro vt eis videtur non ſecundum traditionem patrum, ſed iuxta ſuum ſenſum docere videntur. Multos enim quidam (vt audiuimus) veſtrarum partiũ ingenioſi homines ex his quæ legunt veriſimilitudines capiunt, & ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei, cum legitur, non ſecundum propriam ingenij virtutem, vel intelligentiam, vel legatur vel doceatur &c. Et poſt pauca, cum enim ex diuinis ſcripturis integram quiſque, & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum nõ erit, ſi aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus ſtudijs, quæ forte etiam in pueritia attigit ad aſſertionem veri dogmatis adferat, ita tamen, vt vbi vera didicit, falſa, & ſimulata declinet. Iuuãt plurimum humaniores literæ, vel ex eo religionem chriſtianam, quod per eas deteguntur gentilium errores, & veluti proprijs gladijs conficiuntur. Quare Iulianus apoſtata cum chriſtianos in ethnicis diſciplinis plurimum ſuperſtitioni Gentilium affines cerneret edicto cauit, vt conſtat ex eius epiſtolis, ne puero Chriſtiano-

rùm vllo Philoſophię genere amplius condirentur, hac ratione ſperans fore, vt idiotæ remanerent, eoque facilius ad Idolatriam deficerent, veluti adimendo arma, quibus ſe defendere, & impugnare illum poſſent S. Auguſtinus lib. Ciuit. Dei, 18. cap. 52. quo exemplo docuerunt Mitylenenſes, qui cum maris imperiũ tenerent ſotijs qui deſciuerant hanc pęnam impoſuerunt, vt liberos ſuos non docerent literas, nec artes liberales, omnium ſupplitiorũ hoc grauiſſimum iudicantes, ſi in inſcitia & ignorantia artium liberaliũ vitam tranſire cogerẽtur vt ſcribit Elianus lib. 7. de var. hiſtoria, Decepit aliquos eiuſmodi opinio vt putarint religionem ſine bonis diſciplinis poſſe integriorem conſeruari, & fuerunt qui ita eas abhorruerunt, vt in inſcitia conſeneſcentes aperuerunt hæreticis viam inuadendi gregem dominicum, paſtoribus mutis, & elinguibus, qui vix quæ legerent, vel grammatice intelligerent: ſed fuit hæc techna, & Muſcipula Dęmonis, qui dum dormirent homines ſuperſeminauit zizania, ſcripſit enim aliquãdo impius ille fędifragus Mansfeldẽſis ad germanicam nobilitatem Ariſtotelis Phyſicam Metaphyſicam & Ethicam protinus aboleri deberi ipſaſque auerſitates, & Academias aliud nihil eſſe quam lupanaria fędiſſima. Ex quo Melanthon & Carolſtadus ſuum hauſerũt virus, & vt ſuam magis proderent inſaniam Carolſtadius ex Archidiacono factus eſt Agricola in iure Vitembergenſi. Melanthon in piſtrino artem piſtoriam meditabatur, plerique etiam adoleſcentes artium liberalium combuſtis libris mechanica opifitia complexi ſunt, eoque res deducta fuit, vt multis in locis, ſcholæ clauderentur, donec iterum Lutherus ex Pathmo ſuo veniens, Melantonem hoc nomine caſtigauit, &

Ca-

Carolſtadium ex ditione Vitembergenſi exegit, dicens Phyſicam per ſe bonam eſſe libro edito, coegit enim veritas Palinodiam, vel inuitum cantare, ſic refert Surius lib. hiſtoriæ geſtorum per orbem.

Ad hoc maius habet Reſpublica commodum in extruendis ſcholis & collegijs, ſi bonos & probos etiam adhibeat pręceptores atque curet vt doceantur ea quæ ad edificationem ſunt, non ad deſtructionem eccleſiæ, puniunt enim leges quoſdam Doctores qui illicita docent l. ſi ex culpa. C. de malefic. in leg. culpa. l. mathematicos. C. de epiſ. audient. niſi parati ſint codicibus erroris proprij ſub oculis Epiſcoporum incendio concrematis catholico religionis cultui fidem tradere prout factum fuit tempore Apoſtolorum, quando Paulus Epheſi annuntiabat verbum Dei, quo multi eorum qui fuerunt curioſa ſectati contulerunt libros & combuſſerunt eos coram omnibus Actorum 19. & Cæſares libros improbatæ religionis habere deſcribere aut legere prohibuerunt eoſque iuſſerunt inquiri diligenter & publice comburi, vt Neſtoris Apollinaris Euthychianorum lege quicunque. §. nulli inſuper. C. de hæreticis l. ex Manicheo. ibidem l. 2. §. 2. de ſumma Trin. ſtudia igitur legitima illa erunt quæ reprobata non ſunt & ſcholæ legitimæ, vbi ea quæ probata ſunt, & non vetita vbique diſcuntur, & docentur.

At vnde conſtabit iſta approbatio, an à iure ciuili, an ab eccleſiaſtico? lex erat Sophoclis ſcribit Laertius lib. 5. in Theophraſto, vt non liceret vllum Philoſophum ſcholis præficere niſi id Senatus ac plebs ita decreuiſſet, quis ſecus faceret mors ei eſſet pro pęna: quam legē poſtea abrogauerunt Athenienſes ſed non quod ipſa ſancta, & æqua non eſſet, quod pertinet ad Concilium Senatus & Principis,

ſed

ſed quia iam idem ab Atiſtot.conſtitutum fuit, & à populo approbatum, ideo non erat renouandum vel immutandum quod bene antea conſtitutũ fuit: quia verò nunc non de gentilium ſeu ethnicorum collegijs nobis ſermo eſt, ſed de Chriſtianorum, & Catholicorum conuentibus, ideo quærendũ à quibus huiuſmodi collegia, & ſcholæ religionis diffiniri, & inſtitui debeant. Nulli verò dubium eſt quin ad ipſam eccleſiam catholicam & principes eccleſiaſticos ſimul cum regum ſeculariũ Principumq; conſenſu & authoritate pertineat vt nullus prædicandi ſeu docendi functionem ſubire attentet, aut ea quæ pertinent ad fidem & ſacram Theologiam, quiſquam vſurpet, niſi prius à perſonis eccleſiaſticis ius illud accipiat. Extat ea de re conſtitutio Gregorij noni Summi Pontif. quæ cum ratione ita ſentit cap. ſicuti in vno corpore de hæreticis, & cap. cum ex iniuncto, eodem cum igitur nonnulli laici prædicare pręſumant vt verendum nimis exiſtuat, ne vitia ſub ſpetie virtutum occulte ſubintrent: Nos attẽdentes quod Doctorum ordo eſt in Eccleſia Dei quaſi præcipuus mandamus, quatenus cum alios Dominus Apoſtolos dederit, alios Prophetas, alios verò Doctores interdictũ laicis vniuerſis cuiuſcunque ordinis cenſeatur officium prædicandi, ergo oportet hos Doctores fieri & mitti. Quomodo enim dixit Apoſtolus prædicabunt niſi mittantur? Rom. 10. idem in Concilio Generali ſub Innocentio tertio cautum fuit cap. excommunicatus. §. quia verò nonnulli, de hæret. vt omnes prohibiti vel non miſſi, qui præter authoritatem ab apoſtolica ſede, vel catholico Epiſcopo ſuſceptum publicè vel priuatim offitium prædicationis vſurpare præſumpſerint excommunicationis vinculo innodentur & niſi

quam

quam citius fieri potuerit reciperint alia competenti pęna plectantur.

Ea approbatio alio modo dicitur à catholicis Doctoribus miſſio ordinaria, eſt enim alia etiam extraordinaria miſſio qua, ſcilicet, quis immediatè à Deo accepta poteſtate ad prædicandum mittitur ſicut Apoſtoli & Paulus, quia verò illa inuiſibilis & occulta eſt, non ita in eccleſia admittitur facile, niſi alijs documẽtis legitimis eadem comprobetur, vel per miracula vel ſpetiali ſacræ ſcripturę teſtimonio.

Neque ſolum eorum quæ fidei ſunt poteſtatem ab eccleſia petendam eſſe, ſed etiam aliorum omnium quæ ad erudiendum hominem in pietate, & bonis moribus ſpectant, docetur ea ratione, cum ea enim generalem in corpus Chriſti miſticum poteſtatem acceperit omneſq; ſub illius poteſtate concludantur nunquam profecto extra ipſius ſciẽtiam quiſquam eam ſibi vendicare poterit, neque Imperatores aut Principes id ſibi adſcribent, multo minus alius quiſpiam ex laicis, & hoc manifeſtè conſtat ex Bulla Pij quarti incipiente in ſacroſancta, anno 1564. idibus Nouembris vbi qui ad tractandas doctrinas quaſcunque in vniuerſitatibus & ſcholis vocandi ſunt, & allegandi, vel priuatim docturi fidei puritatem ex præſcripto confiteantur publicè in manibus ordinarij Epiſcopi, ſeu eius Vicarij aut Doctorum aliorumq; promouentium, nihil aduerſus eandem ſe dicturos, aut aliter quam ipſa iubet victuros promittent & iurent, renouata illa pactione, qua in ſacris fontibus idipſum promiſerunt, vel per ſe vel ſe leuantes.

Ex iure nouiſſimo, id quoque apparet. ſeſſ. 23. cap. 18. de refor. vbi Patres Tridentini electos etiã priuatim & per Principes, & Reſpublicas in ſuis

ſcholis Doctores ab ordinarijs Epiſcopis locorum probare debere docent. In Gymnaſijs etiam publicis inquiunt, vbi tam honorifica, & cæterorum omnium (quam Theologiæ) maxime neceſſaria lectio hactenus inſtituta non fuerit: Religioſiſſimorum Principum, ac rerum publicarum pietate, & charitate ad Catholicæ fidei defenſionem, & incrementum ſanæq; doctrinæ conſeruationem, & propagationem inſtituatur & vbi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur, & ne ſub ſpetie pietatis impietas diſſeminetur, ſtatuit eadem ſancta Synodus neminem ad huiuſmodi lectionis officium tam publicè quam priuatim admittendũ eſſe quin prius ab Epiſcopo loci, de vita, & moribus, & ſcientia examinatus & probatus non fuerit: Quod tamen de lectoribus in clauſtris non intelligatur, conceſſa hæc approbandi, & examinandi facultas Epiſcopis magiſtros præponendos ſeminarijs Diocçſeos inſtitutis & inſtituendis.

Sic Carolus Magnus id muneris conceſſit Epiſcopis erigendarum ſcholarum, & collegiorum per ſingulas vrbes, cui tamen non refragatur quod eccleſiaſticæ perſonæ etiam ibi requirantur, vbi ex fundatione ſecularium principum magiſtri & Doctores in Collegijs ordinandi ſunt, & quod contra illorum, ſcilicet, fundatorum intentionem facere non liceat, cum enim leges non dedignentur ſacros Canones nec hi viciſſim illas mutua ſibi in hoc munere delatione facta, nihil ex hoc ſæcularibus Principibus detrahitur; ſiquidem manifeſti iuris eſt, quod Principes huiuſmodi ſolecitudini intendant, & præcipiant reliquarum Prouinciarum præſidibus ne patiantur eſſe collegia, aut ſodalitia & conuenticula reliqua, cuiuſcunque rei prætextu niſi accedat Prin-

cipis authoritas. l. 1. ff. de coll. illic. l. conuenticula de epiſc. & cler. l. 1. §. quibus autem quod cuiuſque vniuerſ. & lege maieſtate reus habetur, qui collegia illicita fecerit per inde, atque qui cętus fecerit & templa armata manu occupauerit, l. 2. ff. de coll. illic. & l. 1. §. 1. ff. ad leg. Iuliam maieſt. de ambitu, quorum omnium iſthæc ratio eſt quod & ad eccleſiam & Principem pertineat attenderè, vt doceantur diſciplinæ & boni mores ſine corruptione morum, & doctrinæ, & ne peſſimè erudiantur iuuenes, quibus Reſpublica cōſtituitur, neve peregrinis dogmatibus animi illorum inficiantur. Vnde ſicut pro moribus in temporalibus & peritia docendi debent approbari à Senatu ſeu Principe; ſic expedit quoque in fide approbari ab eccleſia: quia in eccleſia Dei tentatio eſt error magiſtri & tanto maior, quanto ipſe eſt doctior, qui erat, vt ait Vincent. Lirinen. improbabantur & probabantur olim decreto ordinis Grammatici ſeu Oratores, ſi non ſe vtiles ſtudentibus præbuiſſent l. inita, de profeſſor. qui in Vrbe Conſtantin. C. lib. 12. l. magiſtros ſtudiorum. C. de profeſſ. & medic. lib. 10.

Extant hac de re iura expreſſa Imperatorum, & Cæſarum Theodoſij & Valentiniani, quomodo ponitur vnica lex titulo de ſtudijs liberalibus vrbis Romæ & Coſtantinop. C. lib. 11. per quam vniuerſi qui vſurpant ſibi nomina magiſtrorum & in publicis magiſtrationibus celluliſque, vndecunque diſcipulos circumferre conſueuerunt, præcipitur ab oſtentatione vulgari amoueri, & in poſtetum prohibentur, & damnantur, & Vrbe arceri mandantur prohitumque his qui in publico munere docendi deſcripti ſunt ne alibi aut priuatim quam in publico auditorio doceant, alioquin imminenti pęna priuationis

tionis priuilegiorum conceſſorum his qui publicè tantum docere præcepti ſunt: Accedit conſtitutio Martiani Imperat. l.nemo clericus. C. de ſumma Trinitate & fide catholica, quæ prohibet, vt nemo clericus,vel militaris, vel alterius conditionis de fide chriſtiana publice turbis coadunatis & audientibus tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens, pęnis adiectis, & ſeueriſsimis animaduerſionibus, ſimiliter decernit lex conuenticula.C.de epiſc. & cler. vbi conuenticula illicita etiam extra eccleſiam, in priuatis ædibus prohibentur,proſcriptionis domus periculo imminentes, ſi Dominus eius in ea clericos noua, & tumultuoſa conuenticula extra eccleſiam celebrantes ſuſceperit, facit ad idem lex 2.C.de hæret. vbi Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Cæſares omnes,inquiunt, vetitæ legibus diuinis & imperialibus conſtitutionibus hæreſes, perpetuo quieſcant nemo vlterius conetur quæ repererit profana præcepta vel docere vel diſcere, neque antiſtites eorundem audeant fidem inſinuare,quam non habēt, nec miniſtros creare, qui non ſunt; & l.3.eiuſdem tituli:cuncti hæretici procul dubio nouerint omnia loca ſibi adimenda eſſe, ſiue ſub eccleſiarum nomine teneantur, ſiue Diaconica appellentur, ſiue Decanias,ſiue in priuatis ædibus vel locis huiuſmodi cętibus copiam præbere videantur his ædibus vel locis priuatis eccleſiæ vendicandis.

Quo quid clericis ad rem noſtram demonſtrandam,quod deſideremus non video, neque vſpiam, tam articulate de noſtrorum temporum phanaticorum hominum erroribus & ingenijs cautum legibus reperio? Quid enim aliud eſt quod Imperatores Catholiciſſimi,pariter iuſtiſſimi rerum æſtima

tores decernunt, ne aliquis magiſter conſtituatur ab his qui non habent poteſtatem, quam eorum veſaniam euangelicorum refundere, qui putidi quandoque magiſtelli, & Pedanei puerorum ſibi officinam conſtituunt, & in plebe verbum Dei eructant, tumultus & ſeditiones commouentes: & quid aliud eſt in priuatis ædibus, prohiberi fieri conuentuale, quam ſubreptitiorum hominum prædicantium extra eccleſiam in priuatis caſtellis prouintialimu, ciuiũque domibus ſacra reſque diuinas non tractare? at verò his multo nequiora magisq; crudelia illuſtribus ſtatibus intentari, in aperto eſt.

Non ſanè æquo animo iſthæc vel parui iuditij homo iudicabit, neque eiuſmodi mercatores, rerumque ſacrarum proſtitutores immunes cenſebit, quin iuxta leges Imperatorum puniendos amouendos terraque, & aqua prohibendos: domus verò illorum ciuium, & caſtella, qui non clericos, ſed villanos & inſulſos præcones eiuſmodi ſacrilegia fieri permiſerint, proſcriptionis periculo ſubiacebunt; Synagogas verò, & ſi quæ alia habeant conuenticula priuatim: ſeu publicè reijciendas, ſcholas euerendas & omne exercitiorum genus prohibendum ſtatuunt Gratianus, Valentian. & Theod. Imperatores, ſerioque cauent ſuperioribus legibus citatis ne quiſquam profana præcepta, vel docere, vel diſcere præſumat neque Antiſtites eorundem audeãt fidem inſinuare, qui non habent, nec miniſtros creare, qui non ſunt.

Scio plurimos nobiliſſimos Germaniæ Heroes hoc errore infirmari quod à Senatu ciuili, ſeu politico magiſtratu ſacerdotes conſtitui arbitrẽtur, ſed conceſſerim illis tales quales ipſi habent Cerdones, non ſacra dantes.

Crediderim verò lapſos ex leui errore, quem V-taplus leuiter hac in re multis demōſtrauit in Prioribus ad epiſtolā D. Pauli ad Timoth. Scholijs, vbi falſam illam, & impiam euāgelicorum opinionem effinxiſſe videtur, enarrans illud Apoſtoli, noli negligere gratiam quæ eſt in te: quæ data eſt per prophetiam; cum impoſitione manuum præsbyterij; vltima ſilentio inuoluens, priora breui quadam, ſed praua gloſſa corrupit, Noli negligere paſtorale officium, quod tibi datum eſt ad prophetandum, ſeu docendum, à Senatu chriſtiano, qui eſt Epheſi, quaſi verò munus epiſcopale, & ſacerdotum catholicorum non ſit ſacramentum, ſed potius ciuile, & profanum officium, ac proinde poſſet quis Epiſcopus, ſeu ſacerdos ordinarij à Senatu ciuili, vt & cęteri magiſtratus ciuiles creantur: hoc verò Principibus ſæcularibus non licere, aut illis veteri deprauato more manus imponere ſupra monſtrauimus, & etiam allegatis Imperatorū decretis manifeſtum eſt, idque Canon primus Apoſtolorum apertiſſimè prohibet 16. quæſt. 7. cap. ſi quis epiſcopus. Si quis epiſcopus inquit ſecularibus poteſtatibus vſus eccleſiam per ipſos obtineat deponatur, & ſegregetur, vbi propter delicti grauitatem duplex illi pęna irrogatur, qui à ſæculari poteſtate epiſcopus, vel ſacerdos fuerit creatus, omnis enim ita facta electio, tanquam impia, & ſacrilega exploditur, & huiuſmodi initiatus à communione fidelium ſeparari iubetur in Concilio Niceno cap. 4. & Leodicenſi cap. 12.

Cui Sanctorum Patrum, & Conciliorum decreto aſſentiunt prædicti Imperatores Romani, prædictis intruſis, & irreptitijs Sycophantis omnia loca adimenda eſſe, omniaq; illa loca in quibus ſuum

virus

virus effundere præſumpſerint, eccleſiæ vindicanda eſſe.

Recto ergo, & iuſto Dei zelo dictus Ferdinandus ex ſuis Prouincijs iuxta Cæſarum, & Imperatorum leges eiuſmodi hominum & ſtatutum perturbatores eijcit ſcholas claudit, omnemq; earum vſum ſeueriſſimis pœnis inhibet imo rectè ipſum facturum dixerint, ſi loca omnemq; habitationem earum in quibus talia nefanda execrandaq́; potiusquam videnda exercitata fuerunt, confiſcet atque proſcribat. Neque huic facto egregio quis aut culpam adijciet, aut tyrannidis inſimulabit, cum èçontra potius tyrannidem is Princeps in populum ſibi ſubiectum cōmiſiſſe dicatur, qui ad inſtar Regum Aegyptiorum quoduis agere & facere permittit religionisq́; negotia libera diuerſaq; concedit, quod quia non ſolum legibus imperialibus, ſed etiam legibus diuinis contrarium eſt: ideo decet Principem Catholicum ſummo ſtudio & diligentia curare, vt eiuſmodi ſynagogæ, ſcholæ, & conuenticula, viſitentur & reformentur, maximè in his quæ ad mores, & doctrinam ſpectant, & quæ ad fidem Catholicam per Epiſcopos, & locorum ordinarios, iuxta ſacroſanctarum Synodum & fundationum decreta: Vbi autem ſunt vniuerſitates & ſtudia generalia, debet ſeruari decretum Concilij Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 2.

Cæſares, Arcadius, & Honorius, omnia loca & collegia ademerunt hæreticis, l. cuncti hæretici, & l. Arriano. C. de hæret. Extat Iuſtiniani Nouella 132. de interdictis colleg. hæretic. reprobantur & illorum conuenticula, quæ ipſis eccleſiæ dicebantur, & eis relicta, item collectæ, paraſynaxes, ſynodi, exarchatus, paternitates, ſeu abbatiæ. Suſtulerunt etiam

& alij Principis Chriſtiani collegia ſuperſtitioni paganicæ, & templa & ſacrificia.

Hinc enim maior pars ſalutis, vel corruptionis Reipub. pendet, & ex horum fontibus diuini, & humani iuris præſidiũ oritur, vel expugnatio, ibi enim diſcuntur prima fundamenta, artes ingenuę, mores, iura diuina, & humana, quæ omnia permaxime intereſt incontaminata conſeruari in vera & catholica fide. Proinde cauendum eſt, vt non admittantur profeſſores, niſi probati, & vt admiſſi pro catholico more inſtituant ſibi commiſſam iuuentutem; Periculoſæ namque ſunt eorum hominum, qui volunt haberi pij ſimul & docti, ex malitia & ſuperbia peccantium ſententiæ, ſeu hæreſes, nec miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo, & dũ non poſſunt ob malitiam, vel melius imprudentiam detectam euadere, concitant coniurationes, tumultus mouentque omnem lapidem, vt quod aſtu non potuerunt conſequi per vim aſſequãtur: teſtes nobis ſunt factiones ortę, ex cauſa, & prætextu religionis inter Samaritanos Saduceos, & Iudęos, interque alios hæreticos, qui ex modica ſcintilla totum orbem incenderunt, quæ ab initio extingui, & repurgari poterant. Verum vbi coaluerunt, clades populorum, animarum, & corporum, & Regnorum ſubuerſione miſerè acceſſerant, teſtes ſunt illi clamantes qui prodierunt ex Synagogis euangelicorum, quantam ſibi ex ſuggeſtu dicendi libertatem declamandi, & ſtatuendi vſurpauerint, & nedum diſcipulos in ſuis dogmatibus inſtituere, ſed etiam Prouintiales Illuſtres, ipſum Principem reformare totamq; Rempublicam, ad phantaſticam illorum veſaniam perducere præſumpſerint. Nihil eſt hominibus iſtis arrogantius, nihil ſceleſtius, nihil funeſtius, qui dum vix grammaticæ

matica monumenta deguſtarunt, nouas regendi formulas præſcribere volunt. Scribit Atheneus lib. 11. dipnoſophyſton. cap. 22. vbi leges Platonis deriſas ait ab Athenienſibus. Oratioque inquit illa de Republica & ſi omnium ſit pulcherrima nobis cum nihil perſuadeat? Quid magis? viſus eſt ipſe Plato non exiſtentibus viris leges ſcripſiſſe ſed hominibus à ſe fictis, ita vt qui eis vtantur poſtea perquirere oporteat. Idem ſcribit cap. 23. eiuſdem libri, Platonis diſcipulos fuiſſe tyrannos: poſtea refert & Polybius lib. 2. hiſt. in ea Regione Italiæ quæ tunc magna Græcia appellabatur cętum Pythagoreorũ, ob clandeſtinam coniurationem concrematum, magno rerum mutatione facta, vtpote principibus cuiuſque Ciuitatis temere interfectis: vnde accidit ea loca eaſque vrbes maximis ſeditionibus cædibuſque vexari.

Certè hæc digna notatu in poſterum; cum videamus plurimum turbatam Rempublicam Chriſtianam, & Regnorum leges, ex quadam ſuperbia nouorum euangelicorum qui phanaticis ſuis conciunculis omnem nobilitatis ſtatum eo dementarunt quod quid tandem incepturi, quove ſeſe collaturi ſint, ignorent. Verum redeant ad priſtinam ſanitatem, vitæ prioris inſtituta relinquant, deteſtentur tales raboliſtas, & forenſes mercatores, cogitent ſtatum, & nobilitatem non effictos ad huiuſmodi hominnm cantilenas, neque Principem natum ſub virga illorum; ſed magnanimum excellentem catholicum, & potentem: Eant ergo potius & cantẽt, & laudent ipſi quas fecerunt fabulas.

Neque cauſentur verſuti illi Hipodidaſcoli quod priuilegia habeant in vniuerſitatibus & gymnoſijs dicendi, & docendi, tamdiu enim honoris

præ-

prærogatiua & vniuerſitas ducat quam diu ibi viguerit obſeruantia ſtatutorum, nam ceſſante cauſa propter quam datum fuit priuilegium, collegij, ſocietatis, & religionis, debet etiam ceſſare ipſius priuilegij effectus. l. fin. C. de militari teſt. cap. cum ceſſante, de appell. Deinde ex delicto in religione, vel prætextu religionis commiſſo omni priuilegio benefitio, & gratia quiſque denudandus eſt, ſi ſit clericus: ſi verò ſęcularis tradi debet poteſtati ſęculari arbitrio illius ſerio puniendus: quia quod pro pietate & religione aliquibus collegijs cōceditur, non permittunt iura & Principes priuilegium concedentes ad alterius religionis forum, vel loci iniuriam redundare, l. nec auus. C. de adopt. & cap. 2. de eccleſijs ędificandis, ſic enim interpretanda ſunt benefitia à Principe conceſſa, ne incipiant eſſe nociua ipſis eccleſijs pro quibus data ſunt. Vnde merentur amittere priuilegia qui conceſſa ſibi abutuntur poteſtate. l. generaliter. §. eos tamen. C. de epiſc. & cler. nec antiquæ eccleſiæ ex nouis lędi debent, proinde ſi aliud non ſit remedium tolli debent radicitus.

CAPVT IIII.

Principis eſt libros hæreticorum prohibere, comburere: Vendentes & imprimentes punire vt executor decretorum eccleſiæ, cuius eſt primo & per ſe hæc omnia peragere, & vt conſeruator legum eccleſiaſticarum: illis ſimiles, ſi opus eſt, coniungendo.

QVia labile eſt humanum ingenium, & mutabile, & ad nouas ſemper opiniones procliuum ideo Deus humanæ fragilitati conſulens illi per ſcripturæ iuuamen, & veluti theſaurorum diuinorum memoriale auxiliari voluit, ad perpetuam rerum memoriam & geſtorum, & mandatorum teſtimonium: Quamquam & ſine ſcriptura multa per patrum manus quæ ad religionem ſacram pertinent à progenie in progenies ad nos vſque peruenerint conſeruata, repetita quotidiana memoria, vt ait Baſilius magnus epiſtola 178. Quia verò in his ſcripturis multa latent, & grauiſſima fidei noſtræ myſteria, neque ita peruia omnibus, niſi ſingulari ad hoc inſtituto, edoctus, & Spiritus Sancti gratia illuſtratus fuerit, ideo cautum eſt ab eccleſia, ne cuiuis huiuſmodi ſacræ literæ obuiam ſint, aut pro libito eaſdem explicare liceat, de quo in ſequenti cap. Nunc verò quia ſcripturæ in libris potiſſimum continentur, nec ita facile ſcriptura ſacra ad noſtra vſque tempora, propter iniuriam temporum & infeſtationes varias hæreticorum, illibata peruenire potuit, niſi certis quibuſdam codicibus inſcripta & redacta, quamuis nec ita quidem omni neuo ſcripturæ careãt, imo multoties ſub nomine ſacrorum librorum, venenum hæreticorũ graſſatur, nec compendioſius Cacodæmoni fuit negotium quo ſuas ſub typis librorum in animos hominum inſlauet deceptiones, quam librorũ impreſſione, adeo quidem quod Spiritu Sancto mota ſancta mater Eccleſia totam ſacram ſcripturam ad ipſos fontes deducere, indeque cum illis protothypis concordare atque quorundam libros etiam ſub nomine ſacræ ſcripturæ excuſos, ex numero eccleſiæ catholicæ librorum cathalagoq; expungere decreuit, quod potiſſimum

tiſſimum factum fuit in ſacroſanctis Concilijs & eccleſiaſticis conuentibus, ob impiorum hæreticorum & ethnicorum malitiam à quibus & veræ ſcripturæ Canonicæ aliquando corruptæ ſnnt, & aliç in loco illarum confictæ, aliquæ etiam imprudenter denegatæ quæ illis, ſcilicet, ipſis aduerſari videbantur, quemadmodum eadem de re nos admonet Sãctus Cyrillus Hieroſoli. catech. 4. & Sanctus Ioan. Damaſ. lib. 1. de orthodoxa fide cap. 2. libros nobis legendos quos nobis tradiderunt Apoſtoli & Epiſcopi maiores, nec filijs eccleſiæ tranſgrediendos eius terminos; iuditium enim eccleſiæ, ſancto ſpiritu regitur, quem ei non defuturum vſque ad conſumationem ſæculi teſtata eſt veritas, neque errare poteſt, neque impoſturis peruerſorum, vel dæmonum decipi vt columna veritatis, & proinde obtemperandum & obaudiẽdum catholiçis præceptis eius, eique in probatione librorum quoque credẽdum, nam ea ſua ſapientia videt virus quod latet iniquorum librorum lectionibus quod incautos priuatim legentes poſſit facile inficere. Cum prætextu religionis pernicioſiſſima, ſub ſpecioſis titulis non tantum nunc, ſed etiam ab aduerſarijs fidei & Chriſti ſæpe incautis olim obtrudantur, & mala ſunt vicina bonis, & vitia virtutibus, fucata veris vt non immerito peritiorum, & prudentiorum egeamus regula. Diſcrimine, & cenſura, plus enim vidẽt oculi quam oculus.

Experientia multorumq; librorum hiſtoriæ, periculorum antiquorum memoria, & in illis adhibita diſciplina efficere etiam debet, vt eccleſiæ mandatis pareamus, & potius caueamus in caſſes incidere, & retia, quæ ſubeſſe monent, quam vt ſtulti poſt hauſtum venenum noſtro cum malo aliquan-

do immedicabili laqueis inuoluti conqueramur de nobis ipſis; experientia certè ſtultorum magiſtra? ſunt enim libri, arma, quæ nomine amicitiæ, & conſenſus cum fide, multos à fide improuidos obtruncarunt, probabunt id aliquorum exempla, ſic Maximinus Imperator, vt religionem conſpurcaret & auerteret, ſicut fuit hoſtis accerrimus chriſtianorũ, & inſecutor crudeliſſimus paſſus eſt cõfingi librum quendam inſcriptum acta Chriſti apud Pilatum ſicut modo habemus actu Apoſtolorum per Lucam edita, illumque librum per omnes Regni ſui Prouincias prælato edicto mitti præcepit, & per vrbes ſingulas vicos & pagos quoque proponi, præceptoribus quoque puerorũ tradi iuſſit, vt pro his quæ diſcendum, vel meditandũ tradi ſolerent pueris memoria comendanda plenam ſporcitia, & libidine darentur, ſic ſcribit Euſebius Pamphiſus lib. 9. hiſt. eccleſ. cap. 5. & Tertullianus de præſcript. aduerſus hæret. Valentinus hæreticus inquit legis & prophetuum quædam probat quædam improbat, ideſt, omnia improbat, dum quædam reprobat: Euangelium etiam habet ſuum, præter hanc noſtra. Appelles hæreticus Martionis diſcipulus legem, & prophetas repudiat vt idem Tertullianus eodem loco, habet præterea priuatas, ſed extraordinarias lectiones quas vocat phaueroſeis philumenes, cuiuſdam puellæ, quam quaſi prophetiſſam ſequitur: habet præterea ſuos libros quos inſcupſit ſyllogiſmorũ in quibus probare vult quod omnia quæ conſcripſit Moyſes vera non ſint. Sic Ariani excutientes ſacram doctrinam fuerunt inuentores quorumdam librorum quos vocarunt θαλέιας, ideſt, vt D. Athanaſius ait oratione ſecunda contra Arianos, crapulas, fuerunt alij plures hæretici qui loco ſacrarum ſcripturarum

alios

alios libros confinxerunt in hunc ſolum finem vt falſa ſua dogmata ſub nomine ſacrorum librorũ quos vocant inſpargerent hominibus, ſic Valentiniani Marcionitæ Ariani qui ſacros libros corruperunt, mutilarunt apoſtatæ, vt Porphirius Ebion. planè abſtulerunt, vt Diocletianus Nabucdonoſor, & alij. Vnde in titulo ſecundo. C. de ſumma Trinitate & fide cathol. Imperatores Valentinianus, & Valens ſancimus inquiunt, vt omnia quæcunque Porphirius ſua pulſus inſania, aut quiuis alius contra religioſum chriſtianorũ cultum cõſcripſit apud quemcunque inuenta fuerint igni mancipentur: & paulo poſt iubent libros eorum qui ambiguas de fide doctrinas edidiſſent non congruentes per omnia, aut præciſe orthodoxæ fidei potiſſimum eos qui Neſtorij eſſent comburi, meminit ea de re Euagrius lib. 1. cap. 12. Socrates primo hiſt. eccleſiaſticæ c. 6.

Exemplum verò omnibus hac in re præſcripſerũt Cæſares, Theodoſius, & Valentinianus in l. damnato. §. 1. in C. de hæret. nec verò inquiunt impios libros nefandi & ſacrilegi Neſtorij aduerſus venerabilem orthodoxorum ſectam decretaq; ſanctiſſimi cętus Antiſtitum Epheſi habitum ſcriptos habere, aut legere, aut deſcribere quiſquam audeat, quos diligenti ſtudio conquiri, ac publicè comburi decernimus, ita vt nemo in religionis diſputatione aliquam ſupradicti nominis faciat mentionem, & l. quicunque, eodem titulo Martianus Imperator. §. fin. ait, nulli contra venerabilem Chalcedonenſem ſynodum licet aliquid, vel dictare, vel ſcribere, vel ædere atque emittere, vel ſcripta ſuper eadem re proferre. Nemo huiuſmodi habere libros, & ſacrilega ſcriptorum audeat monumenta ſeruare, quod ſi qui in his criminibus fuerint depręhenſi perpetua

depor-

deportatione damnētur. hos verò qui diſcendi cauſa adierint de infauſta hæreſi diſputantes decem librarum auri, quæ fiſco noſtro inferendæ ſunt iubemus ſubire diſpendiū, vltimo etiam ſupplitio coerceantur qui illicita docere tentauerint: omnes verò huiuſmodi chartæ libri qui funeſtum Eutichetis & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur.

Iuſtinianus nouella 42. de depoſitione Anthimi cap. 1. confirmat prædictas & vltra, deſcribentibus ex quacumque occaſione etiam ad velocitatem manus, imponit manus amputationem.

Quæ certæ pęnæ, vt ſuperiores impoſitæ contra deſcriptores, decurrere poſſunt aduerſus typographos & Bibliopolas qui venenum librorum infectorum pulo pluribus parant, & celerius quam librarij antiqui, & minori pretio quam labore deſcriptos diſtribuunt, & ſpargunt in diuerſas orbis regiones. Si enim pęna digni habiti ſunt qui libellos famoſos ediderunt, & qui ſcripſerunt, & qui inuentos non conſumauerunt, vt l. vnica. C. de famoſis libel. & l. Cornelia. ff. de iniurijs. §. ſi quis librum, multo magis qui hos libros aduerſus legem diuinam, & religionem publicam edunt: retinēt, & ſcribunt cum grauius ſit diuinam quam humanam offendere maieſtatem & crimē aduerſus religionem, publicum eſt, & in omnium fertur iniuriam, auth. Gazaros defferet. §. Gazaros, & de ſtatutis, & conſuetudinibus in authent. l. Manicheos. C. de hæret. Quantum damnum huiuſmodi verſutia Germanię atque Galliæ intulerit, domeſtica docet ad huc clades Reipublicæ, & multorum principatuum defectio: Notum enim eſt quod ſæpius dum eiuſmodi ſacrorum librorum deprauatores aliquid aduerſus

Dei,

Dei, & eccleſiæ præcepta moliuntur ſi publicè id attentarent non ſucceſſurum, ideo Callidè vtuntur propoſito ſuo, vt ſub titulo catholici alicuius authoris, ſeu alterius rei præſcriptione, peſſimum hæreſeos ſuæ infigant & immiſceaut ſpiritum, vel corrumpendo, vel addendo, aut detrahendo, quod proprium eſt hæreticorum ex quo non facile iſta deprehendi poſſunt, ideoq; facilius imperita plebs ſuffocatur.

Extant paſſim Biblia ſacra, Euangeliorum Codices quorum quilibet illorum, multis ſcatent erroribus, ideo nouiſſimo Concilij Tridentini iure præuiſum fuit iſtis omnibus ſeſſ. quarta in decreto de editione & vſu ſacrorũ librorũ, vbi ſtatutum eſt ne vlli liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis libros de rebus ſacris ſine nomine authoris neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere niſi primum examinati probatiq; fuerint ab ordinario ſub pena anathematis & pecuniæ in Concilij nouiſſimi Lutheranenſis appoſitæ ſeſſ. 10. ſub Leone decimo, & ſi regulares fuerint vltra examinationem, & approbationem huiuſmodi, licentiam quoque à ſuis ſuperioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam ſuarum ordinationum.

Qui autem ſcripto eos communicant, vel euulgant niſi antea probati examinatiq; fuerint eiſdem penis ſubiaceant, quibus impreſſores, & qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint authores, habeanturq; pro authoribus.

Hæc eadem prohibitio facta fuit ſub Leone decimo in coſt. 10. incipiente inter ſolicitudines, quod nulli libri imprimantur abſque approbatione Vicarij, & magiſtri ſacri palatij Apoſtolici in Vrbe, aut

loci

loci Epiſcoporum, vel Vicariorum eorundem, ſub pęna combuſtionis librorum publicè, & cētum ducatorū, ſi aliter imprimantur fabricæ baſilicæ Apoſtolorum Principis Petri & Pauli applicandorum.

Proinde curabunt Epiſcopi Inquiſitores hæreticæ peſtis hac in parte malis præuenire, & occurrere oportunè quandoquidem huiuſmodi libri prohibiti non ſolum notati ſunt cenſura eccleſiaſtica, ſed etiam legibus imperialibus l.3. §.1. & §.quoniam, de ſumma Trinitate l.6.in fine. C.de hæret. nouel. 42.cap.1.Socrates lib.1.hiſt.cap.6.

De venditione verò alia ratione cautum eſt mutuata ratione; venenorum apparatu l.Cornelia, de ſicar.& venefic.qui venenum hominis cauſa necandi fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plectitur, & qui in publicum mala medicamenta vendiderit, vel homines necandi cauſa habuerit, venenarij capite puniendi ſunt.l.3.ad legem Corneliam, de ſicar.ff. l.Capitolium.§.venenarij.ff.de pęn. aut ſi dignitatis reſpectus habendus fuerit, deportandus eſt, & plus eſt veneno occidere quam gladio l.1.C.de malef. & mathem. & plus eſt parare venenum contra matrem, aut proximos. quam contra alios, & qui ſciuit hoc venenum ea cauſa comparatum, nec detexit, qui emit, & qui vendidit, pęna parricidij teneantur quamuis non fuerit venenum per eum porrectum l.1.§.fin. & l.2. ad leg. Pompeiam, de paricid.ff.quo circa qui virus pernicioſorum librorum edunt diſtrahunt emunt, & ſeruant eadem digni pęna ſunt, plus eſt enim animam occidere quam corpus l.ſancimus.C.de ſacroſanc.eccl.

Verum tamen eſt quibuſdam concedi eiuſmodi libros prohibitos licentiam legendi, nempe his, qui ſuo ingenio ex his poſſunt ſanam doctrinam proba-

tionem

tionem reddere,& errores hæreticorum confutando,vel ex mentibus hæret. vel infectorum conuellere. Sicut etiam pharmacopolis iuratis conceſſum eſt habere in Republica venena, quæ non omnibus dantur,ſed his tantum qui poſſunt ex illis antidota componere, vt probat in l.quod ſæpè,§.veneni mali ff.de contrahen. empt. Sic in libris prohibitis ijs vti non poteſt, niſi qui ex illis vtilitatem eccleſiæ afferre poſſet, & exinde maiorem contra hæreticos cum veritate inuehendi occaſionem accipere,alioquin,qui legit vendit,& excudit tales libros non po teſt euitare, quin pęna dignus ſit, poſt quam libri etiam fuerint ablati & combuſti, nec vitare poteſt, quin deueniat in ſuſpectionem hæreſis tanquā fautor & defenſor cap.ſicut ait de hæret. cap.excomm. §.credentes eodem.quia & Scribæ & Notarij non tantum negotiorum hæreſeos, ſed etiam aliorum negotiorum hæreticis adeſſe prohibentur ſub eadem pęna,cap.ſi aduerſus nos de hæret.multo ergo magis in his, quæ ad impietatem eorum pertinent in quo,& ſotij & participes delicti eſſent.

Sic Iulius tertius conſt. ſeptima cum meditatio ne 3. Kalend. Maij anno 1550. reuocauit facultatem libros ſuſpectos legendi,& retinendi de fide catholica præter conceſſas inquiſitoribus, præcipitq; huiuſmodi libros intra certum terminum conſignari inquiſitoribus:ſimilem conſtitutionē edidit Paulus quartus coſt.37. incip. Quia in futurum;& Pius quartus, conſt 98. cum pro munere,& ibi prohibet vendi & habere tales libros,idem ſtatuit Pius quartus conſt.108.cum inter crimina.

Exiſtimarem tamen hoc loco prædictas pęnas locum ſortiri ſi bibliopola ſcienter tales prohibitos libros vendit: quia contingere poteſt, vt bibliopola

ſit expers literarum, & ſibi huiuſmodi libri ad diuendendum traditi fuiſſent, illoſque ſic exponendo iam vendiderit, quo caſu à grauiori pęna excuſandus foret argumento. l. generali, de tabular. C. lib. 10. non tamen in totum: quia iuris ignorantia non excuſat l. Regula, & l. 1. ff. de iur. & fac. ignor. quia in magna neglīgētia verſantur eo quod ſe ſe exponūt periculo huic grauiſſimo quod neceſſario præſupponit ſcientiam rerum diuendendarum non ſecus, ac ſi quis falſas menſuras conduxerit ſciens, ſi frangantur periculum ſuſtinet l. item quæritur. §. ſi quis menſuras. ff. locati. Si autem fraus accedat & clam tales quis vendat ſuſpitio delictum auget & malam fidem teſtatur l. fi. ff. de ritu nup.

Quare verò Principes & ſuperiores tam ſedulo huic negotio librorum intendere debeant ortum habet non ſolum quod inde maxima, & Reipublicæ & animarum ſaluti clades accidat, ſed etiam quia ex ſleg. & conc. ita decretū fuerit, accedit quod antiquitus tempore Apoſt. idipſum in vſu habitum Actorum 19. & ethnicos quoque obſeruaſſe legamus ſicuti narrat Diogenes Laertius in vitis Philoſophorum in Pitag. qui cum videretur lubricè diſſentire ſ. de dijs an ſint nec ne ex eo quod plurima ea de re ſit certitudo, & hominū vita breuis pulſus ab Atenienſibus vrbe fuit, & Senatus cenſuit, vt ait Liuius lib. 40. de libris relig. in arca Numæ inuentis, ſatis habendum quod præter iuſiurandum polliceretur libros eos legi ſeruarique oportere, & ideo primo quoque tempore in comitio cremardos, & Vlpianus in l. cætera. §. mala medicamenta. ff. familiæ erciſcundæ concludit, libros improbatæ lectionis magicos fortè & his ſimiles protinus corrumpendos. Cuius rei confirmationem pluribus extendere

dere opus non eſt, quandoquidem ex prædictis luce clarius conſtat malum ex Prouincia eliminandum non ſolum quia alios inficere poteſt, ſed quia in ſeipſo malum eſt, & ex conſequenti naturali inſtinctu ab omnibus fugiendum, proinde ad aliud huius capitis membrum properemus.

CAPVT V.

An expediat in vulgari lingua fidei catholicæ myſteria populo eſſe obuia?

CVrioſum hominum ſciendi genus eo deuētum eſt, quod ea quæ ad ſe minime pertinēt addiſcere velit, ea verò quæ maxime ſcire expediant negligat, ita inuerſum eſt ingenium hominis, naturale quidem illud eſt, non tamen naturam ſine rationis ordine euagare neceſſe eſt, alioquin non rationis capaces erimus, ſed efferi homines, & ad ea ſolū quæ oculis patent inclinati: verum quod ad rem præſentem attinet multis perſuaderi poteſt, omnibus legendam ſcripturam ſacram, vtpote quia regula eſt eorum quæ agere, vel vitare debeamus eaque tam firma quæ etiam immutari non debeat à Principibus cuiuſcunque poteſtatis ſint, cum inferior non habeat leges ſuperiores moderari, aut corrigere; & quod ſcripturæ ſacræ contineāt vitam æternam, indicent ſalutem, & prædicent viam per quam fęlicitas dari poſſit, quæ cum omni chriſtiano neceſſaria ſint ſcitu, quia extra illa ſalus ſperari non poteſt, maximè conſultum videtur, ita illam populo aperire, vt quiuis vnde diuertere, & quo abire debeat internoſcat: accedit quod magnæ in illis lateant diuitiæ,

vnde ſi quiſquis parum inde ſibi recolliget poſſit deinde magna ſibi exinde comparare diuitias.

Hæc aliaque ſpecioſa ſunt, & veriſſima in ſe ideo, & magnam partem Germaniæ & Galliæ induxerunt, vt in vulgari ſibi velint explicatam ſcripturã, ex qua quiſque ſibi prouidere poſſit de ſalute, cauere ab hæreſibus, & ſi quæ ingruant miſeriæ & afflictiones exinde tanquam ex theſauro ſibi conſolationis vim, & virtutem deſumere poſſit fateor & hoc quod maximè neceſſaria ſit, & vtilis ſacræ ſcripturæ cognitio non ſolum laicis, ſed etiam & præcipuè clericis ijſque quibus commendatum eſt habere noua, & vetera deprómpta in vaſis ſuis ita quidem, vt neceſſarium eſt illis qui legere ignorant, audire verbum diuinum, habent enim mandata diuina, quibus obtemperandum eſt, habent & viam, & veritatem quæ amplexanda ſunt ad obtinendam vitam æternam. Nec enim ignorantia eorum in extremo iuditio aliquem excuſabit, ſed ignorans ignorabitur 1. Corint. 14. Culpa enim grauis eſt ea ignorare quæ omnes intelligunt, vel intelligere debent, vnde dictum fuit diuiti illi Epuloni habent Moyſen, & Prophetas audiant illos Luc. 16. & Diuus Chryſoſt. merito reprehendit ſocordiam, & iniuriam quorundam laicorum hom. 21. in Gen. qui mundo & corporis delitijs vacantes excuſant ſe à bonis operibus, & lectione ſacrarum literarũ quaſi ipſi non egeant hoc labore, & conſolatione, ſolumque ſint ad legendum adſtricti, vel monachi, vel clerici qui ad hoc præter Dei mandatum, & functionem, etiam alio modo obligantur, vt quia voto adſtricti ſunt, & in vijs mandatorum Dei currere promiſerunt, quid verò ſibi velit iſthæc excuſatio; nouerint D. Paulum ad Timot. 2. dicere quod Deus

velit omnes homines ſaluos fieri idque medijs ad hoc ordinatis, cum verò animæ neceſſitas pluris æſtimanda ſit, quã corporis prouiſio, profectò quia ex animæ curatione & firmitate ſalus oritur eidem plus incumbendum erit quam corpori, ſiue ſit clericus, ſiue laicus qui enim omnes dicit, nullum excludit. Quare inquit qui tantam habet corporis curam, cuius gratia & propter quid tantũ animæ contemptum admittit, neque illi congruum cibum impartitur non enim ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth. 4. Eandem negligentiam exprobrat ſęcularibus Clemens Alexan. 2. ſtromat. qui ſe exiſtimat ſapientem inquit nec vult audire diuina præcepta, ſed tamquã qui per ſe didicerit effrenatus fertur in ſalem fluctuans deſcendens ad mortalia, & ea quæ ſunt generabilia à cognitione ingenti, alias alia opinans, quibus autem non eſt gubernatio ij cadunt ſicut folia.

Verum tamen non omnibus indiſcriminatim cõmittendum hoc ſtudium niſi qui ad hoc vocati, & edocti ſunt: & quantumuis laici homines ſcientia, & cognitione literarum ſęcularium præditi ſint ijs tamen prohibetur ſacras literas, vel interpretari, vel ſcrutari plùſquam oporteat, ait enim Paulus oportet ſapere ad ſobrietatem, & ſutor vltra crepitam excedere non debet: Nec omnes vnius ingenij ſunt homines, alius enim peſſimum habet ingenium, vel potius irreligioſum, qui ſcripturas non magis ad bona, quam ad mala vſurpat. Vnde qui ſibi potuerunt inde haurire ſalutem accipiunt damnationem. Deinde cum plurima & præcipuè fidei noſtræ myſteria inibi velut ſub velo tecta ſint quoſquiſque eſt qui ea inde eruere cum timore & digna reuerentia,

qua

qua par eſt poſſit? Videmus enim quanto ab his qui vndique verbum Dei, & ſcripturas iactitant, ſint in honore ſacramenta eccleſiæ, & fidei articuli quod nuſquam magis, quam in tabernis à ſutoribus & ſartoribus lippiſque, & tonſoribus imprudentiſſimē proſcindantur dum ſus Mineruam tractare, & ouū gallinam inſtruere putant, an non hoc eſt proijcere margaritas coram porcis? an non ſtrictiſſimum furioſis hominibus gladium ad manus porrigere, quo ſe ipſos confodiant an non foueam facere pro cæcis & vertiginis ſpiritu correptis? communia ſunt iſta, nec iuuat exempla in medium proferre.

Nunquam minus curata fuit religio chriſtiana quam quando omnibus eam tractare, & inuadere permiſſum eſt magiſque non viluit quam quando vulgari lingua eadem expoſita fuit, conqueritur hac de re Sanctus Baſilius libro de Spiritu Sancto cap. 27. impleuit autem ſacram ſcripturam Spiritus Sanctus myſterijs, ne illa vileſceret, nec omnes qui intelligunt latinam linguam, aut græcas literas norunt, aut italicas ideo, & ſacram ſcripturam interpretabuntur: quia vna eademq; ſcriptura diuerſas poteſt admittere interpretationes vna autem eſt ſola litera diuerſaque ſcribentium mens, quod expreſſe docuit Diuus Petrus 2. Pet. cap. 1. intelligentes inquit quod omnis prophetia propria interpretatione non fit, & epiſtola ſecunda cap. 3. & Domini noſtri Ieſu Chriſti longanimitatem ſalutem arbitremini ſicut & Cariſſimus frater noſter Paulus ſecundū datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis ſicut & in omnibus epiſtolis loquens in eis, de his in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.

Diuus

Diuus Hilarius idipſum pulchra ſimilitudine explicat in prologo enarrat. in pſalmos. liber omnis inquit ſimilis eſt Ciuitati pulchræ atque magnæ cui complures ædes diuerſæq; ſunt, quarum fores proprijs clauibus aperiuntur diuerſiſque claudiuntur quæ cum vnum in locum congeſtæ permiſtæq, ſunt volenti vnamquamque ædem aperire maximam ignaro adſerunt difficultatem vt claues vniuſcuiuſque ædis inueniat, at familiaris ſuam cognitam clavem cito ex copia illa congeſtæ qualitatis, nouit eligere aut ingentis laboris aptam & congruā clauem aperiēdi vniuſcuiuſque aditus inuenire, quia ratio, & qualitas non ſinat non ſuas claues clauſtris diſparibus coaptare: Demonſtrauit hoc Dominus & Saluator noſter fabri filius Ieſus Chriſtus, dum Apoſtoli ſui populo doctiores ipſius clauſtra ſermonis, aperire non poterant, nec intelligere clauem quænam illa eſſet dum Chriſtus ad illos Matth. 20. filius hominis tradetur in manus gentium, & flagellabitur, &c. quamuis verba intelligerent ideſt nouerant claues eſſe, non tamen quę illarum apta eſſet ad hoc reſerandum myſterium, neque intellexerunt quis eſſet ille filius hominis Io. cap. 6. ſic & illud modicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, Io. 16. Quid eſt hoc quod dicit nobis modicum? ideo capaces qui eſſe volunt intelligentiæ ſacrorum myſteriorum Dei, debent ad hoc eſſe inſtructi, vt infra patebit. Simile eſt illud exemplum Actorum 8. cap. Spiritus enim dicit Paulus 1. Cor. 2. eſt qui loquitur myſteria litera verò occidit, & ibidem: nos non ſpiritum huius mundi accepimus ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ, verbis, ſed in doctrina ſpiritus,

ſpiri-

ſpiritualia ſpiritualibus comparantes, & poſtea, animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſpiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur, & 2. Corint. 4. ſi & opertum eſt euangelium noſtrum in his qui pereunt, eſt opertum in quibus Deus huius ſæculi excęcauit mentes infidel.um, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti qui eſt imago Dei.

Diuus etiam Gregorius lib. 4. moral. in Iob cap. 1. qui textum inquit conciderat, & textum ſacræ ſcripturæ ignorat non tam ſe eruditione inſtituit, quam ambiguitate confundit, quia nonnunquam ſibi literæ verba contradicunt, ſed dum à ſemetipſis pro contrarietatem differunt lectorem ad intelligentiam veritatis traſmittunt; & poſt pauca quæ nimirum veritatis intelligentia, cum per cordis humilitatem quæritur aſſiduitate legendi penetratur, ſicut enim ſi. Doctorum hominũ facies cernimus, & corda neſcimus ſi familiari eius locutione coniungimur, vſu colloqui eorum etiam cogitationis indagamus. Ita in ſacro eloquio cum ſacra hiſtoria adijcitur, nil aliud quam facies videtur, ſed ſi huic aſſiduo vſu coniungimur eius nimirum mentem, quaſi ex collocutionis familiaritate penetramus. Dum enim aliud ex alio colligimus facile in verbis cognoſcimus aliud eſſe, quod intimãt, aliud quod ſonant. Verſionem ergo ſacrorum librorum in latinum probat eccleſia vt authenticam vulgarem, quæ longo tot ſęculorum vſu in ipſa eccleſia obtinuit publicis lectionibus, diſputationibus, & expoſitionibus. Conſtat hoc ex Tridentino Concilio ſeſſ. 4. in Decreto de edit. & vſu ſac. lib. & ſub fine concilij in regulis indicis librorum prohibitorum reg. 3. permittuntur verſiones ſcriptorum eccleſia-

ſticorum editæ etiam à damnatis authoribus dummodo nihil contra ſuam doctrinam contineant: & quod verſiones veteris teſtamenti ab Epiſcopis doctis & pijs concedi poſſunt legendæ, modo illis verſionibus tanquam elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendum ſacram ſcripturam non tanquam ſacro textu vtantur. Verſiones verò noui teſtamenti ab authoribus primæ claſſis, & hæreſiarchis nemini concedantur: adnotationes porro ad vulgatam editionem expunctis ſuſpectis à facultate theologica alicuius vniuerſitatis catholicę aut inquiſitione generali conceduntur in Regula verò quarta ſacra Biblia vulgari lingua paſſim & ſine diſcrimine permittenda non eſſe ſtatuitur ſed iuditio Epiſcopi & Inquiſitoris ſtandum, vt cum conſilio Parochi, vel confeſſoris bibliorum à catholicis verſorum lectio in vulgari lingua eis concedi poſſit, quos intellexerint ex huiuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis argumentum capere poſſe, & hanc facultatem in ſcriptis habere debere cumque qui abſque facultate ea legere, vel habere præſumpſerit, niſi prius biblijs ordinario redditis peccatorum abſolutionem accipere non poſſit.

Bibliopilas verò, qui prædictam facultatem non habent biblia idiomate vulgari conſcripta vendiderint vel alio quouis modo conceſſerint librorum pretium in vſus pios conuertendum ab Epiſcopo, amittere, alijſque pęnis pro Epiſcopi arbitrio ſubiacere. Regulares autem niſi facultate à prælatis ſuis habita ea legere, aut emere non poſſe, ſic mandauit Innocentius tertius Ciſtercienſi, & Maximundenſi, & de Criſta abbatibus ſua conſtitutione tertia iuxta bullarium Cherubini de Nurtia, vt eos coercerent qui in ciuitate Metenſi incumbebant tranſlationi

librorum ſacrorum in linguam vulgarem gallicanam & vſurpabant prædicationis offitium.

Sic Iuſtinianus nouella 146. vt liceat Hębreos &c. permiſit Iudęis ſacros libros legere in ſuis ſynagogis, vel hæbrea, vel græca, vel vulgari patria lingua ſic enim ex conceſſione & licentia ſuperioris iſta fieri poſſunt, quorum offitio incumbit attendere ſuper gregem ſibi commiſſum, & non ſolum, vt dent triticum, & cibum, ſed etiam conuenientem, & in tempore oportuno, alioquin exſaturati greges omnibuſque hinc inde collectis herbis recalcitrabunt, & in ipſum paſtorem inſurgent, qua nihil peius con tradictione & concertatione inter ouem & paſtorem. Metuebant hoc non ſolum eccleſiæ catholicæ Antiſtites contradictionis periculum, ſed etiam prę uidebant olim ſacratiſſimi Cæſares l. nemo clericus, de ſumma Trinitate, qui noluerunt palam myſteria religionis populo, vel legenda, vel diſputanda proponi, nec Auguſtus permiſit cauſas religionis Cereris aperto foro cognoſci teſte Suetonio in eo cap. 93. refert Ioſephus lib. 13. antiquit. iud. cap. 8. quod Ptolomeus Rex cum de antiquitate religionis inter Iudæos & Samaritanos quæſtio coram eo ageretur voluit vt in iuditio partium vtrinque aduocati non niſi cum capitis periculo de controuerſia dicerent, & ne vllis alijs quam ex lege Moſaica ſumptis argumentis, qui addit Sabęum & Theodoſium aduocatos Samaritanorum morti adiudicatos retinente Andronico Iudæorum patrono, idipſum ſerio cōmonuit, Iuſtinianus nouella 103. cap. 2. vt iuxta morem prædeceſſorum gubernatorum pacatā à tumultibus popularibus conſeruaret Prouinciam quæ ex diuerſitate religionum maximè ſeditionibus ſolebat laborare quod is idem in man-

datis principalibus ad alios magiſtratus commiſit. cap.11. de mandatis Principum, nouella prima neque occaſione inquit religionum hæreſumq; quæſtiones permittas alicui prouintiam commouere, & hoc prçuidit Leontinus Epiſcopus Antiochenus, vt ſcribit Niceph.9.lib.hiſt.eccleſ.c.24.

Quorum Imperatorum decretis hodie Principes catholici iure inſiſtere poſſunt, neque parcere laboribus vt ſi quos tales de religione diſputantes, aut myſteria fidei prępopere ad plebium ſubuerſionem explicantes reperiant debitis pęnis caſtigent prohibeantq; ne vſpiam tales concionatores & indulgentiarij in Prouintijs ſuis deſideant qui ſacram ſcripturam ad vernaculam populi linguam conuertendam ſatagunt, neque Principes vſpiam locorum diſputationes concedant vbi vel fides catholica proſcindatur, vel argumentis & locis ſcripturæ perperam inductis populus in errore confirmetur: ſi verò eo res (vti aſſolet) ad fidei probationẽ interdum fieret ad Ptolemei Regis exemplom pęna vtrinque partibus conſtituatur, non enim tam oritur ex talium factioſorum hominum congreſſu eccleſiæ & Reipublicæ ſplendor, quam multorum iurgiorum, & peruerſitatum incentiuum.

Neque mirandum eſt, quî enim fieri poterit inquit Sanctus Cyrillus Archiepiſcopus Alexand. lib. 13. theſ. contra hæret. cap. 2. tomo 2. operum ſuorum, vt rectè intelligantur, vel explicentur ſcripturæ ab his qui non credunt ſed omni vento doctrinæ circumferuntur, vitam ſuperbam viuunt animum impurum ſouent intus, virtutemque habent, quæ non eſt ſecundum Chriſtum vnde mens decurrens per eam adipiſci nequit quod expedit, quod docet Athanaſius in fine libri de humanitate verbi nec

ſine pura mente, & ſanctorũ imitatione, nemo comprehendit ſanctorum verba: in maleuolam animam non introiuit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

Accedit & alia ratio quare ſacræ ſcripturæ non tractantur vulgari idiomate, quia harum plebs non eſt particeps, neque intelligere poſſet etiam ſi omnia traderentur prout cupiunt vulgares homines quod docet Paulus de venerabili & auguſtiſſimo ſacramento eiuſque inſtitutione de quo inquit nobis Hæb. 5. Grandis ſermo & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum: etenim cum deberetis magiſtri eſſe, propter tẽpus rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſunt elementa exordij ſermonum Dei, & facti eſtis, quibus lactè opus ſit. Si verò ad audiendum torpent vt plurimum homines quod eſt vnicum, & commodiſſimum medium intelligendi ſcripturas indeque viam ſalutis, & mandatorum Dei capeſſendi, quanto minus ſupportabunt pondus diei, & æſtus, ideſt, altiſſimas ſpeculationes & ſupernaturales ſenſus myſteriorum Dei, qui prô dolor hodie à multis etiam ijs quibus ex offitio debito, & curæ paſtorali incumbit temere, & cum maximo eccleſiæ detrimento, & religionis iactura negliguntur, quando ſoli aliquando ſuperfitiali literæ adhęrent indoctaſque fabulas pro Sanctorum Patrum doctrinis ad eandem illuſtrandam, & explicãdam infarciunt exiſtimantes, ſe optimè munere ſuo perfunctos: pro quo eccleſiarum prælati rationem reddituri ſunt, melius namque foret eiuſmodi à tali offitio planè remouere, quam cum ſcandalo & eccleſiæ ignominia ſacris occupari, ex quo plurimum hodie miniſterium eccleſiaſticum vilipenditur, & à laicis exſibilatur,

bilatur, quod laici doctiores ſacerdotibus ſint, magiſque concinnè ſcripturas ſcripturis connectere norint, & hoc primum maximumq; eſt hæreſum fulcimẽtum, & hoc verè eſt mittere margaritas coram porcis qui eas conculcant pedibus.

Refert notabile exemplum pro huiuſmodi ſacrarum literarum violatoribus Suetonius tranquillus Auguſtum Cæſarem Athenas ſacris Cereris initiatum cum poſtea Romæ de priuilegijs ſacerdotum Atticæ Cereris pro tribunali cognoſceret, & quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio, & corona circumſtantium, ideo ſolum audiuiſſe diſceptantes: pro quo faciunt quæ ex Euripide ſic vertuntur: hæc verò Orgia, quam ſpetiem habent tibi? reſpondit Dionyſius, non dicenda ſunt, non initiatis Bacchicis, & iterum: Pentheus quærit, quam autem ſacrificantibus vtilitatem ferunt? reſpondit Dionyſius non fas eſt te audire id quamuis dignum ſit audiri, & addit rationem Dionyſius δόξει τις ἀμαθεῖ σοφὰ λέγων οὐκ εὐφρονεῖν, ideſt, Apud ignarum & rudem de myſterijs loquens parum videtur ſapere, quibus inſinuare vult, quod indigni ſint tales quibus cura ſacrorum comittatur myſteriorum, quippe quod non dignè venerantur eadem, & pertractant, ſi enim Rex coram Bacchicis illis & tragicis Orgijs ſibi cedendum putauit, quanto magis ad verba diuina atque myſteria contremiſcere debent ſacerdotes dignoque, vt ritu, & ſufficienti doctrina ad eadem ſe componant elaborare, atque ſi Cereris Atticæ ſecreta coram populo expandi non debuerunt, multo minus conueniẽs eſt & religioſum chriſtianæ reipublicæ ſua de Chriſto & ſacra mentis ſacratiſſima ſecreta pandere vnicuique ex rudioribus aut tali idiomate peruertere ex quo neque tractantibus,

tibus, neque audientibus vtilitas vlla, neque ipſis ſacris mysterijs debitus exhibeatur honor.

C A P V T V I.

Principis eſt demoliri eccleſias hæreticorum.

QVantum ſemper à prouidis rerum publicarum rectoribus cautum fuerit ne factioſorum hominum cętus increſcant teſtantur tam ſacrarum literarum codices quam gentilium monumēta, non ſolum enim animus is eorum eſt, quod regnum vel prouincias ſubigant, ſed etiam ipſius quantum fieri poteſt fundamenta deijciant, quæ ſunt ipſa religio, & quæ audatiores impetus faciunt, vbi chriſtiana religione firmati ſunt ſtatus teſtatur id Cicero oratione in Piſonem, quod Romæ ſub Lucio Cæcilio, & Quinto Martio conſulibus collegia eiuſmodi, & templa quæ aduerſus Rempublicam videbantur eſſe, non ſolum demolita fuerint, ſed etiam præuiſum ſapientiſſimè, vt quæ ad vtilitatem eorum pertinere putabantur à Senatus conſulto confiſcarentur. Parum enim eſt Principem à principio zęloſum eſſe omniaq; vno tractu reformare velle videri, niſi in opere bono perſiſtat, ſic contigit ipſis Romanis, hæc enim quæ à prędictis conſulibus deiecta ſoloq; ęquata erant breui reſtituta ſunt à Pub. Clodio Tribuno plebis, quæ iterum ſublata, iterumque reſtituta fuerunt à Cæſare dictatore ſublata; concluſumque, ne factioſorum hominum cætus ad res nouandas & Rempublicam conturbandam inſiſterent inualeſcerentque quod hæreditates capere non poterant,

rant, vt aiunt leges Imperatorum Dioclet. & Maximiani, in l.collegiū.C.de hæredibus inſtit. & quod nihil illis legari poſſit Antonius l.1.C.de Iudæis.

Vnde Tarquinius omnia templa ſacraque proſtrauit relictis ijs ſolum quæ à Numa inſtituta fuerunt ſic fecit Iulius Cæſar bellis compoſitis, teſtatur id Dionyſius Halicarn. in 4. Suetonius in Iulio Cæſ. cap. 32. teſtantur idipſum ſacræ literæ quam pernitioſum ſit in bono propoſito reſilire, Ioas namque Rex quantum pro religione domus Dei zelatus ſit teſtatur caput 24.1.Paralip. Cum enim Attalia impijſſimè & filij eius deſtruxerint domum Dei, & de vniuerſis quæ ſanctificata fuerint in templo Domini ornauerunt phanum Baalim, præcepit Ioas, vt deferrent ſinguli pretiū Domino ad inſtaurandum domum Domini, cumque compleſſent omnia opera detulerunt corā Rege & Ioiada (ait ſacratiſſimus textus ibi) reliquam partem pecuniæ de qua facta ſunt vaſa templi in miniſteriū ad holocauſta Phialę quoque, & vaſa aurea & argentea conuertit.

Ecce quam bonum, & ſanctum inſtitutum non ſolum eccleſias ædificare in honorem Dei, & Sanctorum, ſed etiam quæ vſurpata fuerunt ab hæreticis in vſum eorum alienare, & ad priſtinū decorem domus Dei conuertere ſicut in principio fecit Ioiades: at finis coronat opus, ſic poſtquam mortuus fuit Ioas pontifex, & Iaiada à principibus & ſtatibus prouinciarum delinitus fuit, & obſequijs eorum acquieuit, & derelinquerunt templum Dei patrum ſuorum ſeruieruntque lucis, & ſculptilibus & facta eſt ira Domini contra Iudam, & Ieruſalem propter hoc factum.

Non ſanè mirandum eſt bella & copias hæreticorum præualere. Turcarumque inſatiabiles turmæ

mas chriſtianorum prouincias depopulari: quia cau ſa in promptu eſt: ecce inquit ſcriptura cumque euolutus eſſet annus aſcendit contra Ioiada exercitus Syriæ venitque in Iudam, & Ieruſalem & interfecit cunctos principes populi, atque vniuerſam prædam miſerunt Regi in Damaſcum, & ibidem: cum certè per modicos veniſſet numerus Syrorum tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquiſſent Deum patrũ ſuorum. Neque Rex impunitus fuit, ſed ſerui ſui acceſſerunt ad eum, & occiderunt eum in lectulo ſuo, ſepeliuntque eum in ciuitate Dauid ſed non in ſepulchris Regum, & hoc totum contigit in vltione ſanguinis Zacharia filij Iaiade ſacerdotis.

Deus ędificantes Thurim confudit illorumq; factum linguarum confuſione diſſoluit Gen. 11. perditq; ſeptem ciuitates incorrigibiles Gen. 19.

Indignatus ſupra modum mitiſſimus vir Moyſes, quando audiuit in caſtris vocem cantantium plebis ſuæ, pro quo ante dominum placauit, ne deſcenderet ira Domini ſuper eos; Exodi 32. & reuerſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini, ſcriptura quoque Dei erat, ſculpta in tabulis: Audiens autem Ioſue tumultum populi vociferantis dixit ad Moyſen, vlulatus pugnæ auditur in caſtris, qui reſpondit, non eſt clamor adorantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, ſed vocem cantantium ego audio, cumque appropinquaſſet ad caſtra vidit vitulum, & choros, iratus valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, accipienſq; vitulum quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem quem ſparſit in aquam, & dedit ex eis potum filijs

Iſrael,

Iſrael, tandem ſtans S. Moyſes facienſque ſegregationem in populo dixit: ſi quis eſt Domini iungatur mihi, & congregati ſunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait: hæc dicit Dominus Deus Iſrael: ponat vir gladium ſuper femur ſuum, ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem ſuum, & amicum, & proximum ſuum. feceruntq; filij Leui iuxta ſermonem Moyſis, cecideruntq; in die illo quaſi viginti tria millia hominum, & ait Moyſes, conſecraſtis hodie manus veſtras Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.

Vnde S. Ambroſius lib. 1. de off. eſt iniuſta inquit miſericordia; quia ſcriptum eſt in lege non miſereberis illius, Deuter. 19. & in lib. Reg. legitur 1. Reg. 15. quia Saul contraxit offenſam: quia miſeratus eſt Agag hoſtium, Regem quem prohibuerat diuina ſententia ſeruari. Itaque ſi quis latronem filijs deprecantibus motus & lachrymis coniugis eius inflixus adſeruandum putet, cui adhuc latrocinandi aſpiret affectus. Nonne innocentes tradit exitio? qui liberat multorum exitia cogitantem certè ſi gladium reprimit vincula diſſoluit, laxat exilium cur latrocinandi qua poteſt clementiori via, non eripit facultatem qui voluntatem extorquere non potuit.

Quod Principibus catholicis apprime dictũ vult ne precibus, & pollitationibus hæreticorum mitigentur: neque à iuſtitia deflectant ſic enim Deus omnipotens ad Moyſen pro populo idolatrante deprecari volentem Dominum Exodi 32. Obſecro Domine peccauit populus iſte peccatũ maximum feceruntque ſibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti, ſic ait qui peccauit mihi delebo eum de

ſibro meo, tu autem vade & educ populum iſtum quo locutus ſum tibi: non enim inquit Ambroſius vbi ſupra, hæc iuſta dici poteſt miſericordia in ipſa eccleſia vbi maxime quis miſereri debet, teneri quam maxime de forma iuſtitiæ, ne quis à conſortio cõmunionis vel criminationis abſtractus breui lachrymula ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus communionem, quamplurimis debet poſtulare temporibus à facilitate ſacerdotis extorqueat, & addit ibidem ſtatim, quia cum vni indulgetur indigno ad prolapſionis contagium prouocantur vniuerſi, & facilitas veniæ incẽtiuum tribuit delinquendi.

Præſtat hoc loco adducere zelum feruentiſſimũ quondam Sereniſſimi Archiducis Caroli, quando ſupplices olim vtriuſque ſexus homines illi fiebant ex ſynagoga Grçcenſi pueros puellaſque, quæ ſecum adducentes, matronæ honeſtiſſimæ pullatiſq; circumamictæ veſtibus, lachrimabundæ inclamantes pro libertate Euangelica concedenda, ipſe conſtanti infractoq; animo eiulatum ſingultumq; muliebrem non audiuit, neque reſponſione dignas iudicans ſubito per feneſtellam qua turbam totam, confluentem circumſpicere potuit accerſijt præfectum militum prætorianorum ſuas domos repetere iuſſit; nec minus inuictum glorioſumq; is ſæpe exhibuit ſe in conuentu Bruchenſi ad Muram fluuium pro religionis libertate extorquenda illinc conuenientibus vtriuſque ſtatus catholicorum, & hæreticorum proceribus inſtantibus fortiſſimis, & aſpectu ſpecioſiſſimis argumentis propoſitiſque titulis & conditionibus non contemnendis, nec tàmen eo perduci potuit vt petita concederet, ſed id ſolum in ſuorum petentium ruinam & ob duritiem

cordis eorum permittere viſus eſt in proprijs illorum caſtris abſque tamen præiuditio catholicæ religionis & ſuarum prouinciarum quas vna cum Ciuitatibus & pagis totoque populo ſuo intactas ab eiuſmodi temeritatis labe conſeruari voluit: neque hoc quidem eſt poteſtatis Principis ſæcularis, manũ ſcilicet in alterius meſſem extendere, ipſi namque ſunt dati à Deo ad defendendam fidem & religionem etiam à violatoribus & hæreticis prauitatibus vindicãdam, nec illa ſi qua dicenda eſt fuit permiſſio quod Sereniſſimus ille Princeps populi ſui errorem approbauerit certè nuſquam gentium, ſic enim Moyſes ad duritiam populli libellum repudij permiſit ne grauiora in populo inſurgerent damna, ſic quandoque optimi Principes illi ne peiores efficiantur ex duobus malis minus quãdoque eligunt, & ingenio ſuo quoſdam relinquunt, eſt enim in cauſis vbi pergraues diſſenſionum ſciſſuras non huius aut illius hominis eſt periculum, ſed populorũ, & Prouinciarum ſtrages timendæ ſunt, conniuendum ad tempus, quod Saluator noſter exemplo ficulneæ illius comprobare voluit, vbi vero ex conniuentia non meliores efficiuntur nihil ſeueritati eſt detrahendum ſed iram exacuere oportet, & in furore Domini proſequi malefactores, & eradicare de finibus terræ.

Nec culpabilis redditur talis hæreticorum perſecutio, ſed rationabiliter inquit Sanctus Auguſtinus lib. 2. contra Manicheos, Hæreticos proſequuntur, ſicut & Chriſtus corporaliter perſecutus eſt eos quos de templo expulit: nec vnquam bonum ſortita res eſt finem, vbi clementia Principis eorum conceſsit precibus, nec fidendum eſt hæreticis, nec vnius aut alterius interitus, ſed totius vniuerſitatis

infectio timenda eſt, ſerpit enim, vt cancer hæreticus & ouis vna ſcabioſa totum corrumpit gregem paſtoris.

Hoc vt certiſsimum præuidens Deus noluit, vt omnis caro perderet viam ſuam, immiſit perditionem diluuij Gen. 6. & ſequenti, & ne ex Phanis illorum ſuperſtites occaſionem haberent inquirendi de patrum ſuorũ delictis, & abominationibus, Rex Iſrael Ezechias diſsipauit eccleſiam cõtriuit ſtatuas; ſuccidit lucos confregitq; ſerpentem eneum quem fecerat Moyſes Num. 21. Si quidem vſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ibi incenſum 4. Reg. 18.

Mirum verò videri poteſt quare ſerpẽtem illum eneum Ezechias confregerit, cum ex iuſſu Dei per Moyſen effictus, & in ſignum redemptionis populi Iſrael erectus fuerit, at verò quia tã execrabilis fuit ſuperſtitio filiorum Iſrael in Deum, noluit amplius in vſum Dei ſuccedere quæ ante eorum libidini deſeruiebant quantumcunque ſignum fuerint, beneuolentiæ, & propitiationis Dei futuræ, quo occaſionem facile aſſument qui cęlum habent pro domo Dei, vt licet quędam inuenieantur in honorem Dei facta, ſi tamen ab impijs hæreticorum vſibus contaminata fuerint, vt maiorem in eos teſtentur abominationem potius deſtruendum quam in vſum piorum redigendum. Sic fecit Ezechias filius Achaz Regis Iuda bonum coram Domino, cui nec ſimilis fuit de cunctis regibus Iuda, ſed neque in his qui ante eum fuerunt & adhæſit Domino, & non receſſit à veſtigijs eius fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moyſi, quæ autem ipſum ſubſecuta ſint Ezechiam teſtatur ibidem ſcriptura, vnde & erat inquiens Dominus cum eo, & in cunctis ad

quæ

quæ procedebat ſapiēter ſe agebat, rebellauit quoque contra Regem Aſſyriorum & non ſeruiuit ei, ipſe percuſsit Philiſtęos vſque ad Gazaz, & omnes terminos eorum à turræ cuſtodum vſque ad Ciuitatem munitam.

Vnde non eſt quod ſibi metuant Principes catholici ſi ſint patrum ſuorum imitati veſtigia quod deficerēt eis bona in omnibus quæ operati fuerint, aut quod inimici eorum prævalebunt aut proximi ſui rebellabunt quin Deus aderit in omnibus ad quæ ſapienter procedent. Omnium aliorū victorias contra hæreticorum inſultus mihi videtur ſuperare illa quam Gedeon retulit de Madianitis, quorum copię cum forent innumerabiles fudit has ille ter centum tantum militibus nullo educto gladio, nullo è ſuis deſiderato aut ſauciato, prædam & gazas opulentiſsimas cepit, quorum nihil accidit ſimile vel Samſoni, vel Samueli, & perpēde quod ſcilicet Gedeon ſolus atque ab omni aliorum ſpe deſtitutus, fuerit auſus nocte cunctas aras Baal euertere & maximo ſe vitæ diſcrimini obijcere pro religione vnde nomen tunc Ierobaal inuenit. ſimile exemplum quod Deus euerſurum ſe minatur templum ſibi in honorem ante edificatum eſt 3. Reg. cap. 9. ſic loquens Salomoni Deus, ſi auerſione auerſi fueritis vos, & filij veſtri non ſequentes me, nec cuſtodieritis mandata mea, & ceremonias quas propoſui vobis, ſed abieritis, & colueritis Deos alienos & adoraueritis eos auferam Iſrael de ſuperfitie terræ quam dedi eis, & templum quod ſanctificaui nomini meo proijciam à coſpectu meo, eritque Irſael in prouerbium, & in fabulam cunctis populis & domus hæc erit in exemplum, omnis qui tranſierit per eam ſtupebit, & ſibilabit, & dicet quare fecit Dominus ſic terræ huic,

&

& domui huic, & reſpondebunt: quia dereliquerũt Dominum Deum ſuum.

Similis imprecatio fuit à Chriſto contra Iudæos auferetur à vobis regnum & dabitur gẽtibus Matt. 21. Iuſtinianus in nouel. 67. conſtituit, vt nullus fabricet oratorij domos præter voluntatem Epiſcopi in principio ait plurimos nominis cauſa non pietatis ad opus ſanctarum eccleſiarum edificandarum accedere, ſuis mederi languoribus, non orthodoxarum eccleſiarum edificatores factos, ſed ſpeluncarum illicitarũ quare prohibet, & edificationes non incipi, vel fieri ſine Epiſcopi conſenſu, & authoritate, vt in cap. 9. ſic in Concilio Vuormacienſi iſtorum fabricatorum fraus detecta fuit; qui edificauerũt eccleſias, vt aliarum cõpendia ſua facerent quod prohibetur, idem fit in Concilio Africano cap. 50.

Porrò templorum deiectiones aduerſariorum & hæreticorum probant Cæſares, vt Arcadius & Honorius qui omnia loca, & collegia adimerunt hæreticis l. cuncti hæretici. C. de hæret. in extrauaganti vnica, de relig. domib. Clemens quintus ex Concilio Viennenſi Reguinorum, & Beguinarum cõuentus diſſoluit aboleuit, & inhibuit, item templariorum militum collegia & ordinationẽ funditus ſubſtulit in Gallia, & alibi. Iure ergo diuino, & poſitiuo item, & ciuili Principes poſſunt & debẽt, omnia & ſingula hæreticorum cuiuſcunque ordinis & ſtatus ſint conuenticula deijcere, etiam ſi à nouo extructa non ſint ab eis, ſed per vim à catholicis occupata; neque ſimilium edificationi conſentire, ſed prohibere ſumptuſque, & legata pro eis ad fiſcum redigere, omniaque ad religionem vnam ſolam veram & catholicam appropriare.

CAPVT VII.

An cogi poſsint hæretici ad religionem?

ADuerſus errantes & hæreticos maleque ſentientes de religione catholica, quod per cenſuras eccleſiaſticas & pęnas ad gremium eccleſię compelli poſſunt atque ſi iſtis contemptis noluerint ſatisfacere gladio ſpirituali, ſecularem adiungendum eſſe ex ſupradictis & proximè ſequenti capite ſatis ſuperque patebit. Si enim temporales Principes bonorum ademptione in illos vti poſſunt l. ſi quis. C. de apoſtat. & medicinali ſeueritate etiam alijs corporalibus pęnis cogi optimo iure poterunt, habent enim & ipſi gladium in vindictam malorum, & laudem bonorum atque ex hoc miniſtri Dei conſtituti ſunt adeo quod freſtra illis data videretur poteſtas ſi neutiquam eãdem exercere poſſent neque vllus eſt iudex ſine iuriſdictione, neque potentia quæ aliquando ad actum ſuum non perueniat, iure profecto diuino id apertiſſimum eſt ad hæreticorum violentiam comprimendam per Hieremiam diuinitus Iudæ Machabeo aureorum gladium fuiſſe porrectum ſicut legimus 2. Machab. cap. fin. Accipe gladium ſanctum munus à Deo in quo deijcies aduerſarios populi miei Iſraeli & Elias 4. Reg. 10. occidit prophetas Baal & Iehu, quæ quidem coactio Principum ſæcularium, vel maximum locum habet in ijs quæ ante ſuſceptam fidem in Chriſtum leuiter dereliquerunt, & pertinaciter contra eandem verũm Dei cultum aſpernantur. Si verò de alijs agendum

dum foret qui nunquam fidem agnouerunt alio mō do procul dubio loquendum erit, vbi non coactionibus, aut pęnis exterioribus ſed beneuolentia, & paterna exhortatione animus ad aſſentiendum commouendus eſt, quemadmodum enim cogi non poteſt inuita voluntas, ſic nec quæ debet eſſe ſpontanea religio, vt ait Tertullianus ad Scapulam in fine, non eſt religionis religionem cogere, quæ ſponte ſuſcipi debet non ui. & Sanctus Clemens Alexand. lib. 1. pedag. cap. 1. exhortatoria eſt vniuerſa religio piuſque Dei cultus, vt qui, & vitæ hic rectè degendæ, & futuræ deſiderium menti cognatæ ingeneret. Sic apud Caſſiodorum Iuſtiniano Imperatori ſcribens Theobaldus Rex cum diuinitas multas patiatur religiones eſſe, nos vnam non audemus imponere, retinemus enim legiſſe voluntariè ſacrificandum eſſe Domino non cuiuſquam cogentis imperio & hæc quidem coactio fieri non debet Iudæis, vel aliis infidelibus prout vſus eccleſiæ catholicæ hactenus obtinuit, & ſtatuit ſeruandū in poſterum, nec ob alicuius Doctoris authoritatem in contrarium eundem eſt, cui authoritati eccleſiæ multum ſemper tribuerunt catholiciſſimi Imperatores quibus familiares ſemper erant Epiſcopi & eccleſiarum Antiſtites vt Coſtantino Silueſter, Theodoſio Ambroſius, qui nullo modo prætermiſiſſent hoc ab eis impetrare ſi vidiſſent id conſonum eſſe rationi quod ſcilicet infideles & Iudæi inuiti cogerentur ad fidem ſuſcipiendam, non enim facienda ſunt mala, vt eueniant bona ad Rom 30. ſed maximum malum ex hac coactione cōtra vſum eccleſiæ exortum legimus in Paulo Diacono lib. 21. hiſt. Rom. quod Iudæi coacti à Leone tertio Iſauro Imperatore Orientis poſt quam à pſeudoChriſto Siro fuiſſent

dece-

decepti baptizari verum in contemptum Baptiſmi ſe denuo abluebant, & ad ſacram menſam accedere iuſsi ſe alio ciborum genere contaminabant; ergo non eſt faciendum. Teſtantur idipſum quotidianæ experientiæ, quæ omnibus quia notæ ſunt ex aliis pro hac totius quæſtionis deciſione aliud non afferemus, niſi ſolius Sancti Patris Auguſtini ſuper hac re doctiſsimam diſputationem quæ refertur à Gratiano 23. q. 4. cap. diſplicet, in quo modernornm hæreticorum contrapoſitiones eleganter, & dilucidè refutat quam quia omnibus neceſſariam eſſe, & vtiliſsimam ſcio, ideo hic adſcribere eandem libuit. Ita ergo inquit Sanctus Auguſtinus: diſplicet tibi quod traheris ad ſalutem Dei cum tamen multos noſtros ad pernitiem traxeris, quid enim volumus niſi te comprehendi & præſentari, & ſaluari ne pereas? Quia autem in corpore læſus es ipſe tibi feciſti, qui mox adiumento tibi admoto vti noluiſti, & te ad terram grauiter colliſiſti, nam vtique alius qui eductus eſt tecum collega tuus illæſus venit: quia talia ipſe ſibi non fecit, ſed neque hoc putas tibi fieri debuiſſe, qui neminem exiſtimas cogendum ad bonum, attende quod dixerit Apoſtolus: Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat & tamē multi, vt epiſcopatum accipiant tenētur inuiti producuntur, includuntur, patiuntur inuiti mala, quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni, quanto magis vos ab errore pernitioſo in quo vobis inimici eſtis trahendi eſtis, & producendi ad veritatem, vel cognoſcendam, vel eligendam, non ſolum vt honorem ſalubriter habeatis ſed etiam ne nequiſsimè pereatis? Dicis Dominum dediſſe liberum arbitrium ideo non debere hominem cogi ad bonum: quare ergo illi de quibus ſupradiximus co-

gantur ad bonum, attende ergo, & conſidera quod ideo voluntas bona miſericordia impenditur vt mala voluntas hominis diligatur. Nam quis neſciat nec damnari hominē niſi merito malæ voluntatis, nec liberari, niſi bonam habuerit voluntatem, non tamen ideo qui diligantur, malæ ſuæ voluntati impunè, & crudeliter permittendi ſunt, ſed vbi poteſtas datur, etiam à malo prohibendi, & ad bonum ſunt cogēdi. Nam ſi voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare Iſraelitæ recuſantes & murmurantes tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promiſsionis compellebantur, ſi verò voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare Paulus non eſt permiſſus vti peſsima voluntate qua perſequebatur eccleſiam ſed proſtratus eſt, vt cęcaretur, cęcatus eſt vt mutaretur, mutatus eſt, vt mitteretur miſſus eſt, vt qualia fecerit in errore talia pro veritate pateretur? ſi voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati; quare monetur pater in ſcripturis ſanctis, filium durum non ſolum verbis corripere, ſed etiam latera eius tundere, vt ad bonam diſciplinam coactus, ac domitus dirigatur. Vnde idem Salomon dicit tu percutis eum virga animā autem eius liberas à morte, ſi autem mala voluntas ſemper ſuæ permittēda eſt libertati quare corripiuntur negligentes paſtores & dicitur eis errantem non reuocaſtis; perditum non inquiſiſtis, & vos oues Chriſti eſtis characterem dominicum portatis in facie quod accepiſtis ſed erratis & peritis. Non ideo vobis diſpliceamus: quia recipimus errātes, & quærimus perditos, melius enim facimus voluntatē Domini monentis ſi vos ad ouile eius redire cogamus quam conſentiamus voluntati errantium vt perire vos ſinamus. Noli ergo iam

dicere

dicere quod te aſſiduè dixiſſe audio, ſic volo errare, ſic volo perire, melius hoc omnino perire non permittimus, quantum poſſumus. modo quod te in puteum quo moreris miſiſti, vtique libera voluntate feciſti ſed quam crudeles eſſent ſerui Dei ſi huic malæ voluntati tuæ te permitterent, & non te de illa morte liberarent? Quis eos non merito culparet? Quis impios non recte iudicaret? & tamen tu te volens in aquam miſiſti, vt moreris, illi te nolentem leuauerunt de aqua, ne moreris, tu feciſti ſecundum voluntatem tuam, ſed in pernitiem tuam, & illi contra voluntatem tuam, ſed contra mortem tuam. Si ergo ſalus illa corporalis ſic cuſtodienda eſt vt etiã in nolentibus ab eis qui eos diligunt ſeruetur, quanto magis illa ſpiritualis in cuius deſertione mors æterna metuitur quamquam & in iſta morte quam tibi tu ipſe voluiſti inferre, non ſolum ad tempus, ſed etiam in æternum morereris: quia & ſi non ad ſalutem non ad eccleſiæ pacem non ad Chriſti corporis vnitatem, non ad ſanctam, & indiuiduam charitatem, ſed ad mala aliqua cogereris, nec ſic tibi ipſe mortem inferre debuiſti: conſidera ſcripturas diuinas & diſcute quantum potes & vide vtrum hoc fecerit aliquis iuſtorum aliquando, atque fidelium, cum ab eis tanta mala perpeſſi ſunt qui eos ad interitum non ad vitam (quo compelleris) adigebant, vt poſt pauca repetis ſicut audio, quod in Euangelio ſcriptum eſt receſſiſſe à Domino ſeptuaginta diſcipulos & arbitrio ſuæ malæ atque impiæ diſceſſionis fuiſſe permiſſos cæteriſque duodecim qui remanſerant fuiſſe reſponſum, nunquid & vos vultis abire? & non attendis: quia tunc primum eccleſia nouello germine pullulabat, nondum cõpleta fuit illa prophetia, & adorabunt eum omnes reges ter-

tæ, omnes gentes ſeruient ei, quod vtique, quanto magis impletur, tanto maiore vtitur eccleſia poteſtate, vt non ſolum inuitet, ſed etiam cogat ad bonum, hoc Dominus ſignificare volebat, quod quamuis haberet magnam poteſtatem prius tamen elegit commendare humilitatem. Hoc etiam in illa conuiuij ſimilitudine ſatis euidenter oſtenditur vbi miſit ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait ſeruo, exi cito in vias, & plateas, & vicos Ciuitatis & pauperes ac debiles cęcos, & claudos introduc huc, & ait Domino ſeruus factū eſt, vt imperaſti, & adhuc locus eſt, & ait Dominus ſeruo, exi in vias, & ſepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Vide nunc quemadmodum de illis qui primo venerant dictum eſt introduc eos, nunc dictum eſt, compelle ita ſignificata ſunt eccleſiæ primordia adhuc creſcentis vt eſſent per vires compellendi, hactenus Sanctus Auguſtinus. Cui accedunt Imperatorum & Regum decreta, & mandata. Nabucdonoſor Rex Dan. 3. videns illęſos ex camino ignis ardentis tres pueros, egredi illos iuſſit, edictumque propoſuit, vt quicunque blaſphemiam loqueretur aduerſus Deum ipſorū occideretur, ac domus eius vaſtaretur; ſic Darius Rex Dan. 6. edixit. Pax vobis multiplicetur à me conſtitutum eſt decretum, vt in vniuerſo Imperio, & regno meo tremiſcant, & paueant Deum Danielis, ipſe eſt enim Deus viuens, & æternus in ſæcula, & regnum eius non diſſipabitur, & poteſtas eius vſque in æternum, ipſe liberator atque ſaluator faciens ſigna, & mirabilia in cœlo, & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum. Hæc Darius.

Rex Cyrus ſic edixit 2. Paralip. cap. vltimo, 1. Eſdræ 1. cap. hæc dicit Cyrus Rex Perſarum omnia

regna terræ dedit mihi Dominus Deus cęli & ipſe præcepit mihi, vt ei ædificarem domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa qui ex vobis eſt in omni populo, cuius ſit Dominus Deus ſuus cum eo aſcendat in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa & ædificet domum Domini Dei Iſrael, hæc Cyrus. Denique Imperatores Gratianus Valent. & Theod. ad populum vrbis Conſtantin. l. 1. C. de ſumma Trinit. Cunctos populos quos clementiæ noſtræ regit imperium in tali volumus religione verſari quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque ad huc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum apoſtolicæ ſanctitatis, hoc eſt, vt ſecundum apoſtolicam diſciplinam euangelicamq; doctrinam Patris & Filij & Spiritus Sancti vnam deitatem ſub pari maieſtate, & ſub pia trinitate credamus: Hanc legem ſequentes chriſtianorum catholicorum nomen iubemus amplecti reliquos verò dementes veſanoſque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſubire, diuina primum vindicta, poſt etiam motus animi noſtri quem ex cęleſti arbitrio ſumſpetimus vltione plectendos.

Huic eiuſdem Sancti Auguſtini addendum contra Petilianum elogium, ad fidem nullus eſt cogendus vt dicitis, ſed per ſeueritatem imo & per miſericordiam Dei tribulationum flagellis ſolet perfidia caſtigari, nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores peſſimi non legis integritate puniuntur, ſed tamen vltrix male viuendi diſciplina præpoſtera eſt, niſi cura præcedens benè viuendi doctrinam prætendat, ſic igitur quod aduerſus vos leges conſtitutæ ſunt non eis benefacere cogimini, ſed malefacere prohibemini: Nam bene-

benefacere nemo poterat niſi elegerit, niſi amauerit quod eſt in bona voluntate, cum aliquid aduerſus vos leges conſtituunt admoneri vos credite, vt cogitetis quare iſta patiamini. Si propter iuſtitiam re vera illi perſecutores veſtri ſunt, beati autē vos, qui perſecutionem paſsi eſtis propter iuſtitiā: quia poſsidebitis regnum cęlorum. Si autem propter iniquitatem ſchiſmatis veſtri illi quidem correctores veſtri ſunt, vos autem ſicut cæteri diuerſorum ſcelerum rei, qui pęnas legibus pendent, profecto infelices, & in hoc, & in futuro ſæculo eritis.

CAPVT VIII.

An iure ſe intromittere poſsit Princeps pro rebus fidei & religionis.

NVllam principibus ſæcularibus competere iuriſdictionem in diuinorum adminiſtrationē, ſupra in primo libro, vbi diuerſam vtriuſque poteſtatis eccleſiaſticæ & temporalis probauimus eſſe poteſtatem diximus, cum enim ſęculares ſint rebus ſuis attendere debent, ſicut & eccleſiaſtici, ne ſęcularibus negotijs ſe ſe admiſceāt, nec vnquam peior eſſe potuit ſtatus quam cum non ſua quiſque præſtat, & functionum munera interrumpūtur: munus quippe Regis eſt, dimittere ſacra, & tractationem plenam religionis eccleſiæ, ſecundum eius & Dei præcepta viuere, vt in reliquis non ſuperſtitionibus ſtudere, ſed arma ſtrenue quando, quomodo, & contra quos oportet tractare. Sicut enim pro Monſtro habetur, ſi quis videat Monachos ſolitarios, aut alias perſonas eccleſiaſticas arma mouere, & curare,

re, vel exercere niſi ex ingenti cauſa, & diſpenſatione apoſtolica id facerent, ſic pro monſtro habendus is eſſet Princeps, aut Rex, qui cum armis, & ſecularibus negotijs, vna profiteretur regularium, & ſolitariorum, aut aliorum eccleſiaſticorum munus, cum quis ſuſcipit militiam cęleſtem deſinat eſſe re vera miles ſæculi. cap. vnico. de vaſſ. mil. qui arma depoſuit, ſecundo lib. feud. & ideo amittit feuda factus clericus poſſunt inſuper paſtores eccleſiaſticos Epiſcopos Archiepiſcopos interpellare, vt ſua curent offitia ab eccleſia, & ſummo Pontifice impoſita. Ipſi autem Principes debent habere ſecum optimum aliquem non ambitioſum, aut curialem ſacerdotem confeſſorem, & elemoſinarios, in offitio illorum illis obtemperare vt chriſtianum hominem decet, ſed ad alia eos peruenire, quæ muneris ſui non ſunt, pati non debent, niſi in negotijs ad quæ adhibenrur ſint exercitati, quales ſunt plures Epiſcopi, & clerici in conſilio Principum propter merita, probitatem, & rerum aliorum peritiam admiſſi. Interim ipſi Principes non debent obliuiſci quæ muneris ſui ſunt, magnanimitatem executionem iuſtitiæ, aut gladij in facinoroſos & rebelles proditores, & contemptores miniſterium; adhibitis in Conſilium proceribus & viris potentioribus peritis in tranſigendis negotijs Regni & Prouintiarum, & ſi quæ ſunt quæ ad religionem pertineant illa debent remittere tractanda, & examinanda, vel ſummo Pontifici, vel Epiſcopis & eccleſiaſticis perſonis: ſatis enim oneris ipſi habent in exequendo munere ſæcularis principatus, vt de ſpiritualibus ad quæ vocati non ſunt ſe immiſcere, aut impedire non debeant.

Scio multorum iſta frequenter eructare fauces;

& Principum catholicorum aſſiduitatem, & ſolicitudinem pro conſeruanda religione rebuſq; fidei, vel plane contemnere, vel minimè neceſſarium exiſtimare. At verò eorum hæc ſunt velamenta quorum conſcientia turget iniquitatibus & mores corrupti ſunt, nec gloriam quærunt Ieſu Chriſti ſed ipſorum commodum, & religionis decrementum: proinde neceſſarium iudicauimus hac de re quippiam diſſerere, & videre qua ratione etiã pertineat ad principes, eccleſiaſticam diſciplinam vel promouere, vel collapſam reſtituere.

Primum ergo iſtud dicimus propriè ac principaliter res fidei & ſi quæ alia ſunt quæ ad eccleſiæ ornamentum fideique, & religionis ſplendorem pertinent ſpectare, ad ſummum Pontif. & Epiſcopos, aliaſque eccleſiaſticas perſonas, quia tantum Principes conſtituti ſunt etiam à Deo ſuperiores, & habent gladium à Deo in pœnam malefactorum, & laudem bonorum, ipſorum profecto aliqua pars etiam erit vt eccleſiæ contribuant, qua ratione maxime iuuari poterit eccleſia gladio ſæculari contra contumaces, rebelles & contemptores eccleſiaſticarum cenſurarum, quales ipſa etiam eccleſia remittit ad ſæcularem poteſtatẽ, vt patet in cap. cum non ab homine, tit. de iuditijs, ergo ipſi habent aliquam poteſtatem in eccleſiam, non quidem directiuam, qualem habent Epiſcopi, & alij, ſed coercitiuam & defenſiuam, ideoque ſæculares poteſtates in hac cauſa, quæ fidei eſt, & religionis, non minus diligentes eſſe debent, quam ipſi Pontifices ad conſeruandas leges eccleſiaſticas, illis ſuas ſimiles coniungendo: quod etiam demonſtrant omnes tituli in corpore iuris tam eccleſiaſtici quam ciuilis, vt de ſacroſanctis eccleſijs, de ſumma Trinit. & fide cath.

de

de epiſcop.& cleric. de hæret. de epiſcopali audientia. ex qua coniunctione legum ciuilium, & canonum eccleſiaſticorum pulcherrimam orire ſymphoniam dixit Iuſtinianus, cuius ſententiam, vt ab optimo Principe profectam, orientales Epiſcopi ad Tharaſium conſtant.m ſcribentes, mirificè commendant, vt patet ex ſecundæ ſynodi Nicenæ act. tertia, ſacerdotalis dignitas inquiunt imperij ſanctificatio eſt,& confirmatio: Imperium verò ſacerdotalis robur & potentia: Qua de re ſapiens quiſpiam Rex & inter Reges facile beatiſſimus dicere ſolebat, maxima dona, quæ à Deo hominibus data ſunt ſacerdotij dignitatem, & Imperium exiſtimaui, illa enim cęleſtia curat, & diſpenſat, hoc autem legibus æquis, & iuſtis omnia quæ in terris fiũt procurat, nec alias magis regnum dilatatur, nec ſacerdotium prouehitur nec vtrumque cohoneſtatur, quam cum fęlici confęderatione Deo omni ex parte iunguntur. Vnde Imperium,& ſacerdotium pari paſſu ambulare dicuntur.

Manifeſtum eſſe poteſt, quantum profuit eccleſiæ catholicæ authoritas Conſtantini in perdendis ſuperſtitionibus idololatrarum, quantumque præclara fuerit illa lex. C. de ſumma Trinit. & fide cathol. Grat. Valent. & Theodoſ. Imperatorum, cunctos populos quos clemẽtiæ noſtræ regit imperium. &c. extant & inſuper aliæ conſtitutiones principales quæ imponant neceſſitatem clericis viuendi ſecundum ſacros Canones, quæque eos arcent iuxta eoſdem canones à negotijs ſæcularibus, quæ immunitates eccleſijs & perſonis eccleſiaſticis conceſſas ſanciunt conſeruant,& aduerſum eas quippiam fieri animaduerſionibus impoſitis prohibent; & quamuis clericos intra ſceptrum ſuum non contineant ta-

men laicos & eoſdem intra fines debitæ reuerentię & obſeruantiæ retinent, vt in conſtitut. Caſſa de ſacroſanc. eccl. in C.

Magis verò ad rem videtur facere quod legitur Iudicum lib. cap. 17. vbi aſſignatur ratio quare Micha incidit in idololatriã, & fecit ſibi idola, & ſacer-
„ dotem & ædiculas ſacratas pro eis, In diebus illis
„ (inquit) non erat Rex in Iſrael ſed vnuſquiſque
„ quod ſibi rectum videbatur faciebat, idem reperi-
„ tur in l. 18. & finali vltimis verbis.

Conſtans eſt omnium ſententia, eccleſiam plurimum indigere auxilio brachij ſæcularis, pro executione ſententiæ prælatorum quam exhberi Epiſcopis mandat lex ſanctiſſimorum Imperatorum. C. de epiſcop. & cleric. Sic & ipſi Pontifices concedunt poteſtatem inquiſitoribus fidei & alijs prælatis inuocare brachium ſæculare. cap. officium. de hæret. in ſexto, & cap. quoniam pleriſque, de offic. ordin. c. prodeſt, 25. q. 5. idque in ſupplementum eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ vbi non habet quod amplius faciat inuocat ſæcularem poteſtatem, quam facere, & operari ſinit, prædicto capite, cum non ab homine de iud. ſic eſt caſus expreſſus in c. filijs. 16. q. 7. vbi licet inuocare Regem, vel Principem contra Metropolitanum, qui bona eccleſiæ diſſipat, vt eum coerceat, & eccleſiam indemnem conſeruet, cum enim per eccleſiam corrigi nõ poſsit, oportet quod per ſæcularem poteſtatem inſufficientia iſta ſupplea tur, ne delicta maneant impunita.

Sic Caſsiodorus ſcribens de ſummo bono lib. 3. ſent. cap. 53. probat intra eccleſiam neceſſarias eſſe Principum ſęcularium poteſtates, vt quod non præualet ſacerdos facere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem. Atque

Leo

Leo Papa in epiſtola 29. ad Pulcheriam Auguſtam prout citat eam Gratianus cap. res autem humanæ. 23.q.5.res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſsionem pertinent, & regia, & ſacerdotales defendant authoritas, & S. Ambroſius lib. 1. de Patriarchis ſicut Principibus & poteſtatibus fidem, & reuerentiam exhibere cogimur, ita ſæcularium dignitatum adminiſtratoribus defendendarum eccleſiarum neceſsitas incumbit, quod ſi facere contempſerint, à communione ſunt repellendi, vnde in ſequenti capite adminiſtratores, eadem cauſa, & quæſtione dicitur, adminiſtratores planè ſæcularium dignitatum qui ad eccleſiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum proteſtationē, rapaciumq; refrenationem conſtituti eſſe procul dubio debent quoties ab Epiſcopis eccleſiaſticis viris, conuenti fuerint eorum quærimonias attentius audiant, & ſecundum quod neceſsitas expetierit abſque negligentia examinent & diligenti ſtudio corrigant. Quid enim eſſet leges condere, aut canones conſtituere, ſi nullus eſſet qui executionem demandaret? parum certè eſt inquit Papa Gregorius decimus in cap. vbi periculum de electione in ſexto. iura condere, niſi ſunt qui ea teneantur exequi, ob hoc Dominos rectores offitiales Ciuitatis vbi erit ſummus Pontifex eligendus conſtituit. Sic mandauit Leo decimus ſummus Pontif. in virtute ſanctæ obedientiæ nomine ſuo, & ſuorum ſucceſſorū Pontificum Regi Franciæ eiuſdemq; ſucceſſoribus publicari facere, & inuiolabiliter obſeruari per ſe, vel per alium omnia & ſingula, quæ continentur in concordatis & ſtatutis illorum. In Gallia enim remedium appellationis ab abuſu notorio perſonarū, vel iudicum eccleſiaſticorum deuoluit cauſam ad cu-

rias ſupremas quæ nomine regio curat, vt iura, & ca nones eccleſiaſticaq; diſciplina conſeruetur, & vlterius non progreditur, quam ſibi conceſſum eſt, id que optimè factum eſt, prohibitum ſiquidem eſt in lege ne eccleſiaſtici in præiuditium ſui Principis, vel de temporalibus iudicent, aut diſponant, vt in l. conſulta diualia. ff. de teſt. videntur enim tunc eccle ſiaſticæ perſonæ à ſuo munere reſilire, immiſcendo ſe ſæcularibus, quod etiam Saluator noſter cauendum eſſe ſuo exemplo docuit Lucæ 12. quando petitus fuit iudex in temporalibus. Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, reſpondit, homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? quamuis licitè id fieri potuiſſet. Vnde & in hodiernum vſque diem in Curijs Principum ſi appellatio fiat in rebus quæ ſunt fori eccleſiaſtici, vel ex ignorantia iuris, vel per abuſum notorium, tunc Principes, ſeu eorum curię non iudicant de his ſed ſolum de abuſu, & emendato illo remittunt cauſas ad iudices ordinarios clericorum, ſicque ſolum de abuſu iudicant, in quantum lex Canonica ſeu priuilegium illis à ſummo Pontifice conceſſum, ſuffragatur, quia in contrarium faciētibus prouiſum iam eſt per Clementinam primam, de pœnit. neque in hoc quod iudices ſæculares id ſatagunt, improbandum eſt, cum vnicuique liceat etiam contra quoſcunque ſuam iuriſdictionem etiam in pęnali iuditio defendere, cum ergo ita appellatum fuerit, merito eidem eſt deferendum, iuxta ea quæ dicuntur in l. 1. ff. ſi quis dicenti ius non obtemperauerit, multo ergo magis, quando ſic ex concordatis alijſque priuilegijs vt in Gallia conuentum eſt. Tenentur enim iuditia ſibi inuicem manus porrigere, & ſe mutuo defendere.

Inter

Inter ethnicos etiam quantumuis religionis cura pontificibus relicta fuiſſet à Regibus, tamen Principes non ita omnem religionis ſolicitudinem ablegauerunt vt negligere viderētur rerum ſacrarum. Res enim religionis cum violatur impunè, & cum in ea cuilibet audendi ex arbitrio conceditur facultas, minatur Principatibus vna cum religionis defenſione ſubuerſionem, ſic Dionyſius Halicarnaſ. in ſecundo, teſtatur id Liuius lib. 25. quod Marcus Attilius prætor vrbis cui cum à Senatu res religionis comendata fuiſſet is in concione ſenatus conſultum recitauit & edixit vt quicunque libros vaticinos præcationeſve aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet eos libros literaſque (ecce certo termino conſtituto) ante Kalendas Aprilis deferret, nec quis in publico ſacrove loco nouo aut externo ritu ſacrificaret. admonet & lib. 39. ſępe hoc patrum maiorumq; ætate negotium magiſtratibus datum vt ſacra externa fieri vetarent, quorum omniū prohibitio magnam authoritatem obtinuit non ſolum in iubendo, ſed etiam in exequēdo propterea quod iam hominibus perſuaſum fuit de cultu diuino etiā peregrino ſe in Deorū offenſam facere ſi quid contra eorum ceremonias, quamuis prohibitas tentarent: tanta enim eſt nominis religionis reuerentia, vt ſæpe non ſubſtineat, quæ malè ſub eo prætextu fiunt emēdari, niſi ab aliquibus de quibus ante alio qui bonam opinionem conceperint. Vnde Lælius Aemilius Paulus vt eſt apud Valer. Max. lib. 1. c. 3. conſul. cum Senatus. Serapidis & Iſadis Phana diruenda cenſuiſſet eaque nemo opificum attingere auderet poſita prætexta ſecurim arripuit.

Cum ergo, & lege diuina ciuili, & naturali Principes ſæculares Dei cultum, & diſciplinam eccleſiaſticam

ſiaſticam fidemq́; catholicam, non tam ſanciendo, quam defendendo,& iubendo teneantur iuuare,& propagare modo iam explicato, nulli dubium eſt quin ſi ita vti à ſanctiſsimis Pontificibus & Concilijs admonentur offitij ſui, ſedulo præſtiterint,& veri paſtoris munus faciant, ſemperq; obſequentes in ſuis legibus habeant executores: quantumcunque inde alij debacchentur faciem addentes negligentiæ ſuæ minimeq́; illorum iuſsionibus obſequi volentes, ſic enim hoc poſito maior erit in populo timor & reuerentia in clerum, & clerus paratior in ſeruitio diuino, habent enim ex vtroque, quod reformident, & eccleſiæ cenſuram quantum ad animam, & ſæcularium Principum, quantum ad corporis commoda debitum reſpectum: Quorum verò adhuc mens impia eſt, quod talia principibus tribuamus, recordentur obſecro quantum laboris inſumpſerint ſummi Pontifices ad continendam diſciplinam ſpiritualibus remedijs & propter malitiam ſæculi, vel parum, aut nihil profeciſſe contra contumaces donec oportuerit auxilio, & ſubſidio vti ſæcularium Principum qui à Deo ſunt dati ad laudem bonorum,& vindictam malefactorum proinde iſti relatores (vti videre volunt) iuſtitiæ zelo inordinato ſubtrahere volentes auxilium ſæculare eccleſiæ cauſam eccleſiæ ad pernitiem præcipitem dabunt reprobantes ea quorum rationes ignorant.

CAPVT XI.

Quantum Principum ſæcularium in eccleſiam profuerit cura & vigilantia?

MEminit huius rei Diuus Paulus ad Romanos 10. cap. dum inquit quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? vnde factum eſt quod Deus in lege veteri ſemper & continuo iuſſit prædicari legem, & præcepta eius: non recedet inquit Deus Ioſue 1. cap. volumen legis ab ore tuo, ſed in eo meditaberis diebus, ac noctibus, vt cuſtodias, & facias omnia quæ ſunt ſcripta in eo tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ex intermiſſione concionum & prædicationis verbi diuini quid aliud niſi in populo ſumma iniquitas & ignorantia Dei omnipotentis, contemptus magiſtratus, & aſſiduitas ineuitabilis ad omnia viturum genera, tametſi enim aliqui ſibi, abſtinendum putant à prædicatione verbi Dei, vel quod habeant principem catholicum, vel cognoſcentem voluntatem Dei, vel ideo quod nolint audire verbum Dei, dicentes, ſe non poſſe ire ad eccleſiam, & diuina audire, vnde ſcrupulum accipiāt, & fortè conuertantur, hæc enim ſunt caluæ excuſationes, & canes muti non valentes latrare, nunquid enim ſufficiet populum habere catholicum aut credentem in Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, an ignorant quod niſi continuo irrigetur

hortus

hortus ſubito areſcent omnia, prauamq; à natura hominis voluntatem ad malum? an ignorant ſcientiam hominis nullam eſſe niſi etiam bonorum operum exercitatione eandem demonſtrent aut fortè putant ſe ſufficienter ſcire voluntatem Dei, & præcepta eius? Sanè experiētia didicimus quando (vti fieri ſolet) à bonis paſtoribus de profectu & fide experientiam habere voluerint in populo ſuo, minus quam decem annorum puerculum etiam grandiores reſpondere potuiſſe adeo quod quærendum ſit eos adhuc lactè indigere, & tenui cibo, atque dum magiſtri eſſe deberent propter tempus pueri effecti ſunt, quibus prima rudimenta fidei inculcanda ſint. accedit & aliud commodum frequenter Dei verbum cōcionari, & prædicari quod ſcilicet licet non omnes emolliantur & plures ex auditione illius obturentur, credunt tantum illi qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam, reuocantur & auditores vel nolentes præ pudore aut timore iuditij Dei, à vitijs, ſaltem à quibuſdam.

Nonne exemplo eſt omnibus Hærodes ille nequiſſimus & ſceleratiſſimus qui ad prædicationem diui Io. eum metuebat, & obſeruabat eum, & multa eo audito faciebat; inſeminantur enim benè viuēdi præcepta ſine quibus fiūt homines ſicut equus & mulus in quibus non eſt intellectus.

Quod verò cauſenter aliqui populū eſſe ita alienum à verbo Dei vt nolit conuenire ad audiendum illud, & chatedras planè vacuas videri, & concionatores, vel viginti, vel pauciores auditores habere, & eiuſmodi prædicatores quia ipſi faſtidiunt laborem, cuticulamque ſuam curant grauiſſimiſq; ſcatent ſceleribus, ne fortè ſi populum crebrius de peccato ſuo corripiant ipſi à populo redarguantur, ſubtiment,

timent, & mille excuſationes prætendunt non cogitantes, quod offitium illorum non ex multitudine auditorum, ſed ex offitio acceptato, & impoſito dependeat, neque excuſantur ſi noluerunt venire ad conciones, ſed reddent ipſi rationem prædicatores ſi per ipſos ſtetit quo minus vocarentur, ſecundum datam ſibi à Deo poteſtatem iuxta illud 2. Timot. cap. 4. prædica verbum inſta opportunè importunè argue obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina, & ad Titum cap. 1. increpa illos duce vt ſani ſint in fide.

Quod verò alij dicunt populum eſſe catholicum, & credentem ideo non tantis indigere ſtimulis, & exhortationibus ij ſcire debēt quod proficere oportet, & creſcere de virtute in virtutem, de opere bono in aliud, & in virum perfectum in conſumationem ſanctam.

Ad hunc ergo prædicãdi verbum Dei defectum ſupplendum opus eſt grandi remedio ſolliciteque aduertendum, vbi radix malè voluntatis lateat, an in populo, aut in paſtoribus, pro quo ſufficient Epiſcopi & præſules eccleſiæ quorum eſt ſibi commiſſum clerum offitij ſui admonere, & vtilitatis, & neceſsitatis in populo, ne ſubtrahant illis verba legis & doctrinæ pabulum: ſimiliter & populus ſedulo exhortari debet quantum commodi inde fiat ſi diligenter verbum Dei audiant & cuſtodiant illud in corde bono. quod illis ſcilicet fructum ferat in patientia; quodque ſtatuta ab eccleſia dies feſti obſeruari debeant iuxta præceptum Domini vacandumque ab operibus ſeruilibus, alijſque modis omnibus perſuadere debet, vt guſtum accipiãt ad faſtiditum verbum, ſeu cibum, ipſi enim ſunt paſtores, & medici ſpirituales ipſi noſſe debent cultum pecoris

O ſui,

ui, & aptas cuilibet pro inualeſcentis morbi remedia adhibere. Si verò nec admonitio paſtorum, neque cohortatio Epiſcoporum & præſulum proficiat, neque paſtores munere ſuo fungi, neque populus admonitionibus parere velint, aliud ſupereſt remedium quo & populus & magiſter cogi poterunt idque eſt penes Principes & magiſtratus ſæculares quemadmodum Moyſes Deuteron. 31. fecit & Politicorum auxilium acceſſit iubens congregari omnem populum ad audiendos ſermones eius de lege Domini, & ſicut pater familias apud Matthęum 22. iubet vocari ad cęnam inuitatos & compelli venire in vijs & ſępibus & alibi exiſtentes. Cęna autem illa aliud non eſt niſi ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium diuinaq; ſacramenta, quale vnum eſt verbum diuinum in quo ſicut in ſacris latent res eximiæ conſolationes diuinæ & profectus innumeri ad fęlicitatem æternam. Ad hoc obſeruandum audiendum & reuerēdum pertinet ad Principes prohibere quæ huic cultui diuino ſunt contraria: queve illud inficiunt, vt ſunt blaſphemiæ ſuperſtitiones hæreſes: quare puniunt inobedientes mulcta pecuniaria, carceribus, exilio, & bonorum confiſcatione: ſicque Nabucdonoſor edixit in toto regno ſuo, ne blaſphemetur nomen Domini, aut domus Dei vaſtetur.

Eſt inſuper & Principum ſæculariū monere prælatos eccleſiaſticos, vt dignos, & idoneos conſtituāt in populo Dei præcones, vigileſque ſint in grege ſuo, illoſque, qui valent & poſſunt & tamen nolunt pręſtare, expellant, alioſque volentes & potentes loco illorum ſubſtituant, aut quod ipſi hoc faciant quod per alios dignè, & vtiliter fieri nequit, datur enim benefitium propter offitium, & qui non poteſt offitium exequi, debet priuari fructibus benefitij

fitij capite latores de cler. excom. min. & c. paſtorale. de appellat. Quod ſi nec hoc iuuat ipſi Principes politici procedere debent aduerſus Decuriones tales per captionem fructuum benefitiorum, vt ex illis habeant alium bonum paſtorem, & concionatorem, vtque ſic vel ipſe prælatus, aut parochus cogatur concionari, aut ſi neſciat per alium id muneris exequatur, & hoc principes poſſe patet exemplo Iohas Regis Ieruſalem patet 4. Reg. c. 12. qui prohibuit ſacerdotibus accipere pecuniam oblatam in ſanctuario Dei à populo quod inſtaurarent ſarta tecta tēpli donec inſtaurata fuiſſent. Sic & per Amos prophetam deus minatur, væ optimatibus popul qui capita illorum ſunt eo quod non compatiuntu ſuper conditione Ioſeph, Amos 6. manifeſtum ho autem Principum magis patet executionis offitiū, in eccleſiæ vtilitatem ex hiſtoria eccleſiaſtica lib. 7. cū Antiochiæ eccleſia Paulum Samoſatenum Epiſcopum Arianum propter impium ſuū dogma excommunicaſſet iſque nollet diſcedere ab eccleſia, neque facultates ſedis Epiſcopalis relinquere inuocato adhoc bracchio ſæculari Imperatoris Aureliani, coegit ipſum relinquere domum Epiſcopi, & facultates, non obſtante quod factionem multam ad ſe traxiſſet, quorum confidebat potentia. Si ergo Ethnicus Princeps talia pro honore, & vtilitate Eccleſiæ & paſtorum eius præſtitit, qualia non audebunt Principes catholici pro defenſione religionis & Prouinciarum ſuarum pace & emolumento?

Aliud non minus exitioſum Reipublicæ moderatoribus præcauendum eſt periculum in benè ordinatis clericorum, & religioſorum conuentibus, vbi bonum & ſanctum ab initio propoſitum fuit nutriendi pauperes ſcholaſticos & doctores, haben-

di profeſſores vt ingenia illorum penuria non reuocarentur à bonis diſcendis literis. In religionis quoque negotijs cathedralia collegiorũ capitula nihil aliud erant quam Senatus & concilia epiſcoporum qui caput faciebat, illi verò corpus. In alijs eccleſijs collegialibus cultus diuini augendi cauſa, plures congregati certis adhibitis, illiſque optimis legibus viuendi. In religionibus & regularibus cenobijs feruore deuotionis, curationis ſęcularium rerum conſtans propoſitum, obedientia, & caſtitatis ex animo & mediatè emiſſum votum, viuendi modum celebrem exemplarem plauſibilem honorandum fecit.

Hæc fuit veterum eccleſiæ paſtorum & Antiſtitum intentio, hic animus, hoc propoſitum ideo, & parce, & piè viuebant plurimaq; pro honore Dei coaceruabant religionis ergo & pietatis adaugendæ gratia, at ſucceſſu temporis declinatum eſt à priori vitæ conſtituto à rigoroſo illo viuendi modo, ab habitu, & religionis ordine. Epiſcopi etiam rem ſuam facere cęperunt plurima in cathedralibus eccleſijs ſeorſum à capitulo habere, longiuſq; habitationes ſuas aliunde extruere, cum capitulo viuendi modũ faſtidire, hinc dereliquerunt collegia capitula, & ipſas eccleſias dehinc curiales facti & aulici, ſubſtituerunt vicarios, ſicque capitulũ ſine capite monſtrum effectum eſt, nec aliud præter nomen retinuerunt amplius canonici: raro aſſidentes offitijs diuinis rarius in choro, rariſſimè in Capitulis; bona diripiuntur & abligariuntur ab ipſis, edifitia corruunt, ſæculares irrumpunt bona tam mobilia, quam immobilia vendicantes hæreſes inſurgunt, & quibus ante cura Deus religioq; ſancta, nunc eſca, & venter eſt.

Quid verò de regularium cęnobijs aliud exiſti-

mandum

mandum putas, vbi collectis diuitijs paulatim labeſcunt religionis habenæ, & monaſticæ diſciplinæ, obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis veſtigia nulla ſuperſunt, ſunt ad hoc plerumque abbates cōmendatarij ſæculares, regularum ignari, ſe ipſos neſcientes ſuperbi, inflati, luxurioſi, prodigi, aſpernantes bonorum virorum conſilia, ſibijpſis fidentes arrogantes, cōtemptores politicorū magiſtratuum, conuiuantes in menſis, & ſpumantes propriam libidinem. Videre eſt cum dolore, & non ſine lachrymis clauſtrales fieri ſæculares, monachos cum omnibus circumeuntes nil præter habitum de religione gerentes atque ſub ouina pelle lupum canemq́; ſporciſſimū mentientes. hoc verò deplorandum malum vnde originem ſumpſit? an non quia Abbates, & ſuperiores facti ſunt ex ſæcularibus ex aulicis mimis, & hiſtrionibus? quorum vita leuis, doctrina inconſtans animus peruerſus, nec canonicè electi, ſed per gratiam humanam, fauorem, ſimoniam, aut aliunde intruſi inuolarunt, regnarunt, rapuerunt, & diſgregauerunt: quia verò hi peiores ſunt ipſis quorū curam ſuſceperunt mirum non eſt ſi totum monaſterium intercidat? & hæc quidem ſunt manifeſtiſſima, neque vllo prætextu cęlari poſſunt, aut effugere princeps, contraria enim iuxta ſe poſita clarius elucefcunt vt ſunt ſæculares, & religioſi qui ſine difficultate ab inuicem diſcernuntur.

Et certè ſi velimus dicere, quod veriſſimum eſt diuitias monaſteriorum retentas, & non diſpenſatas pauperibus, alicubi effeciſſe, vt ibidē religio, & cultus diuinus diminutionem, ne dicam peius acceperint: etenim diuitiæ in cauſa ſunt cur ſæculares ambiant præpoſituras & abbatias, ſiue in commendam, ſiue in coadiutorium, vel alio modo nihil intereſt,

tereſt, adepti autem ſtatim quanti leuari poſſint fructus, quantumve annuatim poſſint, ineunt rationẽ, vt extra fruantur, interim monachi ſine capite, prioribus, clauſtralibus, incipiũt obſiſtere; portiones partiri, ex libito agere, ſeorſim partem, veſtiariam, pecuniam præbendam accipere, in his negotiari & ſæcularium more viuere, & à regula ſe ſeparare, vt certè in pluribus monaſterijs ſi patres qui ſacri illius ordinis fuerunt fundatores, ad vitam reſtituerentur, vix, imo nullum veſtigium ſuæ diſciplinæ nec aliud, quam inane nomen agnoſcere poſſent.

Quorum omnium reformatio duobus potiſsimũ nititur capitibus, primo quod conuocatis in vnum generalibus præpoſitis ſingulorum ordinum, illis hoc imponatur, nullos impoſterum Abbates, vel præpoſitos regulariũ eſſe, niſi ordinis profeſsi ſint, habitum geſſerint, regulamq; & monaſticum modum viuendi didicerint, & ſi qui ſint alij, reuocentur eorum commendæ, & præcipiatur illis, vt iuxta ſacrorum canonum conſtitutiones, vel regularem habitum accipiant, vel benefitia dimittant, non obſtantibus quibuſcunque: quod ſi neutrum velint ex vniuerſis & ſingulis monaſterijs vnius idoneus ex profeſsis, ſiue in locum cuiuſque cõmendatarij eligatur, & per ſuperiorem ordinis admittatur. adhibito eo remedio vt ſi deſtituti loco cędere noluerint, brachium ſęculare Principis inuocetur in auxilium, ipſiſq; Principibus & alijs curijs ſæcularibus, authoritate Apoſtolica iniungatur huic executioni fauorem auxilium & opem præſtare. ſecũdum erit, ſi qui ſint in alijs cathedralibus, & collegiatis, contumaces, irreligioſi legibuſq; ſibi præſcriptis contrarij, atque cui profeſsi ſunt regulæ alieni, debitis ſacrorum canonum medijs coerceantur, & ſi nec ſic

reſi-

reſipuerint, inuocetur ad hoc poteſtas ſæcularis, aut aliud iuxta arbitrium ordinariorum, medium ineatur, quatenus ceſſante corruptela morum vitæq; integritas, & diſciplina canonica obſeruatur. Nec hoc nouũ videri debet, ſi quidem antiquitus idem obſeruatum legimus, vt qui regulam quam ſemel profeſsi ſunt, ſeruare nollent ad eandem ſeruandam cogerẽtur, vel ſi eſſet incorrigibilis expelleretur, quod expreſſe in l. ea quæ pro religionis, de ſtatu monac. vbi ius Epiſcopis ordinarijs locorum conceditur etiam in exemptos; Nec ſufficit dicere ſe viuendi talem modum quando profeſsionem fecerunt, inueniſſe alioſque ſemper ſic vixiſſe: quia non ad tem pus viuendi, ſed ad regulam, & ſecundum regulam religionis ſe victuros profitentur, & Auguſtinus ſer mone 52. ad fratres de Eremo, non impedit abire ex collegio ſuo, qui ſuo more nollent viuere, in recepto propoſito, nolo enim inquit ille, vt habeat neceſsitatem ſimulandi, ſic eccleſia eijcit clericos incorrigibiles, & dat iudici ſæculari, non metuẽs ſcan dalum, ſi quidem non habet amplius quod cum illis efficiat. Tertium incommodum accedit, quod indiget Principum authoritate, & diligenti inſpectione quando non ſolum cultus diuinus in populo negligitur à clericis, & regulis eccleſiaſticiſq; religioſorum diſciplinis contraitur, ſed potiſsimum quando quod eſt fundamentum, & neruus totius boni ſpiritualis, bona inquam eccleſiæ malè diſpen ſantur, contra intentionem & legem fundationis benefitiorum, vel donationis bonorum, vt dum in vſus proprios eoſque ſuperfluos & nephandos con uertuntur, vel parentibus proximiſque, alijſq; perſonis elargiuntur, de quibus non cogitarunt fundatores, & donatores, imò aliquando in alijs negotijs

quam

quam chriſtiano dignis conſumuntur, arguuntur vt ſacrilegi qui habent vnde poſſunt ex patrimonio viuere, & benefitiorum eccleſiaſticorum fructus reſeruant, vt ſcribit Damaſo Papæ. D. Hieronymus, illos conuenit eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur, qui autem bonis parẽtum & opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperem eſt accipiant, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium iuditium ſibi manducant, & bibunt, vt refertur in c fin. 16. q. 1. can. ad clericos, 1. q. 2. Dicuntur etiam bona clericorum res pauperum in Can. conuenior 23. q. 8. nempe pauperibus tempore neceſsitatis diſtribuenda, vt res eccleſiæ, vt eſt patrimonium Chriſti & religionis, imo Coſtantinus. l. 2. C. de epiſc. & cleric. cum indulget rebus eccleſiæ priuilegia ab ex actionibus addit rationem huic cauſæ, ſi quid enim inquit vel prouiſione, vel mercatura honeſtati tamen conſcia coniecerint, id in vſum pauperum atque egẽtium miniſtrari oportet. Inſuper tolleratur vſus eccleſiaſticorum bonorum in clericis pro victu, veſtitu, & moderatis in res neceſſarias expẽſis, ſed magis in cibis. At verò in canes, accipitres apparatus æquorum, & curiæ & ſumptuoſas operas, quæ omnia damnantur in cap. cum Apoſtolus de cenſibus maximè prohibentur. Vnde integer titulus de clerico venatore conteſtatur, in qua venatione Epiſcopus ſi contumax ſit excommunicatur, & tandem miniſterio deijcitur: quia venatio damnabilis eſt clericis, vt ait S. Auguſt. in Pſal. 100. Super verſu faciens miſericordias qui vident venatorem & delectãtur, videbunt Saluatorem & contriſtabantur, & Chriſtus non dixit faciam vos venatores beſtiarum, ſed faciam vos piſcatores hominum.

Quid

Quid porro de luxuria, & ſumptuoſitate conuiuiorum dicam? iuditium D. Hieronymi hoc ſolum loco ad caput ſecundum in Michæam Prophetam proferam: eccleſiæ Principes qui delitijs affluunt, & inter epulas atque laſciuias pudicitiam ſeruare credunt propheticus ſermo deſcribit, quod eijciendi ſunt de ſpatioſis domibus lautiſque conuiuijs & multo labore epulis conquiſitis, & eijciēdi propter malas cogitationes & opera ſua, & ſi vis ſcire quo eijciendi ſunt Euangelium lege, in tenebras ſcilicet exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dētium. An non confuſio, & ignominia eſt Ieſum crucifixum magiſtrum pauperem, atque eſurientem ſurtis prædicari corporibus? Ieiunoriumq; doctrinam rubentes buccas tumentiaq; ora referre? ſi in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed conuerſationem quoque amplectamur: Pudet profecto dicere vidiſſe olim vilem clericum ad dignitatem clericalem permotum, nunc qui vix antea in domo paterna vnde viueret habebat, ita ſplendide viuere, vt ſæculares principes aulaſque regum adęquet, quaſi verò eccleſiæ bona data ſint in eum finem, vt adipem Epiſcopi, & inutilium ſeruorum mollitiem nutriant, quamuis tales Epiſcopi & prælati nobiles ſint, aut aliqui ex Regum ſtemmate, idcirco eos tali vti oportere famulitio & victu ſplendido id tamen debuit fieri ſi in tali dignitate perſtitiſſent, nunc autem quia eccleſiaſticis inſtitutis ſe ſe mancipauerunt, debent velint nolint abnegato ſæculari modo, iuxta eccleſiæ, & ſacrorum canonum inſtituta vitam moderari, ſerio meditantes illud Zachariæ cap. 11. Hæc dicit Dominus Deus meus paſſi peccata occiſionis, quæ qui poſſederant occidebant, & non dolebant, & vendebant dicentes, bene-

dictus Dominus, diuites facti ſumus: & paſtores eorum non parcebant eis, & ego non parcam vltra, ſupra habitantes terram dicit Dominus, ecce ego tradam homines vnumquemq; in manu proximi ſui, & in manu Regis ſui & concident in terram, & non eruam de manu eorum.

Si placet recordentur cõminationes iſtius & expendant an leuis ſit, quod Deus pro caſtigatione paſtorum eccleſiæ det eos in manu regis ſui, & bona eccleſiæ auferat de manibus eorum, & committat ſolicitudini Regis & poteſtati laicali? non enim aliud remedium videtur quando perſonæ abutuntur bonis eccleſiaſticis, & in alios vſus quam deſtinata ſunt conuertunt, quam vt cura, & ſolicitudo Principis, illa ad ſe recipiat, & adminiſtret: debent hoc Chriſtiani Principes ſanctæ matri Eccleſiæ vt quemadmodum religionem ſic & patrimoniũ eius tueantur, & conſeruent, gladio etiam vtantur temporali contra malè vſurpantes.

Cum Ioas Rex Iſrael permiſiſſet ſacerdotibus collectas & pecunias quas dediſſent pertranſeuntes pro remedio animæ ſuæ, & ſponte ad decorem domus Dei, ita vt ſarta tecta conſeruarent eccleſiæ & domorum eccleſiaſticorũ, ipſi verò ad vigeſimum tertium annum nihil refeciſſent dixit eis quare non ſarta tecta inſtauraſtis templi? & poſtea non permiſit eis amplius accipere pecuniam, ſed Rex alium conſtituit præſidem, & ſcribentem, qui numerabat pecunias inſtauratoribus templi, quod & iura canonica approbant vt ex Conc. Tolet. 9. cap. 1. colligitur, filijs inquit nepotibus ac honeſtioribus propinquis eius qui conſtruxerit vel ditauerit eccleſiam lic tum ſit hanc bonæ intentionis habere ſoleitiam, vt ſi ſacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex collatis

rebus præuiderint fraudare, aut commonitionis honeſtæ conuentione compeſcant, aut Epiſcopo vel iudici corrigenda denuntient, quod ſi talia agere tentet Metrapolitano eius hęc inſinuare procurent, ſi autem Metrapolitanus talia gerat Regis hæc auribus intimare non differant.

Debent & huic negotio operam adhibere diligentem, ne dum nouus aliquis Antiſtes cogitatur eligendus, iſque talis fiat, qui faciat quod hæretici attentare non audeant, vt cito manus adhibeat: plerumque enim dum Epiſcopus aliquando ex Illuſtri perſona quæritur, quo præſule non audent hæretici inuadere bona eccleſiæ. Accidit ſæpæ inde vt quod hæretici vix tentare auderent iſte, præſul ſecurè exequatur, & palam bona epiſcopalia inſeudando, vendendo, & oppignorando, etiam anticipata ſolutione, atque ſupra tempus à canonicis conceſſum hæcque omnia ſine conceſſione Principis temporalis qui Dominus terræ eſt, & ſummi Pontificis conſenſu, hoc tamen peius eſt quod alienare, & cauſam alienationis dici meditatur per quam ad ſuos commodiora transferat, & eccleſiæ eripiat, metuunt canonici eique repugnare non audent propter proximos, ideo conſentiunt, facileque ſummo Pontifici quandoque imponitur per obreptitia, & ſubraptia ſcripta, ſicque centum forſam aurei expenduntur pro defenſione eccleſiæ, pro duplo vero aut quadruplo res diſtrahuntur. Ex quo ſucceſſores tandem ſentiunt quãtum nociua ditiorum prælatorum adminiſtratio, & ſic ſplendida titulotenus defenſio eccleſiæ. Nec inficior plurimũ iuuari poſſe eccleſiam Dei & defendi bona illius ex talium electione: quia tamen eccleſia acquiſiuit bona, non armis ſed deuotione, ſanctitate martyrio, confeſſione, bono exem-

plo, pura vita,nec diſcipuli, præpoſiti ab Apoſtolis illuſtres, cum pompa ſeculari prædicarunt, aut docuerunt,ſed armati ſancto ſpiritu reſtiterunt impietatibus hæreticorum, & Gentilium Imperatorum & Principum furoribus ijſdem bona modis conquiſita & nunc ſunt conſeruanda, ſic D. Hieronymus ad Damaſum fatiſcat inuidia inquit, Romani culminis recedat ambitio, cum de ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo Crucis loquor, qui refertur in Canone 25. Quoniam vetuſto 24.q.1.vbi gloſſa ad verbum inuidia,cum duo inquit certarent de electione & vnus allegaret ignobilitatem alterius, alius ex aduerſo reſpondit piſcatori Petro fabri filio ſucceſſorem quærimus,non Auguſto.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt quod plurimum opus habeat eccleſia ſæcularium Principum defenſione & iuriſdictione ad tenendam pacem eccleſiaſticamq; diſciplinã in miniſtris ſuis, verumq; Dei cultum & Euangelij prædicationem, hi enim cum iuribus permittentibus vtriuſque paginæ patroni dicantur eccleſiarum, atque ipſe Imperator patronus ſanctę Rom. Eccleſ.aduocatus & defenſor ſecundum Archid. in c.lectis 63.diſt. Bal. c.quanta, de iudit.non minus certè reliqui principes,& catholici reges pro regali ſua maieſtate in Rempublicam eccleſiaſticam patrocinium ſuum denegabunt ſed tanto impenſius præſtabunt,quanto eccleſiæ magis neceſſariũ eſſe videbunt ipſiq; veræ & catholicæ religioni addicti ſunt, eamq; ex iuſtitia defendere & propagare tenentur, quod enim in Imperatorẽ conuenit, idem etiam de alijs Regibus & Principibus dici poteſt. Cardinalis poſt gloſſam in Clem.1. oppoſ.4. de iur. ſunt enim omnium ſupremi l.penult. vbi Bald. C.de bonis quæ liberis.

CAPVT X.

Veri & optimi Principis eſt veram Dei religionem catholicam procurare & tueri.

HVius iuſtitiæ nobiliſſimam partem eiuſque integralem eſſe religionem ponit Sanctus Thomas 2.2.q.83. artic.7. in corpore, eo ipſo quod Deo ſummum honorem & reuerentiam in primis exhibere tenemur, non quod ipſe gloria, & honore noſtro indigeat, cum ipſe in ſe plenus ſit, nihilq; addi poſſit ei à creatura; ſed ideo ſolum, vt debitum illi dominium, tāquam directo Domino exhibeamus, ſubijciamuſque illi mentem, & affectum noſtrum quod natura ipſa ſuadet, vt deſiderando, & affectando eſſe ſuum ſemper & perfectionem; In hac verò iuſti honoris exhibitione maxima animę noſtrę perfectio conſiſtit, quādo ſuo ſuperiori ſubditur, à quo eſſe, & perficere accipit, ſicut ab anima viuificationem corpus, & aër, per hoc quod illuminatur à ſole, vnde cum princeps ſit, quam maximè in ſeipſo perficit, vt deinde ſibi ſubiectas gentes ductu ſuo in bonum commune Deique famulatum adducere valeat, meliori id modo nunquam efficiet, quam ſi religionis defenſorem propugnatoremq; fortiſſimū ſeſe exhibeat, atque illius iuſtiſſimum munus eſſe intelligat: ſic enim ſibi verus Dei cultus, curæ eſſe debet, vt aliud ſibi nihil ex commiſsione ſui principatus à Deo cognoſcat demandatum, quam vnum verumq; Deum diligere, à quo ſui dominatus omnis dependet, & vt fęliciter regat gubernetque, ab ipſo Deo exiſtere.

Quia

Quia verò in hoc ſanctiſſimo offitio Princeps conſtitutus eſt, primum ſe meminiſſe debet, obligari ad alios, idemque vt faciant conari debere; ſic enim primus dictus eſt ratione ſecundi, & hic ratione tertij, & conſequenter, ab vno enim multa, non à multis vnum originem accipit, & hoc eſt charitas Dei perfecta, in qua omnis lex, & prophetæ perficiuntur, omniſque principatus cura reſidet, is etiam iure à Deo proximus habetur, per quem Dei maieſtas vindicatur: optima enim ab optimo defendi par eſt, & cum nihil ſit in humanis rebus præſtantius religione, eam ſumma vi oportet defendi, atque vt rem à primis fundamentis exordiantur, apud omnes gentes & barbaros hanc iuſtitiæ partem, religionem inquam, ſummo ſemper honore habitam excultamq; fuiſſe, nihilq; neque in magiſtratu politico, neque belli, paciſq; temporibus, aut aliarum grauiſſimarum rerum conſultationibus fęliciter inceptum progreſſumq; fuiſſe, niſi à religionis cultoribus ſemper expreſſe aut mandatum, aut prohibitum fuerit. Apud barbaros hoc erat in more poſitum, vt qui futurus erat Rex, ſummus quoque ſacerdos eſſet, nam ſic in vniuerſum de quibuſlibet populis Clemens ſtromatum lib. 7. hic (inquit) homo eſt vere regalis, ſacerdos ſanctus Dei, quod quidem nunc quoque ſeruatur apud eos, qui ſunt doctiſſimi ex barbaris, vt genus ſacerdotale prouehant ad regnum, ita Clemens.

At Plato in Alcibiade primo refert, primogenitum filium qui patri ſucceſſor patriæ Regnum gubernaturus eſſet ſolitum tradi educandum in primis, vni è ſacerdotum, ſeu magorum cœtu, qui Regem duo doceat, Deorum cultum, & inſtituta regia Xenephon lib. 8. Cyropediæ ſic ait, ita igitur ſen-

tiens

tiens Cyrus, primum quidem ſe ipſum hoc tempore oſtēdebat, ſtudere magis diuinis rebus, quoniam eſſet fęlicior, & tunc ſtatutum eſt, vt Magi ſimul ac dies illuceſceret laudarent Deos, & ſingulis diebus ijs Dijs ſacra fierent, quibus Magi dicerent, ſic igitur quæ tunc conſtituta ſunt, hac etiam tempeſtate perdurant apud eum ſemper, qui Rex eſt, & in his rebus primum imitabantur eum. Alij item Perſæ rati ſe quoque fęliciores fore ſi Deos colerent, quemadmodum ijs qui fęliciſſimus eſſet ac Princeps, quæ facientes exiſtimabant, ſic Cyro gratiſſimam rem facere, imò illemet Cyrus ſuorum pietatem ſibi etiam conducere arbitrabatur, idem cum ijs ſentiens, qui nauigare volunt cum pijs, quā cum ijs hominibus, qui impij aliquid videantur perpetraſſe: ad hæc animo ſemper ſecum repetebat, ſi omnes ſui familiares eſſent in Deum pij, minus eos velle & iniuriam, & aduerſus ſe ipſos nefarij quidquam facere.

Idem narrat orationem, quam habuit Cyrus moriens ad filios, cuius præcipua ſunt, Deos ſaltem, qui ſemper ſunt omnia vident, & omnia poſſunt, quique hunc rerum omnium ordinem continent certum, & immortalem, & ſine errore, quique præ multitudine atque magnanimitate enarrari non poteſt, hoſce vos metuentes nihil vſquam impium nefariumq; feceritis neque cōſultaueritis, & poſt (Deos quidem) hominum etiam genus omne, quod ſemper propagatur vobis verendum eſt, non enim vos dij in tenebris operiunt, ſed opera veſtra neceſſe eſt ſemper in propatulo viuere apud omnes, quæ ſi pura & ſine iniuria apparent reddunt vos inter omnes homines potentiſsimos.

Ita Xenephon non tam docte quam chriſtiane

locutus videtur dum ait Cyro aliud nihil in votis fuiſſe, quam in primis Deum & religionem propagare, eique tantum detuliſſe, vt omnia illi poſtponenda duxerit; ad hanc religionem excolendam primum filios ſuos admonuiſſe, operaq; illorum non abſcondita fore, ſi ex recto zelo bonaq; intentione facta fuerint, ſed Deum vt chriſtiani loquuntur, in abſcondito videre, & reddere mercedem in futuro.

Eadem de Perſis ſcribunt, Cicero primo lib. de diuinat. & Philoſtratus lib. 1. de vita Apollonij, apud quos omnia publica, & priuata per ſacerdotes & religionis cultores curabantur, neque vllum abſque eorum interuentu ritè ſacrum agebatur, eratq; piaculum aras adire vel hoſtiam contrectare, antequam Magus conceptis præcationibus libamenta diffunderet præcurſoria. Rem diuinam prius fecit Commodus antequam oraturus ad milites conuocatos de initio ſui Principatus & Imperij ageret, Herodianus in primo Vulgare eſt quod tradit Cicero de diuinat. vrbis romanæ parentem non ſolum auſpicato vrbem condidiſſe ſed etiam optimum fuiſſe augurem. Adhibuerunt etiam Athenien. omnibus publicis conſilijs ſuos manteas: & quod notabilius cum ſacris & religione ciuitatem præcipuè contineri exiſtimauit Romulus, metuens ne quando illorum vileſceret dignitas, aut ijs neglectis, populus prophanus efficeretur, in oratione de Aruſp. Reſpublica quam volumus inquit Cicero patres conſcripti, ipſi nos amemus, tamen nec numero hiſpanos, neque robore gallos, nec calliditate Pænos, nec Artibus Græcos, nec denique hoc ipſo huius aeris ac terræ domeſtico natiuoq; ſenſu, Italos ipſos ac latinos, ſed pietate ac religione, atque hoc vnâ ſapiētia quod Deorum immortalium numine omnia regi

guber-

gubernariq; perſpeximus, omnes gentes nationeſque ſuperauimus, hæc ille. Ideo tot ac tanta romanis cœlitus data, quod illa agnoſcerent à prouidentia diuina diſtribui atque idcirco ab illorum offenſa cauerunt. at qualia iſthæc ſint recitat Dionyſius Halicarnaſ. lib. 2. ſic de Romulo inſtituente Romanorum Rempublicam legeſq; illorum: Cum animaduertiſſet Romulus fęlicitatis rerum pub. eſſe cauſas, de quibus vulgo conuenit, ſed eadem aſſequi, paucis datum, primum fauorem numinum, quo præſente mortalibus omnia cedunt proſperè, deinde temperantia vna cum iuſtitia, per quas fit, vt minus ſe lædant, mutuò magis conſentiant, fęlicitatemque non turpi voluntate, ſed honeſtate metiantur; poſtremò fortitudinem militarem, cuius ope cæteræ quoque virtutes ſubſiſtunt, non ſpontè venire, horum bonorum quodque ratus eſt, ſed intellexit rectis legibus honeſtorumq; ſtudiorum æmulatione piam, temperatam, iuſtam, belloque fortem Ciuitatem fieri.

His itaque rebus plurimum curæ impendit, à Deorum cultu auſpicatus ante omnia templa fana, araſque & delubra, tum ſtatuas effigieſq; eorum & inſignia: prętererea vires, & dona quibus de noſtro genere benè ſunt meriti, feſta item quæ cuique Deorum dæmonumque celebrari conuenit, & ſacrifitia quibus apud homines coli expetunt: ad hæc rationes indutiarum, celebritatum intermittendorum laborum, cæteraq; huiuſmodi iuxta optimos quoſque Græcorum ritus diſpoſuit, legemque ſtatuit. Sacrorum omnium poteſtas ſub regibus eſto, ſacra patres cuſtodiunto, atque inter cætera Regij muneris voluit Halicarnaſ. primum inquit ſunt ſacra curare atque ſacrifitia, per eumque geri quidquid

ad placandum Deum pertineret.

Hæc verò quæ de Regibus dicta ſunt licuiſſe poſtca per Numam vt idem Halicarnaſ. eodem lib. 2. ſcribit in pontificem tranſlata fuere, qui idcirco collegium pontificum & ſacerdotum inſtituit, qui neque populo, neque ſenatui ſubijciebantur, & cuiuſlibet puniendi ius habebant, vbi deliquiſſent in cauſa religionis, in defunctique locum ſubſtituebatur alius ab ipſo collegio. Quorum regum cum ſint innumera apud hiſtoricos exempla, nonnulla collegit qui de comitijs ſcripſit Gruchus lib. 1. & ſequenti, quin neque Reges initiare Regnum ſolebant, niſi à ſacerdotibus impoſita manu id acciperent, & ipſi adhuc ſacra facerent, vt habet Liuius lib. 1. in Numa. Quin aliquando Regibus iam conſtitutis abſtulit omne ius, atque in alium tranſtulit, per ſacerdotes Deus, idque ſtatim manifeſtum fecit in ipſo Saule, qui reiectus eſt à Deo, quod Samueli non obaudierit & auſus fuerit ipſe offerre hoſtias Deo, neque expectare Samuelem vt inter ipſos condictum fuerat 1. Reg. 13. & 15. Verè igitur Feſtus in ver. ordo, dixit, in poteſtate ſacerdotum fuiſſe apud Romanos omnia diuina & humana, cum nolentibus illis nihil agi omnino poſſet, illiſque edicentibus, omnia fierent irrita, ſic Pontifex maximus cum populo agendi tributa, & centuriata comitia conuocandi ius habebat quoties religio poſtulaſſet. Amplius autẽ poterat ob eandem cauſam punire quoſlibet magiſtratus, ſicut etiam loco, & gradu mouere. Quocirca Imperatores, quamuis conſulatum magiſtratusq; alios permiſerint alijs, pontificatum tantum maximum poſt quam Lepidus Pontifex ſummus ac triumuir vita migrauit, eumq; poteſtatem ad ſe Octauianus Auguſtus auocauit, ſibi ſemper illi retinuerunt.

Per

Per excellentiam, vim & poteſtatem ſingularem religionis veræ adeptæ, Conſtãtinus dictus magnus Licinium Maxentium, & alios immanes hoſtes domuit & paganorum vires & ſacrifitia execrabilia & templa ſubmouit. Theodoſius, Iuſtinianus alijque religioſi & Catholici Cæſares, victores & fęlices habiti, ex religione euaſerunt, & deinde Carolus ille magnus Frãcorum Imperator innumeras nationes zelo ſuæ religionis adduxit, & truces hoſtes Alemanos Sueuos Saxones Phrygas, Hunnos, Gothos, Lõgobardos, aliosque impietatis paganiſmo infectos ſuperauit, quem ſecuti poſteri, nec alio titulo aut præſtantiori opere, quam Dei, cuius religionem verè, ſincerè, & publicè, amplexi ſunt, amarunt, excoluerunt & aduerſus hoſtes præualuerunt.

Extant in C. Iuſtiniano Imperatorum Chriſtianiſſimorum & catholicorum leges perpulchræ & vtiles Reipublicæ ſub titulis de ſumma Trinita. & fide cathol. de ſacroſanc. eccle. de epiſcop. & cleric. de epiſcopali audientia, de hæreticis, & Manichęis, & Samaritis, Ne ſanctum baptiſma iteretur, ne mini licere ſignum Saluatoris humi, vel in ſilice, vel in marmore, aut inſculpere, aut pingere, de Iudæis & Cęlicolis ne chriſtianum mancipium hæreticus, vel iudæus, vel paganus habeat, vel poſſideat, vel circuncidat, de paganis ſacrificijs & templis eorum, de his qui ad eccleſiam confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab eccleſia abſtrahatur, & alibi ſparſim in C. & nouellis.

Hactenus quidem de gentilium Romanorũ aliorumq; Deos varios colentium aſſertionibus, idipſum verò quod intendimus Principem ſcilicet teneri in primis religionem catholicam defendere, ex ſacris bibliorum libris aliorumq; ſanctorum pa-

trum ſcriptis melius & perfectius probari credimus, & quidem ex populi hæbrei aliarumq; gentium exemplis apertiſsimis. Igitur cum trans Euphratem maiores Hæbreorum habitarent, diſperſis iam nationibus per vniuerſam terram, Thare, Abraham, & Nachor ſeruierunt, vt dicitur libro Ioſue cap. 24. Dijs alienis, vbi verò cęleſtibus oraculis obtemperans Abraham, relicta Meſopotamia, profectus eſt in Paleſtinam, multumq; mirabile, quantum ibi in religionis exhibitione profecerit. Nam primum altare edificauit in conualle illuſtri: ſecundum verò inter Bethel & Hai, Gen. 12. ac tunc dixit ei Deus, ſemini tuo dabo terram hanc. Cumque exorta fame in Aegyptum veniſſet, occaſione ablatæ coniugis ac diuino iuſſu redditæ, plurimis eſt opibus locupletatus à Pharaone, inde circumcidi, iuſſus cum tota familia in ſignum peculiare religionis, Gen. 17. ſibique dictum fuit patrem multarum „ gentium coſtitui te, deinde faciam te creſcere vehementiſsimè. Præterea Reges ex te egredientur, „ ſtatuamq; pactum meum inter te & me, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus tuis fędere „ ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui, poſt te, „ daboque tibi & ſemini tuo terram peregrinationis „ tuæ, omnem terram Chanaam in poſſeſsionem &c. „ eroque Deus eorum. Deinde verò magis in religionis exercitio ſanctaq; Dei iuſtitia perrexit, ſummamq; Deo reuerentiam in agnitionem ſupremi dominij præſtare volens, parauit Iſaac filium ſuum primogenitum offerre, qui ſanè actus fuit religionis altiſsimus ac maximè ſingularis, multoque mirabilior, quam ſupra nominatus Gen. 22. atque ita vicißim eo fuere longè ſublimiſsima promiſſa cer- „ tiſsima & inuiolabiliter permanſura, quia feciſti

hanc

" hanc rem, & non pepercisti filio primogenito pro-
" pter me, benedicam tibi: Antea Deus non iuraue-
rat, neque pactum ſtatuerat, nam dixit, ſtatuam; ſic-
que erat nuda voluntatis teſtificatio, nunc autem
" ſtatuit, & pangit fędus, multiplicabo ſemen tuum
" ſicut ſtellas cęli &c. & poſsidebit ſemen tuum por-
" tas inimicorum tuorum.

Iacob autem cum miſſus ab Iſaacho patre in Meſopotamiam, quod hic non probaret mores Chananeorum, à recta ratione & religione diſsidentes, vt inde ſibi acciperet coniugem magis moratam & religioſam, in itinere ſopori ſe dans, vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram ac cacumen illius, tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſca-
" læ, dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abra-
" ham patris tui & Deus Iſaac, terram in qua dormis
" tibi dabo, & ſemini tuo &c. hæc Deus Iacobo miſſo ob conſeruandos bonos mores, ac religioſos ſub obteſtatione promiſsionum quæ factæ fuerant Abraham, ac religionis ab ipſo cultæ: nam cum iuſſit Iſaachus Iacobum proficiſci in Meſopotamiam ſic eſt
" affatus eum; Deus autem omnipotens benedicat
" tibi & creſcere te faciat atque multiplicet, vt ſis in
" turbas populorum &c. ſic itaque Iacobus religionis obtentu iter ſuſcepit; at vbi Deus ipſi in ſomnis apparuit dixitq; vt ſupra &c. ipſe protinus omnia ſpetiali religionis actu conſignauit; Nam tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper locumque appellauit Bethel, ideſt, domum Dei: amplius autem, votum vouit &c. eritque mihi Dominus in Deum, & lapis quem erexi in titulum vocabitur domus Dei, Gen. 28. Egreſſus verò Meſopotamiam atque in Paleſti-

na

na confidens,fecit ibi auferri omnia ſimulachra falſorum Deorum,ac in terram fodi & perrexit in Bethel, Gen.35. ædificauit ibi altare, triaque ſibi continuo à Deo promiſſa audiuit: Nam dixit ei, creſce,& multiplicare: Reges de lumbis tuis egredientur, & terram quam dedi Abraham & Iſaac, dabo tibi,& ſemini tuo poſt te.

Clariora erunt, quæ Iudæorum populo in ſacris memorantur codicibus contigiſſe, dum religionem veram à ducibus illorum viderent ſtrenue defenſatam, indeque ſibi & toti populo iudaico ſalutem pacem,& victoriam plurimamq; in generationes multas fęlicitatem procreatam.

Conſtat ex Danielis libro cap. 1. ipſum & tres pueros Ananiam, Miſach, & Aſariam, ideirco ſapiētiores & formoſiores euaſiſſe, ac propterea perductos in conſpectum Regis, illi reconciliatos,& ab eo cunctis alijs fuiſſe præpoſitos,quod noluerint immundis cibis veſci, hinc interpretatus Daniel illud ſtatuæ ſomnium mirabile, effecit, quod Nabucdonoſor hoc concilium inierit, verè (inquiens) Deus
„ veſter Deus Deorum eſt & Dominus regū,& reue-
„ lans myſteria quoniam tu potuiſti aperire hoc ſacramentum. Vnde Rex Danielem in ſublime extulit conſtituit eum Principem ſuper omnes prouincias Babylonis & præfectum magiſtratuum ſuper omnes ſapientes Babylonis: atque tunc primum Iudæi extollere caput cęperunt ob religionis amorem neque hoc ſolum, ſed cum videret Nabucdonoſor ſtatuam à ſe erectam non venerari à Daniele, ipſumque ob id in lacum leonum remiſſum ſaluum integrumque permanere Danielis 3. egredi illum iuſſit, edictumque propoſuit, vt quicunque blaſphemiam loqueretur aduerſus Deum Danielis,

nielis, occideretur ac domus eius vaſtaretur.

Cum Balthaſar Rex contaminauit vaſa & templo ablato Deoque vero conſecrato, protinus apparuit horrendum ſpectrum, manus è pariete prodeuntis, atque in eo ſcribentis obſcura & inuoluta verborum ambage, futurum vt Balthaſar exueretur regno, idque inter Perſas ac Medos diuideretur cumque nemo interpretari poſsit illa, quã Daniel, ideo ipſe torquem auream collo impoſito accepit tertiuſque in regno conſtitutus fuit.

Cum Darius Medus euerſo Chaldęorum regno, atque in ſuam Cyrique poteſtatem translato doloſiſsimpiorum machinationibus inductus legem tulit ad imperium ſuum maximè amplificandum & omnem ab alijs auertendum cultum religionis Daniel ſexto ipſo verò Daniele contrafaciente leonibus deuorandus obijcitur. verum ei nihil nocentibus Darius eum loco reſtituit ipſiſque ſuaſoribus in ora leonum coniectis ſubitoque diſcerptis dęcretum edidit ad omnes populos in hæc verba pax vobis multiplicetur, à me conſtitutum eſt decretum, vt in vniuerſo imperio ac regno meo tremiſcant, & paueant Deum Danielis ipſe eſt enim Deus viuens & æternus & in ſæcula, & regnum eius non diſsipabitur & poteſtas eius vſque in æternum. Ipſe liberator atque ſaluator faciens ſigna & mirabilia in cęlo & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum. Similiter fecit Cyrus Rex quando audiuit ex prophetijs Iſaiæ cap.45. Hierem.24. & 29. 1. Eſdræ 1. & 2. Paralip. vltimo, ſibi regnum promitti & prædici nomenq; ſuum memorari in illis, dedit has literas ad omnes populos imperio ſuo ſubiectos, hęc dicit Cyrus Rex Perſarum. omnia Regna terræ dedit mihi Dominus cœli & terræ & ipſe præcepit

mihi

mihi vt ædificarem ei domum in Hieruſalem, quæ eſt in Iudæa qui ex vobis eſt in omni populo cuius ſit Dominus Deus ſuus, cum eo, aſcendat in Hieruſalem quæ eſt in Iudæa & edificet domum Dei Iſrael, hæc Cyrus reſtituit inſuper vaſa templi ablata, & in omnibus fauit Hæbreis templiq; edificationem promouit vt habetur in lib. Eſdræ & Ioſeph.

Ex hoc præclariſſimum eſt Principibus exẽplum imitationis factique opus, quod ad regni principatuſque inchoationem, felicemq; populi gubernationem egregie accommodari poteſt, Darius namque Rex alter ab illo primo Medo, cum multis impedientibns edificationem templi, & religioni aduerſantibus iuſſit præberi ſumptus de publico, non ſolum ad illud perficiẽdum ſed etiam ad ſacrifitia, ſic enim ſcribitur 1. Eſdræ cap. 1. & 30. cap. 3. & 4. vouiſſe, cum regnum iniret ſe edificaturum templum, quod cœptum reſtaurari ex decreto Cyri, poſtea flagitiosè incenderant Idumei, imo imperauit vt omnis Iudæorum regio foret immunis atque in libertate viuerent, tum ipſi tum filij tributaq; ipſis præſtarent ab Idumeis, ac ne quis eos læderet, mille equitum cuſtodiam dedit iter facientibus, quouſque Hieruſalem peruenirent. Artaxerſes Rex anno Regni ſeptimo, ita ſcripſit ego Artaxerſes Rex ſtatui atque decreui omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, qui ſunt trans flumen, vt quodcunque petierit à vobis Eſdras ſacerdos ſcriba legis Dei cęli, abſque mora detis, vſque ad argenti talenta centum, & vſque ad frumenti coros centum & vſque ad vini batos centum, & vſque ad batos olei centum, ſal verò abſque menſura, omne quod ad ritum Dei cœli pertinet tribuatur diligenter, in domo Dei cœli, ne forte naſcatur contra Regem Regis & filiorũ eius: Vobis

quoque

quoque notum facimus de vniuerſis ſacerdotibus & leuitis & cantoribus & Ianitoribus & Nathinęis, & miniſtris domus Dei huius, & vectigal & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. Tu autem Eſdra ſecūdum ſapientiam Dei tui quæ eſt in manu tua Dei tui conſtitue iudices & præſides vt iudicent omni populo, qui eſt trans flumen, his videlicet qui nouerunt legem Dei tui, & legem Regis diligenter. Iuditium erit de eo ſiue in mortem, ſiue in exilium, ſiue in condemnationem ſubſtantiæ eius, vel certe in carcerem. hæc Artaxerſes, non modo immunitatem, libertatemq; tribuens Iudæis ſed etiam mixtum merumve imperium concedens eis, ab Euphrate vſque ad terminos Palęſtinæ.

Cæterum ſingularem animi fortitudinem propenſamque in religione voluntatem cernere licet ex euerſione Regni Perſici, perdurante vſque ad Machabęos, ſedente enim Ioanne Pontifice qui & Ionatham vocatur. Ieſus eius frater ambiens pontificatum, à fratre Ioanne Pontifice necatus eſt, rixa enata; ob quam cauſam in ipſo templo, Quocirca propter huiuſmodi facinus indignatus Vogezes Artaxerſis Regis præfectus qui Ieſù interfecto faciebat templi penetralia quoties libuiſſet ingredebatur in Regis contemptum, neque ſinebat hoſtias offerri niſi tributo perſoluto, Ioſeph lib. 11. cap. 7. Ionatha verò defuncto ſuffectus eſt Iaddus, aduerſus quem frater Menelaus impetrauit à Sanabalatho, Darij præfecto, cuius filiam duxerat vxorem contra leges vt ipſe illo deiecto Pontifex conſtitueretur, ſi Darius Alexandrum Regem, qui iam bella mouerat ſuperaſſet. hic eſt Menelaus quem Neæmias à ſe reiectum narrat 2. Eſdræ cap. vltimo, atque è tem-

plo ſugatum quod alienigenam coniugem duxiſſet, ſed voto illius non reſpondit euentus, nam Darius eſt ab Alexandro deuictus. Religio verò fuit in cauſa, cur Iudæi priſtinam fœlicitatem, vel etiam maiorem diuinitus adipiſcerentur, cuius quidem facti ratio admirabilis dicenda eſt planeq; diuina quod Iaddus Pontifex Cydarim è qua lamina auréa cum diuini nominis inſcriptione pendebat, geſtans, in veſte, & ornata pontifitio ſolennique ſacerdotum pompa occurrit Alexandro Magno, armatas acies ducenti, aduerſus Iudæos hoſtiliaq; cuncta meditanti & ipſius Hieroſolymæ exciſionem, vbi tamen hic conſpexit Pontificem protinus ex equo deſiliens, & ad pedes Pontificis accedens vrbem gentemq; Iudęorum multis muneribus & priuilegijs ornauit, admirantibus ſuorum ducibus, atteſtatus, in Pontifice ſe Deum agnouiſſe, qui & ſibi in Macedonia apparuerat dormienti, proptereaq; ſe ad perſicum bellum commouerat, & cuius ope vincebat, quam ob cauſam voluit eidem ſacrificare Ioſeph 11. c. vltimo.

Præterea Antiochus magnus Iudęorum religionem admiratus quod partes ipſius in bello ſecuti eſſent, ita reſcripſit Ioſeph 12. cap. 9. conſtituimus propter pietatem eis præſtare ad imolationem victimarum & vini & olei & libaminis pretium argentorum viginti millia, & ad ſimilam, ſecundum prouincialem legem tritici modios mille quadrigentos ſeptuaginta quinque, & ſalis modios trecentos ſeptuaginta quinque, Præberi autem hæc eis volo ſecundum mea mandata, & opus templi conſtitui & porticus & quidquid aliud oportet refici, materia autem lignorum deponatur ex ipſa Iudæa, & ab alijs gentibus, & à Lybano nullo pro his exigen-

te

te vectigali. Similiter & in alijs clariſſimam templi geri volumus ædificationem. Cum hæc inquit author ſecundi lib. Machab. cap. 3. Sancta Ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam ad huc optimè cuſtodirentur propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat vt ipſi Reges & Principes locum ſummo honore dignum ducerent & templum maximis muneribus illuſtrarent, ita vt Seleucus Aſię Rex (qui Antiocho magno ſucceſſit) de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrifitiorum pertinentes.

Illud etiam præclarum eſt ad illuſtrandam religionis cuſtodiam quod contigit ſedente Onia, nam cum miniſter Seleuci Regis Heliodorus, nec quicquam repugnante Pontifice, vt depoſitas pecunias auferret auſus eſſet ingredi templum, ab equite terribili diuinitus apparente calcibus ad terram proſtratus eſt atque à duobus iuuenibus lęthaliter eſt virgis cœſus ita vt fermè mortuus indę fuerit exportatur ac uix ſanitati reſtitutus præcibus & ſacrifitijs Oniæ, 2. Machab. cap. 3. Quocirca re infecta coactus redire ſæpe aiebat ad Regem ſi quis eſt tibi hoſtis aut inſidiator Regni mitte illuc ac flagellatum recipies, ſi tamen euaſerit, & hucuſque quidem Iudæorum religio ſalua florenſq; ſemper perdurauit, poſtea verò omnia miſceri cœperunt concuſſo ſummi Pontificatus, ac ipſius religionis ſtâtu: nam Ieſus Onie frater qui & Iaſonem ſe nominabat Oeſtro ambitionis incitatus Antiochum Epiphanem conueniens promiſit ei argenti talentorum trecenta ſexaginta, & ex redditibus alia octuaginta ſingulis annis, ſi Oniam Pontificem depelleret Ioſeph lib. 12. cap. 18. 2. Machab. 3. 4. & 5. 13. ac ſe præficeret: Cumq; id obtinuiſſet eadem ratione depulſus fuit

à Menelao ſed & eiuſdem Menali ſtudio Onias necatus eſt Antiochiæ ab Andronico qui Menelaus depulſus ob non ſolutam pecuniam, & intruſus Lyſimachus, quo dein interempto, ille rurſus eſt euectus à Iaſone, deinde Hieroſolymis conſtituta fuere gymnaſia, in quibus præter grecas literas & ſuperſtitiones pueri edocti erant: Sic igitur conuulta pontificia poteſtate religioneque perturbata omnia in peius ruerunt. Iaſon enim cum bellum aduerſus Menelaum meditaretur, & Antiochus Epiphanes eodem tempore in Aegypto aduerſus Ptolomeum reuerſus hic victor, Iudæis inſenſus, eorum millia octuaginta occidit, quadraginta vinxit, totidemq; vendidit, ac ſuadente Menelao templi penetralia ſanctiſſima ingreſſus eſt, impuris manibus 2. Mach. 5. quæque attractando, euerſiſque impiè ſacris omnibus templum Ioui Olympio conſecrari ac Menelaum Pontificem Samariç mandans conſidere, templum aliud quod in ea erat Ioui hoſpitali dedicari imperauit, & omnem Iudæorum cultum & religionem aboleuit tranſire autem quemlibet ad impietatem gentium iuſſit, qui recuſaret occidi mandauit, vbi etiam ſeptem fratres qui Machabęi dicti ſunt, quod Machabęorum temporibus excelluerint occiſi, cum plurimis alijs, ita vt nunquam magis oppugnata fuerit & ad internecionem petita natio Iudęorum cum vera religione, in Paleſtina, donec Matathias cum quinque filijs exorſus confluentibus ad eum multis præliari cœpit aduerſus Antiochi duces, aras ab ipſo euerſas erexit imolanteſque aliquot Idolis occidit, & ſacras res in antiquum ſuum ſtatum perduxit, 1. Machab. 2. decedens autem ſibi in omnibus Simonem filium ſuum ſubſtituit, Iudam verò belli ducem aduerſus omnes impios præ-

poſuit,

poſuit, qui referens nobiliſſimas victorias ab Apollonio & alijs, recepit Hieroſolymam, templa, & ſacrifitia reparauit, ita vt Nicanor paſſim prædicaret Iudæis, eſſe Deum protectorem, non poſſe illos vulnerari, quod eius leges obſeruarent 1. Machab. 4.5. & 2.c.8.

Poſt hæc vicit Idumeos, ammonitas & alienigenas, qui conſederant in Galaad, quod cum audiſſet Antiochi Epiphanes incidens in morbum Deique iram in multis præſentiens palam iactauit ſe velle templum expoliatum reſarcire, atque Iudęos Athenienſibus equales facere, qui tamen doloſè hæc cogitans miſerabiliter interijt, atque ſimul poſt eum filius eius Antiochus cuius dux erat Timotheus, ingenti exercitu coacto, aduerſus Iudam fuſus eſt mirabiliter 2. Machab. 10. nam Machabeges & milites eius terra caput Cilicijſq; ſe induentes Deum præcati ſunt atque ſic ſumptis armis in hoſtes irruerunt pugnaq; vehementi commiſſa apparuerunt è cœlo demiſſi quinque equites frenis aureis decori, aciem Iudęorum præeuntes & ex eis Iudam medium circumdantes protegebant telaque, & fulminas inhoſtes Iudęorum faciebant. Sicque actibus religioſis totum exercitum cum Tenootheo, & fratribus ſuis, & Chęrea & Apollonio ducibus peremerunt. Sic contra Lyſiam ducem præualuit Iudas 2. Machab. 11. qui coactis militum octuaginti millibus, & equitatu plurimo pugnam commiſit cum Iuda, quo audito Antiochus pacem ſtatuere concluſit cum Iudæis, quam tamen aliqui miniſtri ſui interturbabāt. Præterea cum ſolum ſtrenuiſſimus dux Indorum, proſocis & aris, religionis cauſa depugnaſſet multaſque iam ciuitates inimicorum occupaſſet, tandem non habens niſi armorum ſex millia pretium

contulit aduerſus Timotheum qui ſub ſignis habebat peditum millia centum viginti, equites bis mille ſexcentos, victor tamen extitit.

Cum Antiochus Eupator ex altiſſima thurri impium Menelaum præcipitaſſet tanquam huiuſmodi diſsidiorum ſeminatorem inter Iudæos & reges, ipſe contra Iudam Machabeum experiri volẽs, fortitudinem ſuam peditum millia centum viginta equitum quinque elephantos viginti duos currus falcatos trecentos coegit, quamobrem Iudas cum tribus diebus Iudæos coram Deo in præcibus proſtratos imperaſſet, paucis ſuorum delectis noctu agreſſus caſtra Regis, hoſtium quatuor millia cecidit, & omnia tumultu, & terrore repleuit ita vt Rex fruſtra obſidens loca Iudæorum munita, cum nil proficeret audita ſuorum quadam defectione, coactus tẽporum neceſsitate pacem ſtatuit, Iudamque à Ptolomaide vſque ad Gerſenos Ducem & Principem fecit.

Eodem modo cum Demetrius Seleuci filius adiunctis plurimis Iudæorum diſſentientibus cum Iuda hominibus parum religioſis Nicanorum miſit, iſque non armis ſed aſtu rem perficere volens Hieroſolymam venit, paceque conſtituta effecit, vt Alcimus Pontifex fieret, hic cum machinaretur mortem Iudæ iſque propterea fugiſſet, vẽtum denique eſt ad pugnam vbi inuocato Dei auxilio Iudas millia triginta quinque ex hoſtibus ſubegit, Nicanorem quoque interemit, & Hieroſolymam iterum recepit 2. Machab. 4. 15. cum verò totus eſſet Iudas precibus deditus ſomnoq; facto vidit Oniam Pontificem qui pro Iudæis Deum exorauit, & Hieremiam, qui Iudæ dextra extenta aureum gladium porrexit, dicens accipe ſanctum gladium munus à

Deo

Deo in quo deijcies aduerſarios populi mei.

Quibus ſic fortiter peractis pacẽ inijt Iudas cum Romanis atque ibi pugnaturus contra Bacchidem & Alcimum duces Demetrij ſuccubuit, 1. Machab 8. ex illo inquit ſacra ſcriptura emerſerunt iniqui in omnibus finibus Iſrael, & facta eſt fames magna valde, & tradidit ſe Bacchidi omnis regia, omneſque amici Iudæ necabantur. Cui ſuffectus frater eius Ionathas, qui Bacchide perempto Alcimoque paralyſi ſublato, expulſiſque omnibus qui non bene de religione ſentiebant fędus cum pertiatis & Romanis antiquum renouauit 1. Macha. 10. & 9.

Huic ſucceſſit in pontificatu Simon frater eius ſapientiſſimus, qui patri ſepulchrum ac fratribus peremptis ædificauit patrociniumq; religionis aſſumpſit atque ex hoc ſunt omnino immunes Iudęi, ab omni tributo ſicque ſcribere cœpit de eo populus in tabulis publicis 1. Machab. 12. anno primo ſub Simone ſummo ſacerdote, magno duce & Principe Iudęorum per eum capta eſt ars Hieroſolymæ quæ detinebatur ab alienigenis, Gaza item Ciuitas & Ioppe, renouataq; eſt amicitia cum Romanis & ſpartiatis maximaq; per annos ſeptem vſi ſunt fœlicitate Iudæi.

Poſt hunc Io. dictus Hircanus Simonis filius pontificatum geſsit fœliciter, & quando ad ſuptemam prope ætatem, veræ pietatis cultor extitit, tale promeruit à Ioſepho elogium: Hircanus poſt ſeditionem ſedatam fęliciter vixit & principatum optimè rexit annis triginta, & vno, defunctuſq; reliquit filios quinque, qui maximè his tribus rebus dignus à Deo iudicatus eſt, magiſtratu populi, principatu ſacerdotij, & prædictione prophetiæ nã Deus cum eo erat, & futurorum præſcientiam ei donauit, ita enim

enim cognoſcebat, & prædicabat, vt etiam de duobus filijs prædicaret rerum Dominos non diutius permanſuros Ioſeph lib. 13. cap. 19.

Hucuſque ſacri Machabeorum libri teſtãtur eorundem in veram Dei religionem cõſtantiam, conſtantem & eiuſdem conſeruandæ mortis appetitionem, quod quidem magno chriſtianis principibus & ducibus ſtimulo eſſe debet, atque incitamento, ne ſegnes deſideſq; in Reipub. vtilitate religioneq; catholicæ propugnanda reperiantur ſi enim Reges Perſarum alio qui alieniſſimos à fide chriſtianorum ipſis Iudæis tot tantaq; ſubſidia ob religionem con ſtanter conſeruatam præſtiterunt, magnoq; ad hoc exercitu eorum bona res, & ciuitates defenſarunt, quid non chriſtiani Imperatores Reges Principes & Duces religioſiſsimi audebunt pro ea quam ipſi cum lacte materno imbiberunt religione conſeruanda?

Quod ſi hæc minus quemquam mouere poterũt, ſane ſanctorum patrum ſanctiſsimorumq; Pontificum & Imperatorum religioſiſsimorum decreta vehementius vrgebunt, nihil verò quamuis ſanctiſsimum laudatiſsimumq; promouebit negligentem reique ſuæ & animæ ſalutis non curantem opus, at zelo Dei inflammatis, vel minimum tota calcar dabit, extremum quidquid pro religione Deique recto cultu ſubire.

Id ipſum attendentes ſancti Dei, & Eccleſiæ Romanæ Doctores vigili cura ſanctoq; labore ſuorum temporum Imperatores ad hoc genus bellicum exhortati ſunt, vnde Sanctus Augu. 5. Ciuit. c. 27. affirmat Conſtantinum Imperatorem fęliciſsimũ quod
,, chriſtianam religionem coluerit Nam bonus Deus
,, inquit ne homines qui cum crederent propter ęter-

nam

„ nam vitam colendum has ſublimitates & terrena
„ regna exiſtimarunt poſſe neminem conſequi, niſi
„ dęmonibus ſupplicarent. quod hi ſpiritus in talibus
„ multum valeret Conſtantinum Imperatorem non
„ ſupplicantem dæmonibus ſed ipſum verum Deum
„ colentem, tãtis terrenis impleuit muneribus, quan
„ ta optare nullus auderet. Cui etiam condere Ciui-
„ tatem Romano Imperio ſociam, velut ipſius Romę
„ filiam ſed ſine aliquo dæmonum templo ſimula-
„ croq; conceſſit, diu imperauit, vniuerſam Vrbem
„ Romanam vnus Auguſtus tenuit, & defendit, in
„ adminiſtrandis & gerendis, victorioſiſſimus fuit, in
„ tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt,
„ grandæuus ægritudine, ſenectute defunctus eſt, fi-
„ lios imperantes reliquit.

Sanctus Gregorius Theodoricus Francorum Re
„ gi: Studete eſſe ſolliciti vt per hoc quod Dei noſtri
„ inimicis fideliter repugnatis, & hic fœliciter ipſius
„ protectione regnetis: rurſus ad eundem regno verò
„ per omnia profuit, ſi quod contra Deum in illis par
„ tibus geritur emendatione veſtræ eccellentiæ cor-
„ rigatur (& ad Brunechildim Reginam) in terrenis
„ etiam rebus ſemper cauſa damni eſt origo peccati:
„ Vos igitur ſi eminere aduerſantibus gentibus vul-
„ tis, ſi earum authore Deo victrices exiſtere deſide-
„ ratis, eiuſdem omnipotentis Domini cum timore
„ præcepta ſuſcipite vt ipſe pro vobis contra aduer-
„ ſarios veſtros pugnare dignetur qui per ſacrum elo-
„ quium pollicitus eſt dicens Dominus pugnabit pro
„ nobis & vos tacebitis: (& ad eãdem) cum ſcriptum
„ ſit iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit po-
„ pulos peccatum, tũc regnum ſtabiliri creditur cum
„ culpa quæ cognoſcitur, citius emendatur.

Sanctus Cyrillus lib. de recta in Dominum no-

ſtrum Ieſum Chriſtum fide ad Imperatorem Theo
„ doſium, Præclarì (inquit) Imperij veſtis ſummum
„ præſidium eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nam
„ per illum Reges regnant, & potentes ſcribunt iuſti-
„ tiam, ſicut ſcriptum eſt, eſtque illius potentiſſima
„ voluntas ſolusque modus boni operis impletio, di-
„ ſtribuit autem promptè diligentibus omnia quæq;
„ admirabilia, & laudabilia atque eximia ad hæc quæ
„ diximus demonſtranda ſufficiunt, vel ea quæ veſtræ
„ maieſtati donata ſunt, & ad huc danda vt credimus.
„ Quod autem glorioſa in Deum pietas regijs hono-
„ ribus immobile ſit fundamentum etiam ex ipſa ſan
„ cta diuinaq; ſcriptura docere attentabo idque quan
„ ta fieri poteſt breuitate; Nam plurimi olim fuere
„ qui Iudæorum terræ præfuerunt, & regni illius glo-
„ riam rexere, ſed qui ex illis Imperij reuerentiam in
„ Deum nihil faciebant, & legem iuditij adminiſtra-
„ tricem contemnebant, ſibiq; in amore ſui indulge-
„ bant plurimum miſeri & mali malè perierunt, gra-
„ uiſſimum enim eſt offendere Deum, & offenden-
„ dum illum, vel in illo ab æquo deficere: Qui verò
„ ex illis pietatis in Deum cultores erant, & fideliter
„ quæ illi placent obſeruabant ſine labore vincebant
„ inimicos, & aduerſarijs præualebant: hæc Sanctus
Cyrill. qui pluribus ea deinceps exemplis probat.

Sanctus Ioannes Papa ad Iuſtinianum Impera-
„ torem: Quamobrem glorioſis Principum votis om
„ nibus exorabitur, diuina prouidentia, vt pietatem
„ veſtram in hoc ardore fidei in hac deuotione men-
„ tis hoc integro religionis ſtudio ſine defectu ſui, in
„ longiora tempora conſeruet, hoc enim & ſanctis
„ credimus eccleſijs expedire, ſcriptum eſt enim la-
„ bijs regitur Rex, & iterum cor Regis in manu Dei
„ eſt, & vbi voluerit inclinabit illud, hoc eſt enim

quod

„ quod verum firmat imperium, hoc quod veſtra re-
„ gna conſeruat, nam pax eccleſiæ religionis vnitas,
„ authorem facti in ſublime prouectum, grata ſibi
„ tranquillitate cuſtodit, neque enim pauca ei viciſ-
„ ſitudo à potentia diuina tribuitur, per quem nullis
„ rugis eccleſia diuina ſecernitur, nullis inſertis ma-
„ culis variatur, ſcriptum eſt enim quia cum Rex iu-
„ ſtus ſederit ſupra ſedem non aduerſabitur ei quid-
„ quam malignum.

Carolus Magnus ad Elipandum Toletanæ ſedis Epiſcopum & alios Hiſpaniæ Epiſcopos, qui inciderant in hæreſim, ſaracenorumq; imperio oppri-
„ mebantur, nunc verò (inquit) duplici pro vobis af-
„ fligimur mœrore, diabolica fraude deceptis in cor-
„ de, & inimica ſeruitute oppreſſis in corpore, ſed re-
„ dite obſecro ad vnitatem ſanctæ matris eccleſiæ, vt
„ vos eruat de anguſtia ſeruitutis terrenæ, & mox ex-
„ pellite vincula, diabolicæ exceptionis, de cordibus
„ quatenus Deus Chriſtus qui ſoluit compeditos ex-
„ cutiat cathenam gentis inimicæ de manibus veſtris,
„ habetis nos diuina auxiliante gratia cooperatores
„ gaudij veſtri, ſi vos nobiſcum catholicæ fidei vultis
„ eſſe prædicatores.

Antoninus Philoſophus Imperator cum narraſſet victoriam ſe conſecutum nobiliſſimam precibus
„ Chriſtianorum qui fulmina in hoſtes barbaros im-
„ petrarunt: Iam nunc igitur (ait) permittimus eſſe
„ chriſtianos huiuſmodi hominibus ne fortè contra
„ nos tale quodpiam cęlum poſtulando impetrent.
„ Hæc iſte, aſſerens diuinitus puniri in hac vita inimi-
„ cos catholicæ religionis.

Maximianus ac Maximinus Imperat. cum poſt commotas in catholicam religionem perſecutiones viderent ſe ſe plurimis modis affligi, eorum Res in

deterius labi, cõfeſſi ſunt, idcirco ſe temporalibus pęnis affici, quod catholicam religionem impeterẽt. Ait Euſebius in vita Coſtantini lib. 1. c. 51.

Poſtremò CLEMENS VIII. modernus PONTIFEX OPT. MAX. ad SERENISSIMVM ARCHIDVCEM AVSTRIAE FERDINANDVM
,, in Styria regnantem: Attendere nobiſcum & dili-
,, genter conſiderare volumus in quanta dilectione
,, ſedis Apoſtolicæ, quantaq; gloria, & laudibus ferè
,, per orbem terrarum progenitores tui Imperatores
,, & Reges Clariſſimi & famoſiſſimi habiti fuerint Dũ
,, illorum imperialis regiaq; maieſtas in amplifican-
,, dis & defendendis eccleſijs pia ac deuota conſtitit,
,, in tenendo iuſtitiam libera, & diſtricta permanſit.
,, Quorũ tũc virtus totiusq; Imperij regnorũq; gloria
,, decus honor & prouincia ſublimior facta eſt quan-
,, do iura diuina pariter & humana tantum maieſtatis
,, ſibi culmen æquum rectum acceperunt. Vt igitur
,, eorum quorum ſucceſſor es in Regno nobilitatis &
,, gloria apud Deum & homines ſingularis & indiui-
,, duus hæres exiſtas, virtutem illorum conſtantiam
,, zelumq; pro Dei domo ſummopere te inuitari, &
,, iuſtitiã Dei totis viribus exequendo eccleſias quan-
,, tum potes reſtaurare, fidemq; auitam progenitorũ
,, tuorum defendere & conſeruare exhortamur.

CAPVT XII.

Quid ſit vera religio?

VT Reſpublica Dei cultu, & vitæ puritate optimum & pulcherrimum exitum cõſequatur, neceſſe eſt religionem ſummam & optimam virtutẽ, ac veluti fundamentum reliquarum excolere; hæc enim eſt virtus cuius cauſa nos conditos, ac in hanc

lucem

lucem editos tam philoſophi quã orthodoxi Patres docuerũt, vt ſcilicet laudẽ & nomen & gloriã præpotentis Dei ritè, & reuerenter veneremur, hoc verò ſumma eſt religio. Quod ergo quiſquis conſecutus non fuerit reliquum illi eſt, vt ingenuè fateatur ſe fruſtram conditum, atque in hanc lucem productum eſſe. Hoc Lactant. firm. lib. 3. inſtit. cap. 10. multis rationibus probare nititur, hanc ſolam eſſe virtutem, quæ verè, & propriè homines à brutis diſtinguat animantibus, cæterarum enim partium rationis, prudentiæ, ac ingenij ſegregatis, memoriæ & iuditij, in brutis magna expreſſaq; veſtigia, ac longè nonnunquam maiora quam in pleriſque hominum manifeſtè apparẽt, at Deum cognoſcere cognitum deſiderare, deſideratum quærere, quæſitum inuenire, inuentum amare, amato potiri, ab eoque omnem ſpem fœlicitatis & incolumitatis ſuæ expectare vltra hanc vitam, & vltimos cineres, alteram longè meliorem vitam ſperare, hoc decus & ornamentum humanæ naturæ cenſeri debet, ſummum igitur bonum hominis in ſola religione eſt.

Nam cætera etiam quæ putãtur homini eſſe propria in cæteris quoque animalibus reperiũtur, cum enim ſuas voces proprijs inter ſe notis diſcernunt, atque dignoſcunt colloqui videntur, ridendique aliqua in his apparet ratio, cum demulſis auribus contractoque rictu, & oculis in laſciuam reſolutis, aut homini alludunt, aut ſuis quiſque coniugibus ac fœtibus proprijs, nonne aliquid amari mutuo & indulgentiæ ſimile impartiunt? Iam illa quæ ſibi in futuram proſpiciunt & cibos congregant habent vtique prouidentiam, rationis quoque ſigna in multis aduertuntur, quando enim ſibi vtilia appetunt, mala prę cauent, pericula vitant, latibula ſibi parant

in

in plures exitus diſparentia, profectò aliquid intelligunt, poteſt ex his omnibus aliquis negare ineſſe rationem cum hominem ipſum ſæpe deludãt? nam quibus generandi mellis offitium eſt, cum aſſignatas incolunt ſedes, caſtra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt Regi ſuo deſeruiunt, Neſcio an his inſit perfecta prudentia?

Incertum eſt igitur vtrum ne illa quæ homini tribuuntur, communia ſint cum alijs viuentibus, religionis certè omnino ſunt expertia. Qua de re Ciceronis verà eſt ſententia, ex tot inquit generibus nullum eſt animal præter hominem quod habeat notitiam aliquam Dei, neque vlla gens eſt, in toto hominum cœtu, quantumuis barbara, indomita, fera immanſueta quæ etiam Deum vnum ignoret, non tamen reum aliquem habendum diffidit, ex quo efficitur quod is Deũ agnoſcat qui vnde ſit ortus recordatur. Qui ergo Philoſophi volunt animas hominum omni metu liberare tollant etiam religionem, & orbant homines ſuo proprio, ac ſingulari bono, quod eſt ab omni humanitate, & rectè viuendi inſtitutione alienum: ſicut enim Deus cuncta ſibi ſubiecit animantia, ſic ipſum hominẽ ſibi ſoli, quid verò eſſet quod ipſi diſputant, eo dirigendam eſſe mẽtem, quo vultus erectus eſt ſi enim nobis cęlum aſpiciendum eſt, ob nil certè aliud quam ob religionem, ſi religio tollitur, nulla nobis cum cęlo ratio ſupereſt. vtique autem eo eſt ſpectandum aut in terram procumbendum, in terram quidem procumbere non poſſumus niſi velimus, cum omnis ſtatus rectus ſit. Ait Ouid.

Pronaq; cum ſpectent animantia cętera terram
Os homini ſublime dedit cęlumq; tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Con-

Conſentit & Plato cum de nomine Antrhopi ait in Cratillo, & Xenophon παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται θεοὺς σέβειν, ideſt primũ ante omnia exiſtima Deũ colere oportere. In cęlum igitur ſpectandum eſt quo natura corporis prouocat, quod ſi conſtat eſſe faciendum, ideo certè faciendum eſt, vt religioni inſeruiamus quam qui non ſuſcipit ipſe ſe proſternit in terram, & vitam pecudum ſecutus humanitate ſe abdicat, & in iſta religione propria laus hominis cum priuatim tum publicè conſiſtit, teſtatur hoc ſacra ſcriptura Deuter. 4. hæc eſt enim inquit Moyſes veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa pręcepta, hęc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna, quæ eſt enim alia gens tam inclita, vt habeat Męonias iuſtaq; iuditia, & vniuerſam legem quam ego proponam hodie ante eculos veſtros?

Neſcius non ſum varijs modis vocabulum hoc religionis accipi, vt pro ceremonijs Exod. 12. Si dixerint filij veſtri, quæ eſt iſta religio &c. & poſtea, hæc eſt religio, Phaſæ. Iacob. 1. hæc eſt religio viſitare pupillos, Hinc iuriſiurandi religio. l. 1. ff. de iure iur. item loca religioſa. §. religioſum. de rerum diuiſ. l. 2. §. prætor ait. ff. de relig. & ſump. fun. & regulares religioſi dicti, quia arctius ſe aſtrinxerunt ad cultum, ſicut liquet ex titulis de regul. & tranſ. ad rel. Religionem facit inquit Arnob. lib. 3. ſatur. c. 3. & Gellius lib. 4. c. 9. recta de Deo mens, per tranſlationem & religioſa ea dicuntur quæ honore maximo veluti diuinis digna ſunt, vel propter Deum qui in illis honoratur, vel quod in illis vis quædam vel conſideratio numinis habeatur, vel ex mandato, vel ex conſenſu hominum, ſeu ex opinione vt ait Plin. lib. 9. cap. 45. Lactantius verò inſtit. lib. 4. cap. 28. di-

cit

cit religionem non à religendo vt Cicero ſed quod hac conditione gignimur vt generanti nos Deo iuſtã, & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur & hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſumus vnde ipſa religio nomen accepit. Denique abſque religione leges exulant, Reſpublica autem rectè gubernari, vitia coerceri, virtutes inſeri nullo modo poſſunt, deficiunt enim leges ad vitia, quæ clam & per potentiã committuntur, & ideo religione metuq; numinis diuini tanquam potentiſſimo euſtode opus eſt. quo enim parentes, quo magiſtri, quo iudices, quo cenſores, quo confeſſores penetrare non poſſunt ipſa eo religio peruenit: quod omnes effugit illa tenet quod omnes latet, illam latere non poteſt, religione namque vitam noſtram conſtare dixit Plin. lib. 14. c. 19. ſunt ſcintillæ & naturales igniculi quibus in homine numinis diuinæq; notionis conſeruatur ſignum, quod non omnino ſine ſumma impietate extingui vel elidi poſſunt, ſignatum eſt inquit Dauid Pſal. 4. „ ſuper nos lumen vultus tui Domine quo lumine extincto perfractiſq; eius clauſtris cætera omnia facile læduntur, ac contemnuntur.

Ex quo non fruſtra illud præclarum ſuis legibus principium præfixerunt priſci ſapientes vt ſit hoc à principio omnibus perſuaſum, dominum eſſe omnium rerum, ac moderatorem Deum, eaque quæ geruntur eius geri iuditio, ac numine eundemque optime de hominum genere mereri, & qualis quiſque ſit, quod agat, quod in ſe committat qua mente, qua pietate religionem colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem, quod his certè rebus impulſæ mentes haud abhorrere poſſint, ab vtili, & vera ſententia, illudque magis & expreſſius

Chriſtus

Chriſtus filius Dei viui per ora Prophetarum & Apoſtolorum Sanctorumq; Patrum ſcripta, & ſanctæ ſuæ ſponſæ matris Eccleſiæ documenta edocuit quando edificaturus hic in terris Rempublicam aduenit, & ciuitatem nouam, cui idcirco nomen nouum impoſuit, non inane, nec ſine cauſa neque ſuperuacaneum, ſed gloriæ amplitudine, & ſumma pietate decoratum, appellauit autem hanc ciuitatem eccleſiam, non quæ propria duceretur cupiditate, ſed quæ diuini numinis ſui nutu regeretur quæque diuinæ voluntatis ſuæ vltrix eſſet, & illius imperio ſummo ſtudio pareret & obſequeretur, ac denique ſempiterno parenti & Chriſto Domino filio eius dicata & deſponſata permaneret, cuius imbuta præceptis & diſciplinæ ſanctiſſimæ documentis inſtituta illius ſemper infallibiliter ſequeretur veſtigia, quod Sanctus Ioannes præclarè admonet

„ 1. Ioan. 2. Qui enim dicit ſe in Chriſto manere de-
„ bet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare, & hæc eſt
„ religio vera, & immaculata Chriſti ſponſa Eccleſia
„ ſancta Romana fidesq; catholica.

Vnde Clemens Alexand. lib. 2. ſtrom. hanc pietatem eſſe dicit & religionem & cultum Dei ſcire quomodo vtendum faciendum ſimulq; laborandũ ſit, vt per rationem quaſi per pontificèm quæ iuſta ſunt, & honeſta dignoſcentes ea Deo offeramus: ſic enim ille inquit fieri non poteſt, indoctum quãdiu indoctus eſt Philoſophari, cum ſapientiæ vim non perceperit & Philoſophia ſit appetitus verè entis, & quæ ad hoc referuntur ſcientiarum, & quamuis in recto agẽdo ſe aliqui exercuerint, ſcire tamẽ quomodo vtendum faciendum ſimulq; laborãdum ſit in quo quis Deo fit ſimilis, Deo inquam ſaluatori, Deum vniuerſorum colens per rationem, quaſi pon-

tificem, qua nos, quæ verè honeſta, & iuſta ſunt proſpicimus, Pietas eſt; conſequens eſt actio & aſſecla Dei, pietas autem ſeu verus Dei cultus à Deo donatur ſpiritus ſancti afflatu, fides verò gratia dicitur quod nullis noſtris præcedentibus meritis à Deo nobis munificè concedatur, & ea gratis accepta, & lauacri ſigillo obſignata, nos iuſtos Deoq; gratos & acceptos reddat, cum verò fidei lumine ad obſequendum Deo feramur, diuinæ illius voluntatis arcana certo cognoſcimus. Quod Clemens dixit, eſt donum doctrina pietatis, gratis quoque fides, facientes enim Dei voluntatem, in ſuæ voluntatis cognitionem venimus religionis igitur & pietatis eſt fides, fides inquam informata charitate in eaque firmiter radicata: quo fit vt ad conſequēdam ſalutem æternam eccleſiæq; Dei ſanctiſſimæ muneris participationem, nequaquam ſatis ſit credere, niſi eius & eccleſiæ præceptis pareamus, iuſteq; ſobriè ac caſtè viuamus. Neque ideo Abraamum dicit Paulus iuſtitiam conſecutū, quia credidit, ſed imo quia Abraam præclaris ſe ſe virtutum, & eximijs operibus exercuit, omneſq; animi neruos contendit eoque extendit, vt imperata à Deo efficerētur, factum eſt, vt fide extimulatus, iſthæc omnia præſtitit & vitam æternam à Deo conſecutus fuerit quod Apoſtolus Paulus præclare ad Epheſios cap. 3. nos inſtru
„ xit. cum enim dixiſſet, huius rei gratia flecto genua
„ mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ex quo
„ omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur vt
„ det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem
„ corroborari per ſpiritum eius in interiorem homi-
„ nem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, mox declarans ſe talem fidem intelligere in cuius non modo fuctu ſed etiam radice charitas velut

fun-

ſundans iuſtificationem noſtram adeſſet. Continuo
„ ſubiecit in charitate radicati & fundati vt poſſitis
„ compræhendere cum omnibus ſanctis quæ ſit lati-
„ tudo & lõgitudo & ſublimitas & profundum ſcire
„ etiam ſupereminentem charitatem Chriſti, vt im-
„ pleamini in omnem plenitudinem De : qui enim
Chriſto nomen fidemq; dederunt, cum ſuo dono,
in habitetur Chriſtus per fidem in cordibus eorum,
non charitatẽ veluti fidei fructum quod inepte qui-
dam aſſerunt, proferunt, ſed fundantur radiceſque
altiſſimas agunt in charitate Dei, adeo vt fructus bo
norum operum qui poſtea producũtur non minus
ex charitatis quam ex fidei radice & fundamento
generentur.

Opera enim moralia quæ proficiſcantur à natura
vel ab inſtitutis Philoſophiæ ad ciuilem quidem
proſunt ſotietatem & ad hominum interſe offitia,
ac commertia, ad regnum autem cęlorum, & ad ſu-
pernam fęlicitatem ea pertinent, quæ fides gremio
& complexu ſuo continet, & ex illius ſunt fęcundi-
tate generata, quippe quæ Deus ſua diuina præmu-
nit gratia, oportet itaque fidem in Deum ita ſuſci-
pere, vt illi per charitatem perpetuo adhereas man-
dataq; eius obſerues eoque omnes actiones dirigas,
in quo frui aliquando ſperas eiuſq; perpetuo tenea
ris deſiderio, neque ita leuiter ipſum pertractes vt
cum ſemel ipſum inueneris, ſtatim occaſione, vel
rerum mundanarum, vel voluptatum illecebris il-
lectus eundem dimittas, hoc enim indignum eſt &
ſapientia, ipſiuſq; bonitati minime conueniens. Si-
cut enim Deus ſpiritus eſt, ita eius viciſſim oportet
eſſe ſpirituale deſiderium in Deo enim non eſt ali-
quid corporeum, aut temporale, aut terreſtre, ne-
que oculis videtur, aut auribus auditur, à ſæculo

„ enim non audierunt (inquit Eſaias cap. 64.) neque
„ auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſque
„ te, quæ præparaſti expectantibus te.

Ideo mihi optimè & ſapienter dixiſſe videtur Clemens Alexand. lib. 1. pedagogiæ c. 1. Dei cognitionis fundamentum eſſe vitæ æternæ appetitum deiectum in agrum ſpiritualem: Vnde quod ſupra dixit Paulus de longitudine latitudine & profunda &c. non ad quantitatem ſeu extenſionem corporalem dicta intelligas, ſed vt Dionyſius de diuin. no. c. 9. per profunditatem Dei intelligitur incomprehenſibilitas illius eſſentiæ, per longitudinē proceſſus virtutis eius omnia penetrantis, per latitudinem verò ſuperextenſio eius ad omnia inquantum ſcilicet ſub eius protectione omnia continentur: eſt itaque fides religionis ac pietatis fundamentum, fides in quam in Ieſum Chriſtum. Chriſtus autem eſt lapis angularis in quo omnis ędificatio creſcit in templum ſanctum in Domino Ephe. 2. quod eſt eccleſia à Chriſto ſupra Petrum edificata, cui & nomen nouum impoſuit quæ afflante ſpiritu ſancto Chriſtum filium Dei eſſe, & humani generis ſaluatorem conſtanter aſſerit.

Hoc ipſum inſinuare videtur Iſaias cap. 45. dum in ſpiritu Dei præuidens Chriſtum totum genus humanum morte & paſſione liberaturum atque exinde ſibi ciuitatem nouam, ideſt, eccleſiam efformaturum non habentem maculam, aut rugas dicit,
„ ipſe ædificabit Ciuitatem meam dicit Dominus
„ exercituum. quæ verba non de alio Rege inquit Euſebius lib. de demon. euang. c. 4. quam de Chriſto intelligenda ſunt, qui ædificaturus pietatis & religionis Rempublicam exules & extorres in eiuſdem libertatem reſtituturus eſt; ſic etiam confirmat Pro-

cob.

cob. hic Rex inquit vrbem ędificaturus erat pro vt
„ ipſe promiſerat Petro Matt. 16. Super hanc petram
„ edificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præ-
„ ualebunt aduerſus eam.

Quæ vrbs ſeu eccleſia credentium religionisq́ue domiciliũ non ex ligno, aut lateribus, cementoq́;, vel ſtuppa ſed ex viuis lapidibus conſtruitur, in quibus ſuſcitat filios Abrahæ cuiusq́; gloriam magis alio capite 5. 62. prædictus Eſaias ſacer vates am-
„ pliando docet inquiens; & vocabitur ibi nomen no-
„ uum quod os Domini nominauit, & eris corona
„ gloriæ in manu Domini & Diadema regni in ma-
„ nu Dei tui non vocaberis ait Sanctus Cyrillus amplius ſynagoga, aut virum non habens ſed vocaberis nomine tuo, quod erit tibi peculiare, appellaberis enim eccleſia quod eſt nomen nouum quod Dominus tibi impoſuit, quando dixit tu es Petrus & ſuper hanc petram edificabo eccleſiam meam.

Nec hoc ſolo nomine authoritas & magnificentia plena eccleſiæ demõſtraretur niſi Chriſtus idem Deus & homo eandem alijs priuilegijs & monili-
„ bus decoraſſet ideo prædictus Eſaias 61. gaudens
„ (inquit) gaudebo, & exultabit anima mea in Deo
„ meo: quia induit me veſtimento ſalutis, & indu-
„ mento iuſtitiæ circundedit me. Quocunque verò modo eadem prædicta verba intelligantur dubium non eſt quin Ieſus ſaluator intelligatur vnitus hipoſtaticæ humanæ naturæ atque ſibi eccleſiam hanc in ſponſam, & ſociam indiuiduam aſſumpſit, nam ſancti Dei Apoſtoli & Euangeliſtæ Ieſum ſalutare
„ Dei appellarunt Luc. 1. quia viderunt oculi mei ſa-
„ lutare tuum, & Apoſtol. ad Gal. 3. Rom 13. Quot
„ quot baptizati eſtis Chriſtum induiſtis (&) induite
„ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ecce quam

con-

concinnant Propheta & Apoſtolus ille dicit veſtimento ſalutis & indumento iuſtitiæ circumdedit me hic verò Chriſtum induiſtis quod pariter intelligunt omnes Sancti Doctores.

Sanè exultatio iſta inenarrabilis gaudiumq; in explicabile hoc eſt, quod non baptizati ſumus ſimplici in homine, vt aiunt infideles dum poſt baptiſmum idem numero & ſpecie, neque latior aut pinguior, neque longior, aut breuior reddit ſed baptizamur in Deum hominem factum remittentem nobis pęnam & priora crimina ſibi nos etiam adiungit à peccatis abſolutos atque ſpiritu ſuo, nos replens, qui ex ipſo & patre ſuo procedit vt ſimus gens ſancta, & regale ſacerdotium, hæc eſt ſumma Dei in nos beneficẽtia, & benignitas ſaluatoris noſtri quod cum peccatorum corruptione & eluuiæ volutaremur iniquitatum, ipſe naturam noſtram induens & tanquam protomedicus ægrotantium triſtes morbos ſanauit, & non ſolum iam morbis diuexatis ſed inter numerum mortuorum recenſitis, atque præ peccatorum fœditate iam graue olentibus ſolus ipſe paternorum ſuorum viſcerum affluentiam nobis impartiuit, noſq; ſuo ſtudio, & cura beneuola præter cuius piam noſtrorum ſpem & expectationem ſeruauit: ille ille, qui eſt vitæ author lucis largitor magnus & eximius medicus. quotquot ergo baptizati ſumus inſter veſtimenti animorum noſtrorum mirabili ſacramento induimus hunc Chriſtum Ieſum.

Sanctus Cyrillus in Geneſim lib. 9. in principio quærit quæ nam ſint illa veſtimenta quibus homo indutus eſt & reſpondit ſibi, illa eſſe quæ Paulus eo loci conſuta expãdit, quotquot baptizati eſtis Chriſtum induistis &c. quod Euſebius hiſt. eccl. lib. 10.

cap. 4. enigmaticè nobis inſinuare voluit, dum de templo illo Salomonis quo nihil ſplendidius & magnificentius excogitari potuit auro argentoque radiante, cędris alijſque odoratiſſimis arboribus flagrante, ſermonem faciens dicebat, id quod dictum
„ fuit ab Aggeo Proph. c. 2. magna erit gloria domus
„ iſtius poſterioribus quam prioris; de illo templo quod inſtaurabatur intelligi nullo modo poſſe viſum eſt aliquibus, quorum tamen ſententia alijs minime probatur quippe quod non de templo illo quod edificabatur à filijs captiuitatis, ſed quod reedificatum ab Herode, hæc intellexerunt eiuſq; gloriam maiorem fuiſſe quam prioris, ex præſentia ipſius ſaluatoris & ex ipſa operis magnificentia videtur euincere.

Verum quidquid ſit ſub illis verbis altiſſimum latere ſacramentum nulli dubium eſſe debet, cum enim dixiſſet glorioſius futurum templum ſecundum, procul dubio prius nunquam in tanta ſplendoris & excellentię amplitudine fuiſſe declarat Vn-
„ de adiecit adhuc vnum modicum eſt, & ego com-
„ mouebo cęlum & terram & mare, & aridam, & mo
„ uebuntur omnes gentes & veniet deſideratus cun-
„ ctis gẽtibus: quaſi diceret vos quidem edificatis domum Domini, ſed ego à paruis initijs eandem exurgere faciam in altiſſimum montem & ſignaculum omnibus gentibus, tunc verò poſt quam commota fuerint omnia elementa, prioris quidem tẽpli ſplendoris & excellentiæ tantæ erat affluentia, quod ſacerdotes Domini non poterant ſtare & miniſtrare propter nebulam: impleuerat enim ait facer tex. 3. Reg. cap. 8. gloria Domini domum, at nebula illa aliud non erat niſi figura & prototypon præſentiæ ſaluatoris noſtri. Longè verò maius ſacratiuſque

eſſe debet figuratum quam ipſa figura, ſic Chriſtus ipſe præſens carne noſtra, & humana natura inuolutus, quam reſplendentia quædam illius præſentię
,, ſic enim audiuit omnis populus Ecce filius meus
,, dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite, vn-
,, de & ipſe Chriſtus ait ſoluite templum hoc (Io. 2.)
,, & in tribus diebus excitabo illud erat enim primũ illud templum Hieroſolymorum figura corporis Chriſti quod dirutum à Babilonis, & Chriſtus occiſus à Iudæis, in cuius ſignum & hodie Babilon Hieroſolyma dicitur, quod typus fuerit Hieroſolymorum Babilon, multo ergo glorioſius eſt tẽplum ſecundum, quam primum maiorique cum triumpho, & authoritate reſurrexit illud corpus Chriſti mortuum vtpote virtute propria, & diuina: Prius verò humana arte & induſtria: Inſuper nobis & eccleſiæ ſuæ ſplendoris & immortalitatis ſpem donaque contulit atque mortem ſuperando vitam æternam reſurrectione ſua reparauit, de qua re ſic concludit Euſeb. 10. hiſt. eccl. c. 1. nam quoniam paſtor illius & Dominus Ieſus, ſemel pro ipſa mortem oppetijt, & poſt paſſionem corpus mortale, & caducum quod eius gratia induerat in glorioſum & immortale commutauit, & carnem morti obnoxiam ex corruptione ad immortalitatem traduxit, idcirco par erat, & rationi conſentaneum, vt ille non aliter atque ſaluator mira ratione commutaretur, & quamquam promiſſionem rerum hiſce quibus iam fruitur longè præſtabiliorem accepit & propterea maiorem regenerationis gloriam, in reſurrectione corporis incorruptibilis cum choro Angelorum lucis æternæ in ipſa Dei regia, ſupra cęlos ſita, cum Chriſto Ieſu eius patrono & ſaluatore ad ſæcula deinceps ſempiterna percipere deſiderat, tamen in-

terea

terea loci in hoc præſenti ſęculo ea ipſa quæ pridem vidua & deſerta ſolitudo fuit, his per Dei gratiam circumueſtita floribus, facta eſt (vt propheta loquitur) re vera, vt lilium, atque quo pacto veſte nuptiali accepta, & corona decoris ornata, velut choreas ducere, ad gratias Deo regi agendas, & ad eum lętis vocibus honorandum per Iſaiam doceatur, eam ipſam loquentem Eſa. 61. audiamus: Exultet anima
„ mea in Domino induit enim me veſte ſalutis & tu-
„ nica lętitiæ circumdedit me tamquam ſponſum mi
„ tra, & tanquam ſponſam decorauit me ornamento,
„ & ſicut terra augens florem ſuum, & vt hortus ſe-
„ mina ſua oriri faciet ſic Dominus Deus oriri fecit
„ iuſtitiam, & exultationẽ coram vniuerſis gentibus.
Hæc Euſebius.

Quod totum Tertullianus aduerſus Martio. lib. 4. ita Chriſto ſoli attemperat quod minime ad eccleſiam referri poſſe videatur.

Verum Sanctus Auguſtinus in 1. 2. epiſt. 1020. ſimiliter de doctrina chriſtiana lib. 3. c. 31. omnem ambigendi aufert occaſionem dicitq; hoc eſſe elogium & orationem factam à Chriſto Deo ſuo patri, & nihilominus etiam attribui eccleſiæ, atque ita eccleſiam loquentem introducit, ita vt etiam in ea Chriſtus loqui intelligatur, Chriſtus inquit loquitur qui in membris Chriſti Chriſtus, & vt noueritis, quia vnus dicitur Chriſtus caput & corpus ſuum: ipſe dicit cum de coniugio loqueretur, erunt duo in carne vna igitur iam non duo ſed vna caro. Ne quis autem putet de alio coniugio quã quod inter Chriſtum & eccleſiam initum confirmatumq; eſt, rem fieri accommode monet, Paulus Eph. 5. magnum hoc eſſe ſacramentum. ego autem dico in Chriſto & eccleſia. fit enim quaſi vnum integrum ex capite &

corpore, ex ſponſo & ſponſa, pro quà copulatiòne putat Sanctus Aug. Chriſtum maximas Deo patri gratias agere quando ipſum ſic loquentem introdicit Eſaias, ſupradicto loco, ſicut ſponſo alligauit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento. Quare verò ait Sanctus Auguſtinus, vocat ſe ſponſum & ſponſam, niſi quia duo in carne vna? ſi duo in carne vna, cur non duo in voce vna? loquatur ergo Chriſtus, quia in Chriſto, loquitur eccleſia, & in eccleſia loquitur Chriſtus, & corpus in capite, & caput in corpore.

Hanc eandem vnitatem Chriſti cum eccleſia, & corporis cum capite expreſſit Paulus 1. Corint. 12. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum eſt corpus, ſic & Chriſtus. corpus quidem vnum eſt, conſtitutiuum partium non tamen quia diuerſæ ſunt partes conſtitutæ, ſic etiam plura ſint corpora, ſed vnum duntaxat, ſic Chriſtus vnus eſt vnumque caput multorùm membrorum, corpus verò vnum, An non caput vnum eſt hominis, multæ verò partes? non tamen plura corpora, niſi quis dicere velit etiam quamlibet partium aliquod corpus conſtituere, verum ea non erit corpora integra quarum vnumquodq; vnum hominem perfectum conſtituit, ſed partialia, ad vnum numero corpus hominis tendentia.

Alibi verò Sanctus Auguſtinus hanc dubitationem vna cum ſimili, quæ multorum torſit ingenia, ſcilicet, ſi nemo aſcendit in cęlum niſi qui deſcendit de cœlo, quomodo Petrus & Paulus eo aſcenderunt, explicat, vide inquiens ſermonem 134. de tempore quid Petrus & alij fideles audiunt à Paulo, vos autem eſtis corpus Chriſti 1. Corint. 12. &

mem-

membra ex parte, ſi ergo corpus Chriſti & membra vnius ſunt, noli facere duos, reliquit enim patrem & matrem, & adhæſit vxori ſuæ, vt eſſent duo in carne vna, reliquit patrem: quia hic ſe non oſtendit ęqualem patri, ſemetipſum enim exinaniuit formã ſerui accipiens; reliquit & matrem ſynagogam, de qua carnaliter natus eſt. Ahæſit vxori ſuæ, ideſt, eccleſiæ ſuæ. Sic nemo aſcendit, niſi qui deſcendit quia cuius homo eſt ſponſus & ſponſa ſecundum carnem Chriſti non ſecundum diuinitatem, nam ſecundum diuinitatem, quod eſt ille, nos eſſe non poſſumus: quia ille creator nos creatura, ille effector nos effecti, ille conditor nos conditi, ſed vt eſſemus cum illo vnum in illo, homo factus eſt, & caput noſtrum eſſe voluit, accipiendo carnem pro nobis in qua moreretur pro nobis: vt noueritis ergo quia hoc totum vnus eſt Chriſtus per Eſaiam dixit Sicut ſponſo allegauit mihi mitram, & ſicut ſponſam induit me ornamento, ipſe ſponſus ipſe ſponſa, ipſe planè ſponſus in capite, ſponſa in carne.

Simile habet Homelia 80. in Ioan. vbi ſe Dominus dicit vitem, & diſcipulos ſuos palmites, ſecundum hoc ergo dicit. quod eſt caput eccleſiæ, noſque membra eius, vnius quippe naturæ ſunt vites, & palmites propter quod cum eſſet Deus cuius naturæ non ſumus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus: maxime ergo gaudet ſancta Dei huiuſmodi eccleſia, quod pulcherrimo ſalutis veſtitu induta regioq; iuſtitiæ ornatu contexta ſit, factaque particeps diuinitatis ipſius, humana natura, in eadẽ ſubſiſtente atque capiti Chriſto copulato membrorum corporiſq; pulchritudinem & vſum retinet, vt ex capite, & mẽbris vnum corpus efficiatur, & hoc

eſt nomen nouum, recens, religioſum, æternum, im pollutum, ſimplex, & verum, quod benedicitur in terra. Non ergo amplius vocatur derelicta hæc ſponſa Chriſti, non amplius deſolata, nec eam amplius vincula legis aſtringunt, nec amplius terra eius quæ olim immanium morum aſperitate rigebat, alienos Deos inſtruit, ſed vnum Deum confitendo iugiter ab omnibus maximarum virtutum offitijs veneratur, eaque omnia implentur in ea, quæ ad longum
„ recitat Eſaias c. 54. noli timere, quia non confunde-
„ ris neque erubeſcas non te pudebit: quia confuſio-
„ nis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris & opprobrij vidui
„ tatis tuæ, non amplius recordaberis: quia domina-
„ bitur tui, qui fecit te Dominus exercituum, nomen
„ eius, & redemptor tuus ſanctus Iſrael Deus omnis
„ terrę vocabitur quia vt mulierem derelictam, & mę
„ rentem ſpiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab
„ adoleſcentia dixit Deus tuus: Ad punctum in modi
„ co dereliquit te, & in miſerationibus magnis con-
„ gregabo te, in momento indignationis abſcondi fa-
„ ciem meam parumper à te, & in miſericordia ſem-
„ piterna miſertus ſum tui, hæc aliaq; plura congerit ibi Sanctus propheta ad augendam & amplificandã pro triſtitia, & męrore priſtino præſentem gloriam & iucunditatem qua in Chriſto capite ſuo iam perfruitur eccleſia, nihilque præter ipſum aliud concupiſcit.

Quod enim nomen nouum ei impoſitum eſt, vt nouum, & magnificum ita etiã maniſeſtè ſignificat omnem vitam ipſius voluntate Chriſti gubernari, neque cupiditatem propriam in illa, ſed numinis diuini dominari imperium; Ergo nullo tempore diuelletur hæc ſponſa Chriſti à ſponſo ſuo cui ſanctiſſimi cõiugij fędere copulata eſt. §. ita ſanè. Pro quo

diſerte

diſerte Plato docet quod Procopius & veteres patres tradiderunt Deum optimum maximum, cum rebus nomina imponit etiam rerum ipſarum ſignatarum effectum elargiri, ſic cum Apoſtolos vocaſſet lucem effecit vt etiam ipſi lux mundi fierent ſic Simoni Petro dixit, tu es petra, qui ideo etiam petræ ſoliditatem obtinuit, ac firmitatem, qua totam eccleſiaſtici ędifitij molem ſuſtinet, ſic cum eccleſiæ ſuę dedit vt non amplius derelicta dicatur, dedit etiam, vt ei timendum non eſſet, ne hac ope diuina dehereretur, dedit ne eam recordatio ſcelerum quæ olim ſub lege veteri in ſe admiſerat conturbet, neque turpitudo, qua fuit contaminata fiduciam illius confringat, ideo decora pulchra vt Luna, electa vt Sol terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Ex quo fit vt ſi quis temporis illius ſpatium quo à Deo deſerta fuit computauerit, cum præſentis temporis fœlicitate, facile intelliget, quam fuerit illa moleſtia præ hac gratiæ iucunditate contemnenda, nam tempus illud quo à Deo ſynagoga fuit derelicta, fuit breui ſpatio definitum, at beneficia quibus nunc recreatur eccleſia atque reficitur ſunt maxima, & ſempiterna, exiguo quidem tẽpore, ſi cum miſericordiæ poſtea tributæ diuturnitate conferatur, à ſalute & dignitate populi illius antiqui auerſus fuit, at nunc eccleſiam ſuam, populum chriſtianum clementia ſempiterna protegit Dominus, vt nec portæ inferi aduerſus eam vnquam præualere poſſint. Ecce enim inquit Dominus ego vobiſcum ſum, vſque ad conſumationem ſæculi, ipſe enim patrem ſuum reliquit, & matrem ſuam vt adhęreat vxori ſuæ ſcilicet eccleſiæ cui indiſſolubiliter coniunctus eſt, ita vt ipſe aliam non ſciat, nec ipſa viciſſim aliam admittat: eſt enim de lege diuina matrimonij

monij vinculum indiſſolubile, Matt.19. Vnde cum inter Chriſtum & eccleſiam eiuſmodi matrimoniũ non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam carnaliter initum conſumatumq́; ſit, nullo modo fieri poteſt de lege ordinaria, vt à ſe inuicem diſſoluãtur. „Montes quidem (dicit Iſaias 54.) commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te & fędus pacis meæ non mouebitur, ita enim eodem loco conteſtatus eſt Deus, nunquam ſe derelicturum eccleſiam ſicut pollicitus eſt, nunquam aquas diluuij ſuper terram inductuiũ. Vnde quod nos legimus Eſaiæ 62. „& vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata. Leo Caſtro peritiſſimus Hebraici ſermonis eleganter vertit terra tua maritata: quia complacuit Domino in te, & terra tua maritabitur, verba enim hebraica vtrumque ſignificare putat, & maritari, & inhabitari: iccirco Auguſtinus lib. de vnitate eccleſ. c. 16. terram tuam pro orbe terrarum interpretatur quod ſeptuaginta vertunt οἰκουμένην quæ vox orbem terrarum ſignificat quaſi dixiſſet orbem terrarum futurum eccleſiæ, non aliquam prouinciam, vt olim Iudęa ſed totum orbem eccleſiam catholicam occupaturam. „E contrario verò Oſeas Propheta cap.3. ait. & dies multos expectabis me, & non fornicaberis, & non eris, ideſt vt eo loci Sãctus Hieronymus in Comen. non adulterium quidem ſuſcipies, nec ſimulachris non ſolum non immolabis, imo mẽtionem illorum perhorreſces, neque rurſus Deo cõiuncta eris, illius enim fidem nepharie perdes; interim tamen à Deo tolleraberis partim vt exemplo diuinæ ſeueritatis edito doceas omnes Dei iuditium reuereri, partim vt ex ſtirpe tua generentur illi, qui ſunt ad Deum toto corde reuerſuri. exul tamen, & extorris vagaberis,

ris, ſine Rege, ſine ſacerdotio, ſine vlla religionis ſanctitate, ſine ſimulachris ita vt neque vera, neque falſa religione te conſtrictã vllis ſignis ſacris exhibeas, à Deo tamen auerſa eris quandiu in impietate perſeuerabis, & hoc erit tibi nomen, non populus meus in quo præſentis temporis ſtatus Iudęorum mihi expreſſus videtur. Sicut ergo Oſeas dicit Iudęam ſine viro manſuram ita Iſaias Chriſti & eccleſiæ coniugium futurum, non vocaberis vltra derelicta ſed quia complacuit Domino in te terra tua inhabitabitur: ſponſabo enim te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iuditio, & in miſericordia, & miſerationibus.

Fędus certè ſanctiſſimum non ad tempus, ſed in ſempiternum permanſurum, nec in vmbris, aut imaginibus conſtitutum ſed iuſtitia & miſericordia in æternum vallatum eſt: ex iuſtitia iuditium oritur, ex miſericordia benefitiorum multitudo naſcitur, qui enim iuſtus eſt ſemper iuſtitiam adminiſtrat, & ius æquabile dicit: qui verò miſericors benefitia cum poterit cumulatè præſtat, & ideo fit vt cum iuſtitia iuditium, cum miſericordia benignitas & miſeratio coniungatur.

Et hæc ſunt dotis loco eccleſiæ Dei promiſſa & præſtita, cum eam ſibi arctiſſimo matrimonij vinculo deuinxit, nec enim iuſtitiã obtinere, aut clementiam, colere poſſemus, niſi is nos cõpotes tantarum diuitiarum, & tam regij ſtatus effeciſſet.

Quia autem fides perfectæ iuſtitiæ radix eſt, & origo, quam nequidem adipiſci, niſi nos Deus ad credendum impuliſſet vnquam potuiſſemus. idem adiunxit, & ſponſabo te mihi in fide & ſcies quia ego Dominus, nemo enim vllis præcedentibus meritis hunc ſibi in Republica Dei locum comparare

potuit,

potuit, multoq; minus cum eo matrimonij fœdere copulari, niſi ad hoc à Deo ſingulariter præuiſus & vocatus & gratis iſthuc admittatur propter fidem in Ieſum Chriſtum eo modo vt ſupra explicatum. Vnde Zaccharias c.8. quod ab Iſaia c.2. & Michea cap.4. prædictum eſt non vnum ſed multos populos appulſu diuini ſpiritus ad hanc fidem Deique eccleſiam excitandos eſſe vt ad Deum ſupplices accederent, cum gentium cõfeſſionem ſcilicet & ardorem mentis luculenter explicaſſet quo ſe mutuo cohortabantur, vt abiectis ſimulachris vnam Dei eccleſiam veramq; religionem purè & caſtè venerarentur, eorundem multitudinem, & virtutis vim & magnitudinem, & religionis ardorem quo erant inflammandæ, ob oculo poſuit, & inquit fore certum & conſtitutum omnibus qui ex gentibus fuerint ad Deum conuerſi, fruſtra deinde extra eccleſiā quæri hæc eſt enim Hieruſalem cœleſtis in qua templi ſanctitas inuiolata permanet, vbi veriſſimæ religionis iudicium ſemper viget, vbi ſacrifitia ſanctiſſima ab omnibus qui fide vitam ſuam inſtituunt offerũtur. Nec alibi qui vitam charam habent & ſpiritus ſancti diſciplinis inſtructi ſunt ſe poſſe litare confidũt:
„ & venient (ait Zacch. c.8.) populi multi & gentes
„ robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in
„ Hieruſalem, & deprecandum faciem Domini, non
„ pauci non ignobiles aut impotentes ſed populi mul
„ ti, & gentes inclytæ non turpe ſibi ducent huic mo-
„ rem gerere eccleſiæ atque fortiſſimi Heroes qui
„ olim vi armisq; imperium ſibi ſubiugarunt, ad ge-
„ nua procident eamque matrem Chriſti & Dei, ſup-
„ plices deprecabuntur. Hæc enim dicit Dominus
„ exercituum in diebus illis in quibus comprehendet
„ decem homines ex omnibus linguis gentium, &

„ apprȩhendent fimbriam Iudæi dicentes ibimus vo-
„ biſcum audiuimus enim quod Deus vobiſcum eſt per numerum denarium in ſacris literis plerunque ſolet infinita deſignari multitudo, ſicque finitum pro infinito poni, ſic & hic decem homines multi intelliguntur, qui ad vnum verum Iudȩum, ideſt, Ieſum Chriſtum congregabuntur dicentes, te ſequemur, tu enim es Chriſtus tu verba vitæ habes, & æterna ſalutis præmia, & hoc audiuimus ex quibuſdam, qui ſigna de te, & miracula in regionibus noſtris prædicauerunt ſanguineq́; ſuo eadem conteſtati ſunt. Inſuper & grauiora multoque maiora his præſtiterunt.

Quod certè alio nunquam tempore viſum fuit, niſi quando diſcipulorum ſpiritusq́; ſancti Chriſti Apoſtolorum voces exierunt in omnem terram vbi ſubito gentes ab errore & pertinacia ſua in aliud cor commutati ſunt viſique ſunt alijs quaſi ebrij præ ſancti ſpiritus plenitudine quorum diſciplinis dein excultæ gentes, Deos illorum dȩmonia eſſe intellexerunt, Ciues ſanctæ Ciuitatis effectæ & iuſtitiæ oblationes laudisq; victimas obtulerunt quia etiam non ſoli Apoſtoli aut alij viri Dei ex Iudȩorum gente procreati dicuntur, ſed quotquot Chriſtum profeſſi ſunt etiam ſi ex gentibus fuerint quoties illi poſthabitis idololatriæ erroribus ad chriſtianorum prædicationem fidem & ſacramenta ſuſcipientes cœleſtis Hieruſalem ciues efficiuntur, de illis eadem ac de diſcipulis prædicari poſſunt, Chriſti ergo regnum non armis non potentia ſed humilitate, & diuina ſapientia dilatatum eſt, videre licuit homines moribus efferatiſſimos immaniſſimoſque ad inſtar pecudum belluarumq; viuentes, chriſtianorum ſanguinem perpetuo ſitientes poſt quam ſe-

mel ſpiritus ſancti lenitate, & gratia inſpirati ſunt, quam fuerint repente mites, humiles & in omnem partẽ tractabiles ſe ſeque ad homines humiles congregarunt ſocietatemque illorum fide ſingulari & caſtimonia coluerunt: & quod maiori admiratione dignum eſt ſummi Principes & Imperatores cum infima plebe iure deuinciri ſuſtinuerũt ſeque ſimul omnes ad dictum hominis inopis & puerili ſimplicitate prædi ti libenter applicauerunt, illiuſque præcepta, & monita ſequẽtes, authoritatem veriti ſunt quem viderunt Chriſti gregi præpoſitum: quia repleta eſt terra ſciẽtia. (Eſaia 11.) Domini ſicut aquæ
„ maris operientis, & iterum Zacch. 9. Emath quo-
„ que in terminis eius & Thyrus & Sidon aſſumpſe-
„ runt quippe ſibi ſapientiam valde Igitur regiones illæ quæ à Dei cognitione religioniſq; ſacræ cultu alienæ fuerunt ad Deum conuerſæ ſunt, & diuina gloria affluxerunt quod ſapientia magna prędítæ eſſent, nam per Chriſti diſciplinam admirabilem acceperunt ſcientiam & ſapientiam, vnde populus Dei qui non ſolum habitu corporis ſed certo quodam charactere, & ſigno dignoſcitur atque ab alijs diſcernitur aliud non fuit tunc in populo Dei niſi ſapientia Dei qua ab aliorum errore, & fatuitate diſterminabatur ſapientia verò in Dei notitia conſiſtit quæ aliunde non comparatur niſi ex fide, fides verò non aliunde niſi ex præueniente gratia Dei & ſaluatoris noſtri.

Cum igitur in ſola Dei eccleſia vera fides vera religio vera ſacramenta iuſtitia rectaq; iuditia reperiantur qua Deus pater & vnigenitus eius filius & ſpiritus ſanctus vtriuſque amor vero latriæ cultu adoratur, efficaciter ſanè concludimus in eadem eccleſia quoque veram religionem eſſe & exiſtere atque

que

que extra illam nullam ſalutem nullumq; verum Chriſti cultum reperiri. Quo fit vt ſola Chriſti vera eccleſia ciuitas illa ſit cœleſtis, quam ſibi Chriſtus deſponſauit perpetuoq; diuinæ ſuæ naturæ ſuppoſuit in qua omnes maxima ſunt amoris conſpiratione conſentientes, & nunquam intermittentes ſtudium & amorem & charitatem, ſed præcepta Dei perpetuo obſeruantes diuina miſteria & ſacramenta ab vnigenito Dei filio inſtituta, ritè adminiſtrantes fideliterq; quos dignos ad hoc iudicauerint diſpenſantes. hæc autem, ſumma & vera eſt religio animarumq; noſtrarum ſedes cui pro tempore incredibili eum laude præſidet Clemens Octauus Pontifex Romanus. Deo proixmsu iudex primus & Dominus omnium, vtpote qui non modo eſt in eccleſiæ primatu ſucceſſor, ſed etiam in doctrinæ ſoliditate, & ingregis ſibi commiſſi cuſtodia Petri conſors; & hæres, cui primitus à Chriſto huius eccleſiæ fundamenta innixa ſunt inconcuſſaq; ad finem mundi in dies, cum ingenti Dei laude multorumq; ſalute incontaminata permanebunt.

CAPVT XII.

Religionis verum & eſſentialem characterem eſſe, ſacrifitium Miſſæ.

VSque adeo ſacrifitium cum religione coniunctum ſemper fuit vt nulla vnquam fuerit ſiue vera ſiue falſa religio, quæ non aliquod ſymbolum externum ſibi eſſentiale habuerit, ratione eius ab alijs diſcerni valeat, religio enim vt ſic nil aliud eſt quam religioſus quidam habitus in Deũ, qui cum mente etiam interius certis quibuſdam præcantiun

culis conſiſtere poſſit, nuſpiam apparebit, ad extra ſignum aliquod diſtinctuum illius religionis ab altera: quia vera & catholica religio non ſolũ in mente & habitu conſiſtit, ſed opere & ore perficitur, neceſſe eſt, vt ſi aliquam eam eſſe velimus religionem quod eidem eiuſmodi aliquod ſignum externum correſpondeat, quo veluti teſſera ſuam in Deum deuotionem & religioſitatem conteſtetur, trãſlato enim ſacerdotio inquit Paulus transferatur etiam neceſſe eſt & ipſa lex Hæbr. 7. Vnde ſi fatebimur aliquam vſpiam eſſe legem aut religionem ibi iuxta veritatem Apoſtoli oportet etiam ſit ſacrifitium: quia ergo ſupra legem poſuimus eſſe catholicam religionem & fidem in Ieſum Chriſtum, nunc etiam vt habeamus ſacrifitium aliquod viſibile, & externum ratio & equitas inducunt vt aſſeramus, ne verò id temere magnum & inenarrabile miſterium nobis adſcribamus inuocato auxilio eius cuius in hoc ipſo incruento ſacrifitio actio peragitur ſic procedemus in nomine Domini, humiliati ſub eius ſanctiſſima benedictione, vt dicamus ſemper Deo gratiſſima fuiſſe ſacrifitia tam in lege naturæ quam veteri eiſdemque ſæpius complacatum ad miſericordiam & fęlices rerũ ſucceſſus. ſecundo tale aliquod ſacrifitium neceſſarium in noua lege eſſe ponẽdum ex quo manifeſtum fiat quod Chriſtus Dei filius ſuo patri complacere volens non omne ſacrifitium aboleuerit per ſuam paſſionem, ſed è contra vnum tale inſtituerit quod reliquorum omnium valorem ſuperat vnumque nunc ſolum exiſtat: tertio idque inſtitutum fuiſſe in nouo teſtamento vt implorentur ſcripturæ reliquæ omnis teſtamenti: quarto, & vltimo ſi quod aduerſum erit obiectum paucis reſpondebimus.

Principio igitur primos Dei homines rudioris ſubſtantię & formę ſub lege naturę ſuam in Deum, & venturum Meſſiam conteſtatos fuiſſe fidem & expectationem teſtatur quartum caput Gen. vbi Chaim & Abel filij primi parentis noſtri, Deo ſacrifitia obtulerunt quod vti ante diluuium factum, ſic poſt idipſum maiori animi deſiderio deuotionisq; affectu factitatum legimus c.8. vbi Noe noui orbis pater primum ceſſantibus aquis diluuij de reſtauranda christiana Republica cogitationē ſuam figere cępit, edificauitq; Noe altare Domino & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare memor magni illius beneſitij accepti à Deo quo ſe ſuoſque in arca liberatos agnouit, neve ingratitudine, quæ magnum ſcelus eſt ad maiora humano generi infligenda genera pęnarum Deum impelleret reconciliare ſibiq; gratias agere voluit, ſtatim ergo, vt egreſſus eſt arcam ibi ſibi delegit faciendum ſingulari ritu externo ceremonijsque ad hoc debitis, ſciens probe id Deo complaciturum & ſi nullam huius rei ab eo iuſſionem accepiſſet tamen vel maiorum ſuorum traditione, vel tacito Dei inſtinctu id feciſſe Noe creditur, qui alias nihil ſine monitu & iuſſu Dei feciſſe legitur, non iuſſus nec monitus à Deo altare ædificauit, & obtulit holocauſta cuiuſmodi inter ſacrifitia primas tenet, nec debuit inquit Sanctus Ambroſius libro de Noe & arca cap. 22. quaſi auarus mercedem gratiæ poſtulare, & iuſtus eam intellexit veram actionem gratiarum eſſe, quæ nō iuberetur, ſed deferretur, itaque nec dilationem paſſus eſt, etenim grati animi virtus paſſionem dubitationis excludit qui autem debitum gratiæ vt à ſe exigatur expectat, ingratus eſt.

Nec

Nec vacat myſterio, quod dicitur edificaſſe altare Deo & non Domino, ne ſcilicet coacta videretur fuiſſe illa actio gratiarum quaſi Domino, ſed virtus iuſti morigera & grata quaſi Deo. Ideo quod imperij eſt ſegregauit quod beneficij, nominauit.

Hanc autem Noe exhibitionem acceptam Deo fuiſſe luculenter declarat Moyſes, odoratusque eſt inquit Dominus odorem ſuauitatis & ſuſcepit Dominus in beneplacito ſuo oblationem eius, ait phrasis chaldaica, ad quod Tertullianus, verum quæ inquit iucunditas, ſiue viſcerum veruecinorum ſiue nidoris ardentium victimarum eſſe poteſt? animus certè ſimplex, & Deum metuens offerentiū, ea quæ à Deo habebant, & pabuli & ſuauis olentiæ gratia, apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis ſed illud propter quod fiebant, ob honorem ſcilicet Dei, Tertullianus lib. 2. aduer. Marcio. non igitur munerum multitudinem ſed animum offerentium ſacrifitia & holocauſta Deus teſtatū eſſe vult, quorum cum multas olim in veteri lege inſtituerit vt ſic populus ad idololatriam pronus auerteretur, ſibi quaſi deſideranti fieri iuſſit, ne ſimulachris contaminaretur; holocauſtum autem totum comburebatur, quod eſſet peculiare ad obteſtandam Dei bonitatem, & maieſtatem omnino dignam eſſe tali muneri, cui ſe totum homo dedens, totum etiam animal comburi voluit, ſiue igitur holocauſtū, ſiue ſacrifitium pro peccato, ſiue pacificam hoſtiam pro ſuſcepto, vel ſuſcipiēdo opere ſpectes, ſemper Deo gratiſſimam fuiſſe inuenies, nam Deum ad munera Abel reſpexiſſe legimus Gen. 4. ſic etiam ad carnes atque azimos panes Gedeonis, de petra aſcendit ignis. Iud. 6. Sic ad Salomonis orationes deſcendit ignis de cœlo 2. Paralip. 7.

Mirabilius quod accidit tempore Heliæ ad demonſtrandum Deo gratiſſimam eſſe illam religionem quæ ſingulari ritu & ſacrifitio exhibetur, ibi enim 3. Reg. cap. 18. diſſecuit in membra bouem & diſpoſuit ſuper ligna, infundens aquam deſuper, vbi cum tempus eſſet vt offerretur holocauſtum orauit Dominum protinusq; cecidit ignis, & vorauit holocauſtum, quo loco nullius ſibi ſceleris admiſſum reatum habuit Elias, ſed & ſolum animo id præſtitit vt Deum placatum alijs infidelibus demonſtraretur, alliceretq; ad veræ religionis in Deum conteſtationem quamuis dubium nullum ſit Deum ſummè pro admiſſo crimine eiuſmodi ſacrifitijs reconciliari, cuiuſmodi factum in Noe diximus eiuſque
„ voto annuens Deus reſpondit Gen. c. 8. nequaquam
„ vltra maledicam terræ.

Nec Iudæis aliud ſtrictius præcipiebatur, quam legitima Paſchæ ſolennitas, Paſcha verò ſacrifitium dicebatur. Vnde qui olim Rempublicam Iudęorũ vel bello, vel alio inſidiarum retiaculo tentare voluit, maxime nitebatur paſchales interturbare ſolennitates pro quo ipſi maxime depugnabunt, nihilq; ſanctius & religioſius arbitrabantur eorum rerum publicarum inſtauratores quam ritibus & ceremonijs adamuſſim obſeruare, quippe quod ab hoc maxime eorundem religionis pax & fundamẽtum dependebat. Clariſſime id atteſtantur ſecræ literæ 2.
„ Paralip. c. 3. Vbi ſermo placuit Regi & omni mul-
„ titudini, vt mitterentur nuntij poſt ſacerdotes qui
„ venirent & facerent phaſe Domini, multi enim non
„ fecerant ſicut in lege præſcriptum erat, & poſt pau-
„ ca, congregati ſunt in Hieruſalem populi multi vt
„ facerent ſolennitatem azimorum in menſe ſecun-
„ do, & ſurgentes deſtruxerunt altaria, quæ erant in

Hie-

,, Hieruſalem atque vniuerſa, in quibus idolis adolebatur, incenſum, ſubuertenteſque proiecerunt in Torrentem Cedron. Immolauerunt autem Phaſe quartadecima die menſis ſecundi. ſit cap. 35. & lib. 1. Eſdræ c. 6. Ezech. c. 45. multaq; alia inuenies quæ denotant ſummum ſtudium Iudæorum perficiendi ſacrifitia ſibi ex lege præſcripta, ex eorum enim intermiſſione aliud non ſibi imminere credebant, quã totius populi & Reipublicæ ſubuerſionem, qualiter Helias deplorans expreſſit, 3. Reg. c. 19. dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt, & Azarias apud Danielem 3. non eſt enim (inquit) in tempore hoc propheta, neque holocauſtum, neque ſacrifitium, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam, quod contigiſſe narrat Hieremias c. 52. quando Nabucdonoſor Rex exciſo templo Hieroſolymitano omnes Iudæos qui reliqui erant in Babilonem redegit, tunc factum eſt quod adimpleretur prophetia Danielis: Ad hoc aliud ibi Danielem voluiſſe ſuſpicor quod ſub perſona Nabucſardam principis militiæ Regis Nabucdonoſor antichriſtus intelligatur is enim in eo ſuum ſtudium & laborem impendit quo vnicum chriſtianæ religionis interuentum ſacrifitium ſubuertat planeq; extinguat, vtpote intelligens quod nullo alio ita Deus complacetur quam iugi hoc ſacrifitio. Hinc chriſtianos acerbiſſimè perſequetur, templa ædeſque ſacras demolietur, ſi quo poſſit impedire cultum Dei illiuſque ſacrifitium.

Nec aliud credo nunc huius temporis phanaticos molire homines quoſdam quãdo ita mordicus inſectantur catholicos magiſtratus, eo quod ſacrifi-

tia ſibi cordi habeant vnicęq; colant, quam honorem Dei Chriſtiq; triumphum, cuius ibi memoria recolitur, obfuſcare & inuertere: verum quanto dirius illud execrantur, criminantur, & deteſtantur; tanto ſolennius honorificentius & glorioſius cordibus catholicorum principum infixum, celebratur, adoratur & conſeruatur. Summus enim Deo patri ex hoc honor cultuſque præſtatur maiorisq; longe valoris ponderis & virtutis eſt chriſtianorum ſacrifitium, quam Iudæorum, vt enim res verbis præſtãt ſacra prophanis, publica priuatis, eas quarum ipſa natura in Dei honorẽ conſumitur, illis quarum tantum vſus habetur, ſic etiam propriæ dictum ſacrifitium.

Cum ergo hoc genus ſacrifitij in veteri lege à Deo inſtitutum, ac præceptum fuerit, operepretiũ eſt ſane Chriſtum cui ſempiterni patris ſui gloria ſummæ ſemper curæ fuit in eccleſia à ſe primitus fundata, ſacrifitium aliquod publicum & externum inſtituere, quo hi qui diuini cultus ſtudio tenerentur eique fidem darent, pro ſuſceptis benefitijs gratias agerent Deum peccatis læſum placarent & diuinam maieſtatem proteſtarentur. Quo ſublato ſacrifitio Miſſæ nullum aliud proprie dictum & externum erit in eccleſia ſacrifitium, atque ex conſequenti nulla religio, ſublato enim ſacrifitio tollatur & ipſa lex ſeu religio neceſſe eſt.

Quod ſi demiſsi & contriti cordis ſacrifitium puraq; mentis in Deum voluntatis offitia dixeris, profecto huiuſmodi hoſtiæ & ſi Deo gratiſsimæ ſint & valde acceptæ eique in omni loco à pijs hominibus crebro offerantur, nullus tamen eſt qui ſine maxima temeritatis nota gloriari poſsit mundum ſe habere cor, & ſuam oblationem mundam eſſe, ſunt enim

omnes iuſtitiæ noſtræ velut pannus menſtruæ Eſaię 64. quibus & illud addi poteſt, cordis contriti ſacrifitiũ non magis huius eccleſiæ, quæ ſecuta eſt Chriſti paſsionem, & mortem, quam illius ſynagogæ proprium cēſeri debere, adeo quod æque tempore legis antiquæ, ac nunc viri pietate inſignes, ſanctiſſimiq; floruerunt, illaque ſpiritualia ſacrifitia offerre potuerunt, eo potiſsimum quod eiuſmodi ſacrifitia cordis & oris nō minus ad quoſuis homines referri poſſunt, quam ad ſacerdotes, quę omnia à proprie dicti ſacrifitij incruenti ratione, alieniſsima eſſe nullus qui paruo intelligentiæ lumine pollet, non videt. Iuge verò illud ſacrifitium quod nouiſsimis temporibus per antichriſtum ſublatum iri diximus ſi iſtud inquam corporis & ſanguinis ſub panis & vini ſpetiebus mirificè latentis ſacrifitium ſilentio prætereatur, quod nam aliud eſſe dicemus quod vſque ad conſumationem ſæculi in eccleſia duraturũ eſſe minime dubitandum eſt, atque in omni loco offerendum, iuxta prophetiam Malachiæ 1. quantumuis nunc per anteſignandos oppugnare, & expugnare conetur antichriſtus, oportet ergo aliud extare nobis ſacrifitium quod ſit commemoratiuum paſſionis eius & complementum totius ſalutis noſtræ, & memoria, & commendatio ſuæ mirificę erga nos pietatis, eiuſq; quam noſtri cauſa ſuſceperat humilitatis, ſicque paſsio ipſius facile obumbrabitur, cuius tamen nos memoriam facere iuſsit Paulus quoties manducauerimus carnem, & biberimus ſanguinem eius 1. Cor. 11.

Certè paſſio Chriſti fuit longe Deo patri gratiſſimum ſacrifitiũ quo nos illi reconciliauit, pro peccatis noſtris ſatis fecit & non modo remiſſionem peccatorum nobis promeruit, ſed etiam dignos nos

fecit,

fecit, qui in filios eius & hæredes adoptaremur: hacque ſolum ratione dixit Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. Chriſti paſſionem eſſe ſacrifitium quod offerimus. denique eius quod futurum ſperamus priuabimur æternæ fęlicitatis contemplationisq; diuinæ commodo, qua ratione, & viaticum dicitur, eum ſcilicet continens qui via eſt noſtra, Dòminum Ieſum Chriſtum.

Verum enimuero Chriſtus Deo patri ſuo per omnia obediens ac beneplacens noſtra miſeratus hæc omnia maiori cum fęnore reſtaurauit ſuæque amariſſimæ paſſionis ſignificaturum non vt in lege naturæ ſcriptaq; fiebat, alijſve veterum patrum ſacrifitijs deſignabat: ſed verè, & realiter corporis & ſanguinis ſui effectiuum atque contentiuum poſt ſe reliquit ſacrifitium alio tamen atque alio modo diuerſum ab illo, quod in ara crucis Deo patri obtulit, illi quippe cruentum hic verò incruentum offertur, verè tamen ex vi verborum mortis ſuæ repręſentatiuum cuius rei viua eminentiſſimaq; fuit imago & figura agnus ille paſchalis, qui à Iudæis iuſſus fuit immolari, & manducari, quæ ideo facta, dicit Ioannes cap. 19. vt ſcriptura adimpleretur os non comminuetis ex eo & primo ad Corint. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azimis ſinceritatis & veritatis. Vbi verò adimpletio facta fuerit agni huius paſchalis immolatio & manducatio, nullibi rectius inuenitur, niſi in celebratione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, vbi Apoſtolos carnem Chriſti comediſſe ac proinde verum agnum paſchalem, teſtatur ſacratiſſimus euangeliſtarũ conſeſſus, epulum enim ſequitur immolatio, ſi ergo Apoſtoli carnem Chriſti in cibum ſumpſerunt, ſubſequi neceſſario debuit eiuſdem immolatio.

Deinde conſtat ex ſcripturis ſacris ſanguine intercedente fieri fędera, & concludi confirmarique teſtamenta ideoque Chriſtus mediator eſt noui teſtamenti, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſsionem accipiant qui vocati ſunt ęternæ hæreditatis; vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris, teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt Hebræorum 9. vnde ſic, ſi vetus teſtamentum reali ſanguinis emanatione fuit confirmatum, ergo ad noui teſtamenti conſtitutionem oportuit ſanguinis fieri atteſtatio, non enim ratio maior eſt, quare prius ſanguine fuerit confirmatum & non ſecundum, quippe quod hæredis inſtitutio teſtamenti eſt formalis ratio, ibique hæredes terrarum, & fructuum ſolum; hic verò ęternæ ſalutis hæredes, vitæq; æternæ efficiuntur, maior ergo debuit eius hæreditatis adeundę nobis fieri certitudo, quam in priori, alioquin abſurdiſsimum foret teſtamentum dum eius cuius teſtamentum dici debet ſuperſtes vita eſt, quod ipſum tam ex recepto omnium gentium vſu quam ex ſacris literis confirmata lata formula teſtatur vt Gen. 25. & 26. inter Iſaac & Abimalech fędus initum quod neuter alterum lęderet cibo potuque ſumpto, mane ſecuri alter ab altero remigarunt, ſic Græci & Troiani pilos, & carnes agni fœderalis ad inuicem partiuntur Hom. Iliad. 3. Ergo cum antiquum teſtamentū ſanguine confirmatum fuit à Moyſe, vnaque ſanguinis portio Deo oblata, altera verò in populum ſparſa, ſi noui teſtamenti cęnæ agni paſchalis eſus typus fuit primoq; exinde Deo immolatum, & oblatum,

postea

poſtea verò à populo pars ſanguinis datur ædium poſtibus applicandus Exod. 12. pari quoque ratione in nouo teſtamento, imo planè neceſſarium fuit victimam fœderalem qui Chriſtus eſt partim Deo, & partem populo offerri, ad pacti vinculum colligandum, vt mutua hinc inde fieret promiſsio obligatio & conſignatio: hæc autem confirmatio fieri non potuit ſine ſanguine Chriſti externo ritu in ara crucis Deo exibito, quod ſi ſic ergo etiam exhiberi debuit idem ſanguis Chriſti externo ritu in cœna Domini, ipſius Ieſu, ad ſanciendum nouum teſtamentum, tamque verè, & realiter ipſis Apoſtolis præberi, atque in cruce Deo ipſi oblatus fuit, juxta "quod ipſe ſaluator, & teſtator Chriſtus dicit: Mat-" „ thei 26. Accipite, & bibite hic eſt enim sãguis meus" „ noui teſtamenti. In quibus verbis particula illa γὰρ enim cauſalis, rationem reddit, cur iubeat eos bibere, quæ ſtatim ſequitur, poſt ſumptionem & comeſtionẽ carnis Chriſti, vt ſcilicet ſignificaret quod potu & perceptione ſanguinis ex parte hominum eſſet nouum fędus, & teſtamentum recens ſtatuendum, moxque ſuo cœleſti patri tanquam alteri parti contrahentium in ara crucis cruento modo offerendum. Ideo etiam Io. 6. promiſit ſe eandem carnem traditurum in cibum, qui eſſet datus in cruce pro vita mundi, ideoque cœnam cum paſſione ſua coniunxit vt ita vno eodemque tempore fœdus ſuum confirmaret, tradendo vtrique partium verum ſuum ſanguinem, & ſuam veram carnem. Ita ergo teſtamẽtum hoc nouum Chriſtus in cruce confecit dum ſanguis fluxit, maduit & morte deinde confirmauit ſempiternoq; parenti ſuo charactere fęderis noui, ſanguine & cruento modo litauit, cui omnes Euangeliſtæ aſtipulantur, ſicque teſtamentum nouum

tuum in ara crucis conditum morteq; ſua confirmatum fuiſſe eo interpoſito quod in cœna incruento, ibi verò cruento modo factum ſit, idque vniuerſa profitetur eccleſia catholica, niſi aliquis voluerit quod à Paulo teſtamentum potius cruci quam cœnæ aſcribatur quod illic planè fuerit morte intercedente confirmatum hic verò in cœna inſtitutum dumtaxat.

Verum ipſe Apoſtolus non extra portam, ſed in ipſa ciuitate Hieruſalem nouum teſtamentum editum palam oſtendit, vetus verò in monte Synai. Quibus accedunt, & mille alia teſtimonia, & figuræ
,, eandem rem confirmantia, vt Hierem. cap. 37. Ecce
,, dies veniunt (dicit Dominus) & feriam domui Iſ-
,, rael, & domui Iudæ fędus nouum, Quod nam no-
,, uum fœdus, & teſtamentum iſtud erit? quia propi-
,, tiabor iniquitati eorum & peccati eorum non me-
,, morabor amplius, quæ prophetæ verba aliud nobis non inſinuant, quam promiſſionem de peccatorum venia, bonorum operum gratia, & vitam æternam, ſed peccatorum remiſſio non fit ſine ſanguine Chriſti. Diximus ſupra ex Paulo Heb. 9. ſi ergo nouum fędus nouum peccatorum remiſſionem importat, neceſſe eſt quod ſanguinis effuſio intercedat ſed illum ſanguinem pro nobis in remiſsionem peccatorum teſtantur Euangeliſtæ effuſum in cœna Domini, ergo in cœna Domini neceſſario Chriſtus nobiſcum, & cum eccleſia ſua quam ſanguine redemit, & ex lateris ipſius inciſione aperta eſt confirmauit, recteq; figuratum ſic correſpondet figuræ qua Moyſes partem ſanguinis populo aſperit poſtibusq; domorum applicari iuſſit, partem verò Deo offerri, vnde ſicut impoſsibile fuit in aſperſione ſanguinis illius veteris legis hircorum, & taurorum expiari peccata,

cata, & eorum penas exolui, ita poſsibile, & neceſſarium fuit vnius agni immaculati ſanguinis effuſione vt Deus generi humano iratus reconciliaretur, omnes in noua lege de ſcelerum ſuorum colluuione veniam obtinerent, quo ad diuinæ iuſtitiæ cumulatiſsimè ſatisfieret. Quam ſatisfactionem nulla creatura humana, neque Angelica, vt communis eſt Doctorum Theologorum ſententia promereri potuit de condigno niſi ſolus Chriſtus qui ſanguinem ſuum pro nobis effudit, & chirographum mortis deleuit.

Ex quo fit quod ſacra Euchariſtia quæ celebrationi agni paſchalis ſucceſsit, illud ipſum verè ſacrificium ſit de quo Paulus ait 1. Corint. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, nec ſolum nomine paſchæ ſolennitas deſignata eſt, ſed ipſe agnus qui iuxta ritum illum Exod. 12. à Deo perſcriptum edi, & manducaui iuſſus eſt & à patribus familias immolatus. Ad hoc rectè dicitur Marc. 14. vbi vis eamus & paremus vt manduces paſcha? Lucę quoque 22. venit dies azimorum in quo neceſſe erat occidi paſcha. hic eſt ergo ille agnus Hierem. 53. manſuetiſsimus qui coram tondente ſe obmutuit & non aperuit os ſuum, quippe demonſtratus à Io. cap. 1. tulit peccata mundi eiusq; ſanguine pretioſo, non auro aut argento redempti ſumus, & non ſolum nos ſed etiam totus mundus, ab origine enim mundi occiſus eſt agnus ille Apoc. 13. & quotquot deinceps ad finem vſque ſæculi ſalutem conſequuntur non alij quam huic agno pro nobis immolato eam acceptam referunt quippe quod ipſe peccata noſtra in corpore ſuo pertulit, ſanguinem ſuum pro nobis fudit, mortemque pro nobis obijt, atque ſacrificio iſto corporis & ſanguinis ſui mundum vniuerſum

ſum

ſum in gratiam patris ſui reſtituit. Quare non immerito figuram illum agnum hebręorum huius noui paſchalis agni extitiſſe dicimus, quem Dominus ſibi offerri iuſsit in recordationem benefitij quo liberati fuerunt ab Aegyptiaca ſeruitute, cuius agni immolatio facta eſt cum ſe ipſum Chriſtus Deo patri ſub ſpeciebus panis & vini nobis ſumendum præbuit in cęna nouiſsima, vt & nos perpetua erga ipſum animi gratitudine pro benefitio illo quo à peccatis expiati, & tartarea cacodęmonis ſeruitute liberati ſumus efferemur ob id in memoriam huius non annuatim vt Hebræorum populus circa veſperam, ſed ſingulis diebus nobis offerendum illiuſque iugem in miſſa memoriam faciendam iuſsit, alioſq; Chriſti fideles dum de illo eſſent participaturi docendos & inſtruendos, quemadmodum in veteri lege patribus familias præcepit dicens, cum dixerint Exod. 12. vobis filij veſtri quæ eſt iſta religio? dicetis eis victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans.

Quid aliud nobis bone Ieſù ſacerdotibus legis & teſtamenti noui præcipis? nunquid quod memoriam huius tui corporis & ſanguinis prætioſiſsimi quantum fieri poteſt ſæpe ſępius fideli populo proponamus atque ſingulis concionibus pro ſuggeſto aliquid de illa in medium explicandum proponamus? certè ſanctiſsimi patres Concilij Tridentini nouiſsimi id religiosè ſanctéq; decreuerunt quod omnes parochi, omnibus diebus feſtis & dominicis pro temporis & Euangeliorum occaſione, exinde ſibi ad populum oportunitatem verba faciendi deſumant, eſt enim ſanctiſsimum hoc Sacramentum, omniq; honore, & veneratione digniſsimum nul-

lumq;

lumq; tam acriter ab hoſtibus fidei inſectatur atque Miſſæ ſacrifitium ſcientes probe maximum ibi fundamentū eccleſiæ catholicæ ſummumq; latere theſaurum omnis pietatis bonitatis gratiæ virtutumq; incrementum.

Quid ergo reſpondebimus ſi quæratur, quid ſibi velit quod ſacroſanctum eorpus & ſanguis Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus offeratur in Miſſa? recte dicimus gratam quādam eſſe commemorationem immenſi illius benefitij quo Dei filius homo factus corpus ſuum ex Maria Virgine aſſumptum pro nobis in mortem tradidit ſanguiuem ſuum in cruce fudit, vt mundum vniuerſum à peccato, & æterna damnatione liberaret quod nobis inculcat Paulus
„ 1. Corint. 11. Quotieſcunque manducabitis panem
„ hunc & calicem bibetis mortem Domini annuntia-
„ bitis donec veniat. Ecce Apoſtolus nobis mortem Domini denuntiat quæ celebratur non nudis verbis, non animo aut ſpiritu ſolo ſed externo ritu & eſu corporis dati pro nobis & potu ſanguinis effuſi.

Ad hæc ipſa ceremonia quæ in altari apparet ipſeque ſacerdos indutus varijs veſtibus diuerſis circum funibus ligatus non niſi repreſentationē quandam Dominicæ paſſionis & carnis immolatæ ſanguinisq; effuſi facturum denotat, quapropter rectè
„ cenſent qui verbum Domini Hoc facite in meam
„ commemorationem Interpretantur hoc ſacrificate in hoc enim myſtico conuiuio ipſe Dei filius nobis comedendus apponitur non vt nos in humanam naturam diuinum cibum transferendum exiſtimemus ſed vt ipſius epuli diuini virtute & efficientia diuinæ conſortes naturæ efficiamur. Chriſtus namque ibi præſens eſt nobisq; præſentiſſimus, & realiſſimus ſiſtitur, mortisq; illius memoria renouatur,

crucis denique tropheum in oculis, & aſpectu proponitur. Neque hanc efficientiam corporis inquam & ſanguinis Chriſti abnegat quorũdam illuſio, dum ex ſacris literis id minime conſtare vrgent, aut ſaltem ſin ſecus non corpus Domini aut ſanguinem ipſius, realem conficere perhibent, ſed notantur tantùm cum additamento, vt legimus hircum facere non aliud niſi hircum offerre eſt, cuiuſmodi additamenta pluries inueniuntur Exo. 29. Leuit. 23. Num. & Iud. 6. 3. Reg. 8. Ita enim hoc facere ſacrificare, & offerre, ſignificare legimus ſine vllo additamẽto apud ſanctum Lucam c. 2. quando beata Virgo Maria & Ioſeph ſponſus illius aſcenderunt Hieroſolymam vt puerum Ieſum iuxta legis Moſaicæ præſcriptum ſiſterent Domino & darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum, ibi paucis interiectis inquit Lucas, & cum inducerent puerum Ieſum parentes eius vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, vbi facere ſine vllo additamento aliud non ſignificat quam oſtiam offerre, quod prius dictum fuit, & in lege præſcriptum. Sic Sanctus Hieronymus lib. 1. contra pelag. ex Leuit. cap. 9. citat illud accede ad altare & fac pro peccato tuo, & paulo poſt deſcenditq; cum fecit pro peccato explicẽs, ex Hebræo accede ad altare, & immola pro peccato tuo & rurſus ſicque completis hoſtijs pro peccato, & holocauſtis & pacificis, deſcendit. Vnde cum Chriſtus dixit hoc eſt corpus meũ quod pro vobis datur è veſtigio ſubiunxit hoc facite in meam commemorationem. Corpus ſcilicet meum offerte, ſic atteſtatur Sanctus Gregorius Niſſenus orat. 1. in Chriſti reſur. vbi quærens concilium arcanum quo Chriſtus in hoc ſacrifitio Miſſæ inuiſibili

quo-

quodam modo, & ſuper naturali virtute panem in ſuum corpus, & vinum in ſuum ſanguinem conuertit. Præclarè & egregiè reſpondet cum inquit corpus ſuum diſcipulis congregatis edendum & ſanguinem bibendum præbuit tunc apertè declarauit agni ſacrifitium iam eſſe profectum, nam victimæ corpus non eſt ad edendum idoneum ſi animatum ſit quare cum corpus edendum & ſanguinem bibendum diſcipulis exhibuit iam arcana & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipſius miſterium peragentis poteſtati collibuerat.

Nec ſanè huius tanti myſterij amplitudo & maieſtas patitur in aliqua ſimilitudine quod adęquari poſſit, at verò minimè ei derogare videtur, qui non omni ex parte illud exprimere, ſed aliquatenus obſcuris quibuſdam lineis veluti longè aſpiciēs adumbrare non temere ſed religiosè tentauerit, quemadmodum igitur cum imponit inſtructor domus finē cubiculo tappetibus, & aulęis ornādo in quo Rex ſedem habiturus eſt eo ingreſſo egreditur, ſic in hoc myſterio ante conſecrationem eſt quidem ſubſtantia panis & vini, ſed miro quodam modo prolatis verbis in hunc vſum à Chriſto inſtitutis, hæc eadem virtute diuina in ipſius Chriſti corpus & ſanguinē tranſubſtantiantur, & relinquitur ei domicilium albo colore, odore dulci, quātitate rotunda, quæ oculis ſubijciuntur, foris ornatum, ſub his tamen acēntibus Chriſtum totum velari & contineri, qui in cęlis exiſtit haud dubie fatendum eſt, cuius rei typus non obſcurus extat in lib. Reg. 3. c. 8. quo die Salamon arcam fęderis in templum iam omni ex parte abſolutum vehēdam curauit, tradit ſcriptura ſacros Dei miniſtros ad templi vſque adita quæ Sanctum Sanctorum dicebantur ſubter alas Cherubin, qui tali

arte diſpoſiti erant, vt totam arcam commode capere poſſent cumque ſacerdotes iam ibi eſſent, vt è ſanctuario egrederentur lapſa eſt nubes & nebula tam caliginoſa vt ſacerdotes ſacra perficere minime potuerint vbi vulgata editio habet nebula, in hebraicis voluminibus caligo pro nebula ponitur. Videns itaque Salomon ſacrificos valde exanimatos iuſſit eos bono animo eſſe & metum omnem deponere Dominus enim inquit ille dixit vt habitaret in nebula. eadem figura deſcribitur 2. Paralip. c. 7. cum compleſſet Salomon fundens preces ignis, deſcēdit de cęlo, & deuorauit holocauſta, & victimas & maieſtas Domini impleuit domum, nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domini eo quod impleſſet maieſtas Domini templum Domini.

Vbi mihi cogitanti quomodo hæc duo caligo nebulæ, & gloriæ Dei ſplendor coniungi poſſent ſubito in mentem venit, hanc nubem non fuiſſe diſſimilem illius qua Deus filijs Iſrael ex Aegypto fuga accipientibus quondam traditur præſtitiſſe. lucem enim & caliginem vt nonnullorum opinio eſt vno eodemque tempore, mirum in modum emittebat. lumen præbebat filijs Iſrael vt quæ tenenda eſſet via clariſſima viderent, Aegyptijs tenebras infudit, vt Iſraelitarum veſtigia ita facile aſſequi nequirent, ſic quoque cum ſcriptura ſacra memorat nubem de cœlo lapſam, quæ ſacerdotes perterruit, & Dei ſimul gloriam, qua totum templum implebatur, nil aliud oſtendunt, quam nubem hanc longe varios ſortitam eſſe effectus, & horum luminibus offeciſſe illorum autem quodammodo præbuiſſe ad intuendam gloriam ineffabilem & immenſam Dei poteſtatem ſic in Paralip. Spiritu Sancto dictante explicationem habemus, vbi ſic habetur Sed & omnes

„ filij

„ filij Iſrael videbant deſcendentem ignem, & glo-
„ riam Domini ſuper domum, & corruentes proni in
„ terram ſuper pauimentum ſtratum lapide adorane-
„ runt, & laudauerunt Dominum, & glorificauerunt
„ Dominum quoniam bonus quam in ſæculum mi-
„ ſericordia eius. Nec aliud hoc ſibi vult quam aper-
tè à Spiritu ſancto indicari Dei filium carne humana indutum iam manere nobiſcum in Eccleſia & Ciuitate ſancta à ſe ædificata ſtatuerit, quaſi ingenti circundatum nebula in Sacramento Euchariſtiæ manſurum, ne aliquis quantumuis præſtanti ingenio præditus & humana ſcientia præclarus explorare niteretur quo nam illic modo creator & redemptor noſter quem totus orbis capere non poteſt in tam breui & anguſto lateat ſpatio, & ideò hoc mirandum, & venerandū ſimul Sacramentum, nocte qua tradebatur Chriſtus inſtituit, quibus nominibus olim epheſina ſynodus Neſtorium hæreticum diuidentem perſonam Dei à perſona hominis in hoc Sacramento, & aſſerentem ſolum carnem humanę perſonę promiſſam à Chriſto ad eſum, non autem diuinitatem, potiſſimum compeſcuit, qui diuina humanis ingenij viribus aſſequi attētabat, quæ ſola & pura fide accipiuntur, Dominus enim promiſit ſe habiturum nobiſcum, ſed non in omnium oculis, ſed in media caligine, nec aliquis ſibi præſumat Sacramentum hoc, niſi fidei oculis qui decipi non valent aſpicere. Nam Sanctus ille & inſignis Patriarcha Iſaac putabat ſe lepore in agris capto veſci & ex agno domeſtico comedebat, & cum percepiſſet odorem veſtium quibus Eſau indui ſolebat eum eſſe credidit, cum tamen non Eſau ſed Iacob illis tunc eò tempore ad hunc vſum vteretur, arbitrabatur enim ſe manus piloſas Eſau contractare, &

erant pelliculæ hœderam quibus Iacob matre ſua collum, & manus circumdederat, ideo exterior forma ſæpe decepit ipſum ſenem, qui tamen ex voce Iacobi longe aliud ſenſit quam tactus fuerit teſtatus vox quidem inquit Iſaac, vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau, & non cognouit eum: quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant.

Falluntur ſenſus noſtri accidentibus quæ in hoc ſacroſancto myſterio ſine ſubiecto panis & vini oculi perſpurunt vident enim tantum panis candorem, & vini ruborem, olfactus percipit odorem tactus menſuram, & quantitatem hoſtiæ ſentit, cogitant ſenſus panem & vinum eſſe, cum interiora penetrare non valeant ſed intellectus fidei aſtrictus ſecretiora contemplatur vocem Iacob cognoſcit. Quid ſenſus percipiant non curat, ſed Deo credit qui ait hoc eſt corpus meum fides enim ex auditu eſt, auditus autem per verbum Chriſti Rom. 10. Nullum itaque tergiuerſandi locum ſupereſſe omnibus certum eſt, ſed velint nolint obgannientes concedere debent ex ipſius Saluatoris noſtri verbis efficaciter conuinci ſacram Euchariſtiam verum eſſe ſacrifitiũ quod ex Domini præcepto in eccleſia quotidie offertur Deo à ſacerdotibus in recordationē eximiæ illius charitatis. Clemens enim & benignus Dominus hoc inſigne monumentum factorum ſuorũ mirabilium in terra conſtituit quod longiſſimo interuallo reliquis miſericordiæ ſuæ monumētis ad gloriam ſui nominis antecellit. Olim namque cibum dedit hominibus cum in Arabiæ vaſtitate verſarentur, & inopia rerum omnium præmerentur, & iuſſit vaſculum illo cibo plenum ad poſteritatis memoriam conſeruari ne exanimis benefitium illud excederet atque hic cibus eſt mirificus è cœlo quoti-

die emiſſus vt multitudinem innumerabilem in ſolitudine ſuſtentaret non tantam vim habuit vt aduentanti morti reſiſteret, omnes enim illi qui de manna comederunt mortui ſunt, neque animæ ſed ſolum corporis vitam fulciendam conceſſum fuit, corporibus tamen immortalitatem non attulit ſenſus in res diuinas non excitabat, non fidem ſtabiliebat, non denique mẽtem ab humanarum rerum cogitatione ad ardens diuinæ gloriȩ ſtudium traducebat, ob id ſibi illius eſus & memoria ſimul euanuit, at in cœna nouiſſima cibus non alendis corporibus, ſed animis inuita perpetuo conſeruandis præſtatur, eſt enim panis de cȩlo verus panis (inquam) ille ſempiternus in terras à patre demiſſus hic cibus mẽtem recreat, morbos expellit impetum mortis arcet; animum iucunditate perfundit, & fȩderis ſempiterni, memoriam ſumma religione confirmat, omnia denique diuina munera ambitu ſuo hoc eſt epulum diuinum complectitur ita vt ſit animo gratiſſimo prædicatione perpetua laudibus ſummis efferendũ eſt crucis ſalutaris monumentum fȩderis diuini Sacramentum, amoris fȩdus, ſempiternum immortalitatis pignus, nulla perfidia violandum, atque per hoc Sacramentum, omnia in noſtros animos diuina benefitia large atque magnifice congeruntur. Tantoq; excellentius & fructuoſius quo longiori tempore idipſum nobiſcum permanebit vſque ad ſæculum mundi, eſt enim ſacrifitiũ hoc non Aaronicum ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, iuxta illud
„ quod dicitur Pſal. 19. Iurauit Dominus & non pœ-
„ nitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum
„ ordinem Melchiſedech.

Cuius figura præceſſit Gen. 14. at vero Melchiſedech ſalem proferens panem, & vinum obtulit, erat

enim

enim ſacerdos altiſſimi benedixit ei ſcilicet Abrahamo, quando victoria prædam retulit de Chordorlahomor & Regibus qui cum eo erant, quod equidem Dauid & Paulus ad Chriſtum referunt, vt non modo videantur Melchiſedechem figuram geſſiſſe Chriſti quod de Aarone æque dici poſſet, ſed etiam ſacerdotem fuiſſe ſecundū ordinem Melchiſedech, non autem ſecundū ordinem Aaronis, Paulus verò ait hanc noui teſtamenti ætatem veteri, & antiquæ illæ ætati ante legem, & poſt legem etiam latam, longe præſtare, quippe ante legem Abrahamus promiſſum & iuramentum habuit, poſt legem patres vltra illa duo ſacerdotium habuerunt, ſed illud nec perfectum, neque templum ſtabile & eternum nūc verò & ſacerdotem gratiſſimum extitiſſe ait, & efficaciſſimum, & qui litauerit, & æternum templum ingreſſus fuerit, & æterno pontificatu fungatur, & ſecundum ordinem non Aaronis, ſed Melchiſedechis, iuxta prædictam ante à Deo rationes, hoc Pau-
„ lus apertè declarat Hæbreorum c. 6. Confugimus
„ inquit ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut
„ anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & in-
„ cedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcur
„ ſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundū ordinem Mel
„ chiſedech Pontifex factus in æternum.

Dixit hic Paulus Apoſtolus. INTERIORA VELAMINIS, alludēs ad tabernaculi interiorem partem quæ DE BIR dicebatur, eratque figura familiariſſimæ gratiæ atque conſuetudinis Dei, quæ in Ieſu Chriſto conſtitit atque ex illius plenitudine ad omnes ſanctos deriuata eſt: poſt hæc proſequitur Paulus Hæb. 7. declarans quomodo Melchiſedech. Abrahæ obuiam factus, & benedixerit, & decimas omniū diuiſerit Abrahamo. primū quidē qui inter-

pretatur

pretatur Rex iuſtitiæ, deinde autem & Rex Salem quod eſt Rex pacis ſine patre, ſine matre ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei manet ſacerdos in perpetuum. In quorum verborum ac mirabilium narratione percipimus & ſacerdotij & regiæ dignitatis maieſtatem, quorum vtrumque in veteri lege & more diſtinctum fuit, deinde ſacerdotij æternitatem, cum alij ordines omnes conſumpti ſint, Leuit.3. ſacerdotium antiquatum planeq; abrogatũ; poſtremo ordinem & inſtitutionem ſacerdotij Melchiſedech, Aaronis ordini prælatum, aliaq; omnia quæ vetuſtate conſeruarunt morte Chriſti deleri, & in legis demortuæ locum ſubſtitui, quod vt firmius probaret Apoſtolus innixus veritatis fundamento, quod nulla humanę ſapientię exceptione, vel interpretatione confringi poteſt, Iurauit enim Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Et quidem prætérito nomine Aaronis, meminit ſolus Melchiſedech, quod magis Chriſto inſtitutioniq; ipſius conueniens eſt, cuius nec origo, nec finis definiri poteſt, nec familia, nec analogia, Aaronis verò imo ipſius Abrahæ optime declaratur, hacq; ratione primum Chriſti ſacerdotium, æternum futurum demõſtrat, neque ſolum ſacerdotium, ſed etiam inſtitutionem & ordinationem, ſcilicet, ſecundum ordinem & inſtitutionem Melchiſedechis, quæ duo plane diſtincta ſunt, & eſſe debent, nam eò vſque Deus Aaronicum ſacerdotium durare voluit quo ad ipſe ſuum ſacerdotem publicè præficeret qui ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, idque æternum cneret. Maior verò, & congruentior ratio reddi poteſt,

quare Aaronis nomine retēto Melchiſedechis meminerit, eo quod is vnica tantum oblatione nomen æternitati conſecrauit, eamq; non in ſanguine quadrupedum ſed in pane abſoluit. Inde quia Chriſtus Rex ſummus ſacerdos ſanctiſſimus regium munus adminiſtrat, atque gratiſſimo ſuo ſacrifitio nobis pacem conciliat: cuius imperium ſine fine manet, nec ſacerdotij dignitas vllo tempore euaneſcit quique vnica tantum oblatione eos omnes qui ſeſe ſuo nomini dederunt, ſanctitatis egregiæ muneribus & ornamentis afficit, merito etiam ſacerdos ſecūdum ordinem Melchiſedech dicitur, perpetuo ipſius durabit ſacrifitium; quod ſi in æternum Chriſti ſacerdotium durabit, certe & ſacrifitij ritus durare debet, niſi forte quis temere dicat, ſacerdotem eſſe ſine ſacrifitio aut Chriſti ocioſum fuiſſe ſacerdotiū: at ſacrifitiū Chriſti ſemel tantum peractum eſt, nec repeti amplius poteſt, cum Chriſtus iam mori nequeat, aliud ergo ſacrifitium eſſe oportet quod iugiter offeratur, non enim ſacerdos iure dici poteſt, qui nullum habet ſacrifitium quod offerat, ergo veram rationem ſacrificandi quæ Chriſto vt ſummo ſacerdoti tribuatur, in eccleſia eſſe confitēdum eſt, eiuſmodi autem nulla erit ſi Miſſæ ſacrifitium ſuſtollatur.

Præterea ante Chriſti incarnationem, quia Chriſtus re ipſa nondum erat ſacerdos, ſacerdotiū enim Chriſto cōuenit vt minor eſt patre, & vt homo, non vt Deus quod aduertit Auguſtinus in Pſal. 109. non poterat per ſe ſacrifitium offerre, ut tamen etiam tunc illi ſacerdotium aſcriberetur & ſacerdos iure dici poſſet, ipſe vnus ab initio, & primo mundi exordio, vſque ad eius finem & conſumationē ſummus ſacerdos, eo modo quo poterat, ſacrifitiū offerebat

ſcilicet per typos & figuras, quod ſi tunc ante incarnationem tali modo dici potuit ſacerdos, quanto magis poſtquam humanam naturam aſſumpſit, & quando à patre ſuo ſempiterno verè, & realiter ſacerdos eſt appellatus, ſacradotij munere ſanctiſſimo cui nemo habet ſuccedere, vacabit? Quorſum enim ſacerdotium illud in eccleſia permaneret, ſi amplius in ea nullæ hoſtiæ immolandæ, nullæ victimæ mactandæ, nulla ſacra ſorent facienda? præclarè Cyprianus ſer. de cęna Domini cum prius dixiſſet interituram eſſe religionem ſi corpus Domini in Euchariſtiæ Sacramento à conuiuis tandem conſumeretur, quia nulla ſupereſſet victima, ſine qua religio eſſe non poteſt, inquit, æternitatem ſacerdotij Chriſti in eo conſtitui quod iugiter & ſtudiosè, & crebro ſacrifitium Euchariſtiæ offertur, perpes ait eſt hoc ſacrifitium & ſemper permanens holocauſtum nulla panem hunc, multitudo conſumit, nulla antiquitate veteraſcit.

Eſt præterea aliud quare Chriſti ſacrifitiũ ſecundum ordinem Melchiſedech perpetuo duraturum ſit. Sacrifitia etenim veterum quamuis in re ſignificata mirifice ſibi mutuo conuenerint, eundẽ enim Chriſtum crucifixum ſignificabant, in ſignis tamen longe alia ab alijs differebant, ſacrifitia Aaronis cruenia erant & ſub animalium occiſorum ſpetie, Chriſtum præſentàbant, at Melchiſedechis incruentum fuit ſub ſpecie panis & vini, vnde ſi Chriſtus eſt ſacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedech oportèt quod inſtituerit ſacrifitium incruentum ſub ijſdem ſpeciebus & ſignis. Quare licet non colligeretur ex vi ſacerdotij ſecundum ordinem Melchiſedech ſicut verè colligitur Chriſtum immolare debuiſſe hoſtiam in panis & vini ſpeciebus id tamen

ex vi typi & figuræ haud obſcure appareret, nam Melchiſedech fuit veriſſima figura ſecundum omnes Doctores Chriſti in pane, & vino inſtituentis Euchariſtiæ Sacramentum, ſed Melchiſedech panem, & vinum obtulit vt ſacerdos ac proinde vere litauit, igitur & Chriſtus in Euchariſtiæ inſtitutione vt ſacerdotis offitio vere functus ſit, debuit vti pane, & vino, alioquin non exacte figuram illam impleuiſſet, ita doctiſsime Clemens ſtrom. lib. 4. & Cyprianus epiſt. 63. Cæcilio ſcribens, cum verba illa Regij Prophetæ adduxiſſet, tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinem Melchiſedech ſubiunxit, qui ordo vtique hic eſt de ſacrifitio illo veniens & inde deſcendens quod Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi fuit, qui panem, & vinum obtulit quod Abraham benedixit, Nam quis magis ſacerdos Dei ſummus quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrifitiũ Deo patri obtulit, & is benedixit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, ideſt panem & vinũ, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem? & ſermone de cęna Domini inquit, ſignificata olim à tẽpore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius ſummus ſacerdos panẽ profert, & vinum, hoc eſt inquit corpus meum, ſic Euſebius lib. 5. demonſt. euang. c. 3. S. Amb. in caput quintum epiſt. ad Hæb. & lib. 5. de ſacram. c. 1. & 3. c. 3. & 6. Hieron. epiſt. ad Marcel. & in epiſt. ad Eugenium, & in quæſt. in Gen. explicans caput 14. Auguſtinus epiſt. 95. ad Innocent. Papam, de ciuitate lib. 16. c. 22. Theodoretus in Pſal. 109. Damaſc. lib. 4 de fide c. 24. Oecumenius in caput tertiũ epiſt. ad Hæb. Theophilactus & Anſel. ibidem. Illuſtriſſimus Belarminus lib. 2. c. 6. tomo 2. de ſocietate Ieſù Cardinalis, de Eccleſia & Republica chriſtiana meritiſ-

ſimus,

ſimus, dicit veteres Hæbreos ab hac ſententia minime receſſiſſe, nam Rabbi Phinees inquit, tempore Meſſiæ omnia ſacrifitia ceſſabunt, ſed ſacrifitium panis & vini non ceſſabit, ſed dictum eſt in Geneſi, & Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinũ. Melchiſedech enim ideſt Rex Meſſias excipiet à ceſſatione ſacrifitiorum ſacrificium panis & vini, ſic dicitur in Pſal. Tu es ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech.

Nunc reſtat vt obiectioni cuidam reſpõdeamus cuius maxima vis eſt apud Apoſtolum Hæb. 9. & 10. capitibus, Chriſtus in cruce ſemetipſum ſempiterno ſuo parenti in ſacrifitium obtulit, vt perpetuam nobis redemptionem compararet, huius ergo ſacrifitij vis perpetua & ſufficiens eſt ergo non amplius quod in miſſa perficitur: quod confirmatur ex Paulo: quia Chriſtus vnica oblatione omnia conſumauit. verum quod Paulus dicit perſtat, & veritas eſt, & quod Chriſtus vnica oblatione omnia concluſit, veriſſimum eſt quodque ſua vnica illa oblatione omnibus ſufficientiſſimè promeruerit remiſſionem, & redemptionem itidem verum eſt, quod verò inde inferunt ergo nullùm amplius, in eccleſia fieri debet ſacrifitium, vel oblatio, neque Paulo, neque Chriſto, neque merito ipſius conuenit, ſi enim ſacramentis & ſacrifitijs quæ mortem Chriſti præceſſerunt hæc oblatio virtutem attulit, nec tamen ſublata ſunt, per hanc crucis oblationem præuiſam, prius quam exhibita eſſet, quin potius Deo grata accepta & optata fuerunt, non quidem propter ſanguinem hircorum, ſed propter ſanguinem in ara crucis fundendum, quem vetera illa ſacrifitia præfigurabant, multo minus quod exhibita iam illa oblatio ſit perpetuum ſacrifitiũ corporis & ſanguinis Chriſti

Chriſti ex eccleſia coget recedere? Non enim alia oblatio fit in altari quam in cruce facta eſt, eadem vtrobique hoſtia, idem vtrobique ſacrifitium, diuerſis tamen ſacrificandi modis, in cruce ſcilicet cruento in altari incruento modo. Præclare Theodoretus in epiſtola ad Hæbreos quærit ſi & ſacerdotium quod eſt ex lege finem iam ſenſit, & ſacerdos qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedech iam obtulit ſacrifitium & perfecit, vt alia ſacrifitia non eſſent neceſſaria, cur noui ſacerdotes teſtamenti myſticam liturgiam ſiue ſacrifitium peragunt? Clarum eſt inquit his qui ſunt in rebus diuinis eruditi nos non aliud ſacrifitium offerre, ſed illius vnius & ſalutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit Dominus hoc inquit facite in meam commemorationem. vt eorum qui pro nobis ſuſcepti ſunt cruciatuum recordemur, vt in benefactorem beneuolentiam conſeruemus & futurorum bonorum conſolationem expectemus, hoc certè non eſt Chriſti crucem eleuare, aut virtutem paſſionis eius minuere, quid enim Paulus de lege & de fide ait? certe inquit nunquid legem deſtruimus per fidem? abſit. Sed legem ſtatuimus: Nunquid ſimiliter nos crucem euertimus cum ſacrifitium in altari iugiter offerimus? Abſit, ſed crucem ſtatuimus: Habet ergo ſacrifitium Chriſti vim infinitam & ſufficientem efficacemq; virtutem, nec opus eſt, vt Chriſtus ſecundo moriatur, aut alius Chriſtus mortē ſubeat, oportet tamen ſacrifitium multiplicari, quod crucis ſacrifitium repreſentat & per quod nobis eius primi ſacrificij infiniti fructus & valor applicatur, & ſic gratis animis tāti benefitij memoriam indelebilem retinemus, & Chriſtum pro nobis occiſum ſuſpicimus colimus, & veneramur. nec Paulus eo loci omnem

nem excludit reiterationem oblationis Chriſti, ſed eam ſolum quæ mortem ipſius Chriſti iterum poſtulat, ſimiliter intelligenda ſunt quæ poſtea ſubijcit
,, Paulus Hæb. 10. Quid enim ille (ſanctificati) (in-
,, quit) ſumus per oblationē corporis Chriſti ſemel,
,, (&) vna enim oblatione conſumauit in æternum
,, ſanctificatos? hæc omnia vera ſunt. ſed quid ſi huic veritati non omnes credunt? Chriſtus ſane quod ſuum erat adimpleuit, quod igitur ad vim & efficaciam illius oblationis attinet certum eſt ei nihil defuiſſe, at via & ratio eadem alijs applicandi non omnibus æqua eſt, ſi enim nulla requiratur applicatio paſſionis Chriſti & ſolum omnia peccata expiauit ſanguis Chriſti: Quare tam multi ſunt impij, cur tot miſeri traduntur ad inferos? ad quid præſtat Baptiſmam? Quid ſacroſancta Euchariſtia? Quid fides? Quid pœnitentia? Quid euangeliorum prædicatio? Certe fatendum eſt mortem Chriſti nulli prod eſſe niſi per fidem & ſacramenta ceteraque inſtrumēta diuinitus ad hoc inſtituta ſingulis applicetur, ſicut omnibus vnus Sol ſufficit, at huic nihil proderit ſolis ortus qui clauſis feneſtris ingreſſum illius repellit. Vnde idem Paulus ad propoſitum noſtrum eiuſmodi applicationem neceſſariam fatetur, dum
,, dicit 2. Corint. 7. Mundemus nos ab omni inquina-
,, mento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificatio-
,, nem in timorem Dei, Cum inquit perficientes intelligit, & noſtrum opus ad hoc deſiderari, vt nobis meritoria fiat Chriſti paſsio, quod fit per ſacramēta at ſanguis Chriſti emundat nos ab omni delicto? Paulus autē dicit, vt & nos metipſos emundemus.
,, Sic Ioannes prima epiſt. c. 3. Qui habet hanc ſpem
,, ſanctificat ſe ſicut & ille ſanctus eſt, Quare non conſumauerit ſanctificatos Chriſti? Quin vno eodemq;

loco Paulus vtrunque manifeſtè tradit 2. Corint. 5.
„ Quoniam quidem (inquit) ille Deus erat in Chri-
„ ſto mundum reconcilians ſibi non reputãs illis de-
„ licta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconcilia-
„ tionis pro Chriſto, ergo legatione fungimur tanquã
Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto
reconciliamini Deo.

Proculdubio quod Chriſtus fecit, diuina virtute & conſilio fecit, erat enim Deus in illo, cum ille mortem obiret & mundum ſibi illius morte reconciliabat, non reputans eorum qui in mundo fuerant peccata. nam pro peccatis totius mundi ille mortuus eſt, ecce uirtus mortis Chriſti. Quia tamẽ non omnes hoc donum Dei accipiunt, quia non omnes recipiunt hunc filium Dei in ſuam ſalutem. multi ſua illorum culpa hoc diuino bono priuantur, quod tamẽ Deus omnibus cupit hominibus elargiri, ideo Deus qui mundum ſibi in Chriſto reconciliauit, cuius reconciliationis verbum dicit Paulus, in virtute ſua, & efficientia poſuit in nobis vt teſtibus atque etiam vt miniſtris poſuit perferendum, & communicãdum gentibus, itaque fungimur legatione, non noſtro, ſed Chriſti nomine, & munere, vt ſicut Chriſtus miſſus eſt, qui ſalutem mundo afferret, & offerret, ita nos verbis Dei hanc ſalutem per Chriſtum donandam offerimus & vt accipiatis non ſolum hortamur ſed etiam rogamus nomine Chriſti vt Deo reconciliemini: & vt clarius dicamus, oblatio illa vnica generalis fuit, ſic & generalem nobis operata eſt reconciliationem, ſicut generali quadam illuſtratione ſemel mundus illuſratus eſt, ita vt amplius tali generali illuſtratione creaturæ non indigeant, nec opus eſt alio Sole, aut alia Luna, ſed tamen neceſſe eſt, ſingulas quotidie aeris illuſtrationes

tiones interuenire, vt terra ſingulis diebus luce ſuffundatur, ita de altaris oblatione licebit nobis cogitare, ſi tamen hanc oblationem, nobis propriam quam magis efficere optamus, & illius fructum aſſequi, oportet proculdubio, vt illam ipſam non aliam hoſtiam, ideſt, redemptionem ſanctificationem, aut reconciliationem, quam illa nobis appulit, offeramus patri æterno, ſimul & ſupplices præcemur, vt illius contemplatione placatus & propitius nobis fieri velit. Duo ſiquidem ſunt quæ exiguntur ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Peccatum, vt inueniatur pretium redemptionis, & liberationis ſeu æqua ſatisfactio & debita diuinæ iuſtitiæ, alterum verò vt pretium applicetur ſingulatim liberandis hominibus, primum iam inuentum eſt in Chriſto, quod ad ſecūdum ſpectat non dum facta eſt remiſſio omnium peccatorum, nam ad huc ſunt, & erunt vſque ad finem mundi quibus applicari poteſt pretium liberationis, & hac ratione remanet hoſtia pro peccatis & ſacrifitium altaris, ob id noluit Paulus excludere ſacrifitia repræſentantia & applicantia ſacrifitium crucis, ſed tātum ſacrifitiū cruentum corporis Chriſti ſemel in cruce exhibitum, neque nos nunc nouam hoſtiam aut nouum ſacrifitium offerimus, ſed quod in cruce peractum eſt, illud ipſum velatum quidem, ſub oculos aſtantium ſubijcimus, vt eorum erga tam beneficum redemptorem pium & religioſum excitemus effectum, & patri cœleſti redemptionis noſtræ pretiū quo peccatis noſtris propitius & placatus eſſe velit ſupplices offeramus.

CAPVT XIII.

Sanctiſsimi huius ſacrifitij legitimum miniſtrum eſſe ſacerdotem.

PRopoſito ſacroſanctæ redẽptionis noſtræ vitæq; æternæ ſalutis domicilio neceſſario ſequitur. dicamus quis illius ſit procurator, ſeu adminiſtrator: nulla ſiquidem domus aut reſpub. ſine magiſtro & domus patrono inuenitur, vnde Chriſtus Veram perfectamq; rempub. adornans, non ſolum conſtituit leges, & mores, ſed adhibuit etiam diſpenſatores & directores iſtarum legum, quibuſq; hæc alijs adminiſtrandi officium incumbat, ritè inſtituit, ſic idem feciſſe in hoc religionis veræq; chriſtianæ reſpub. ſtatu credeñ. eſt, in quo theſaurum perpetuũ impoſuit certoſq; deſuper præpoſitos & miniſtros ordinauit, qui pro cõditione hominis remiſſionisq; ex illo nil depromant vel claudant, & hi ſint ſacerdotes nouæ legis diſpenſatores myſteriorum Dei, Legati nomine Chriſti & reconciliatores mundi. His ſolis & vnicis conuenit adire Sancta Sanctorũ, habentq; ij ſolum facultatem aperiendi, & claudendi Eccleſiam iſtam & redemptionis æternæ peccatorumq; noſtrorum remiſſionis gratiam modis legitimis à Chriſto ad hoc ordinatis applicandi. nec mirum alicui videri debet, cum idem ſit theſaurus & meritum Chriſti, tam multi varij & diuerſi ſint illius adminiſtratores, quia cum non omnes vnius ſint indigentiæ & capacitatis, iſteque theſaurus redemptionis noſtræ ſeu ſacrifitij incruenti ſit infiniti valoris, ratio id dictat vt tãtum ex illo ſupereffluenti bonitatis ſempiternæq; gratiæ fonte in vnum-

quemque deriuetur, quantum ſibi nouerit neceſſarium: quia verò diuerſæ hominũ ſunt neceſſitates, vt quod vnus eſuriat, alter ebrius ſit ideo etiam diuerſa miniſtrorum offitia inuenta ſunt quorũ vnus præ alio, & honore, dignitatiſque præcellentia antecellit.

Vnde ſicut in ſæculari politia varij diſtinctique gradus reperiuntur, diuerſaque munia ſunt, vna tamen eſt poteſtas, quę reliquorum ſibi ſola vendicat functiones, ita in eccleſia decenti ordine diſpoſita, diuerſi ordines reperiuntur, vnus autem omnium illorum ſit Hierarcha & Princeps. Huius varietatis ſacerdotum nouæ legis rationem citius aliquis depręhendet, ſi attentis animis veteris monumenta legis introſpexerit, & inferius ad calcem huius capituli attingemus, nunc ſolum quantum attinet ad diſpenſatores, & miniſtros ſacri huius Miſſę incruenti ſacrifitij nobis ſermo erit, vt ſcilicet dicamus ſolos eſſe ſacerdotes diuinitus ad hoc à Deo inſtitutos qui hoc Miſſæ ſacrifitium iuxta Dei, & eccleſiæ ordinationem peragant & adminiſtrent, & quamuis omnes alij ordines in eccleſia Dei ad vnicum illud ritè & legitimè pertractandum ſacrifitium Chriſti ordinati ſint maxime tamen ſunt ſacerdotes, illiq; ſoli proxime ad illud pertractandum accedunt. Sacerdoti enim cum primis poteſtas defertur conſecrandi viuum Chriſti corpus & illud offerendi in altari, & illis diſtribuendi, qui illud exoptarēt. Nam in nouiſſima cęna Chriſtus Dominus ſolis Apoſtolis dixit quos tunc ſacerdotes inſtituit, hoc facite vt eſt apud Lucam 22. Apoſtolus etiam appellat ſacerdotes miniſtros Chriſti & diſpenſatores miſteriorũ Dei 2. Corint. 5. alibi legatos quod legationis munus tunc Chriſtus dedit Apoſtolis. Io. 20. & eorum

ſucceſſoribus cum eis dixit, ſicut miſit me pater ita & ego mito vos, qui quidem filius miſſus fuit in terram vt homines in gratiam ſui patris reduceret, hoc ipſum is voluit vt diſcipuli ſui, & eorum facerent ſucceſſores ſacerdotes, & Epiſcopi, atque pro ſigillo huius miniſterij dixit illis pax vobis, quod & illis pacem feciſſe, & per eos pacem, & recõciliationem donum hominibus miſiſſe indicaret. Hinc ſacerdotes in Chriſti miſticum corpus, ideſt, eccleſiam diuinitus ſibi datam accepiſſe clariſſimè patet, quid
„ enim eſt Euntes docete omnes gentes baptizantes
„ eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
„ Matth. 28. & Quorum remiſeritis peccata remittun
„ tur eis. Io. 20. & Euntes in mundum vniuerſum præ-
„ dicate Euangelium omni creaturæ Marc. 16. quam factam facultatem Apoſtolis & poteſtatẽ eorumq; ſucceſſoribus concionandi abſoluendi, & baptizandi? quorum munerum functione tanquam legati à Chriſto miſſi populos ad Dei gratiam perducerent ideo etiam à Malachia c. 2. dicti ſunt Angeli Domini exercituum. Nec tantum Chriſti capitis, ſed & corporis eius, quod eſt eccleſia ſacerdotẽ legatum eſſe intelligamus. Totus enim Chriſtus & caput eſt, & corpus vt ſupra c. 3. huius pro Chriſto capite legationẽ obit ſacerdos, quoties concionando Chriſti voluntatem populo exponit & Chriſti nomine poſtulat, vt vitia corrigãt, pro Chriſti verò corpore fungitur legatione quoties ad altare ſtans illã quæ perfuſum pro nobis ſanguinem in cruce facta eſt reconciliationẽ Deo patri offert & pijs precibus ſupplex orat totius eccleſiæ nomine, vt illius reconciliationis virtute populo ſuo propitius eſſe & fructũ illius ad ipſum velit fęliciter redundare, quod expreſſit populus ille apud Hieremiam quẽ ad Deum

,, pro gratia, & miſericordia ablegabant Hier. 41. Sit
,, Dominus inter nos teſtis veritatis & fidei, ſi non
,, iuxta omne verbum in quo miſerit Dominus Deus
,, tuus ad nos, ſic faciemus: ſiue bonum eſt ſiue ma-
,, lum, voci Domini Dei noſtri ad quem mittemus te
,, obediemus. Ecce Hieremias mittatur legatus à po-
pulo ad Deum qua legatione cum eſſet perſunctus
,, apud Deum, populum vniuerſum ſic affatur: Hæc
,, dicit Dominus Deus Iſrael ad quem miſiſtis me, vt
,, proſternerem præces veſtras in conſpectu eius, ſi
,, quieſcentes manſeritis in terra hac edificabo vos, &
,, non deſtruam plantabo, & non euellam, iam enim
,, placatus ſum ſuper malo quod feci vobis Idcirco
dicit Philon lib. 2. de Matia Virgine. poſtulat in ſa-
cerdote lex præſtantiorem homine indolem, quip-
pe qui Deo ſit familiaris præ cæteris, ſitus in quadã
diuinæ humanæq; naturæ confinio, vt hoc interceſ-
ſore Deus hominibus placatus reddatur, & eiuſdẽ
miniſterio porrigat eis, largiaturq; ſuam gratiam,
& hoc eſt quod tradit Sanctus Chryſoſtomus de ver
bis Eſaiæ homelia 5. & lib. 6. de ſacerdotio. medium
ſtare ſacerdotem inter Deum & humanam naturã,
illinc perfecta beneſitia ad nos deferẽtem, & noſtra
poſtulata illuc perferentem, Dominum iratum no-
bis propitium reddentem, & alibi, ſacerdotem pro
toto terrarum orbe legatum apud Deum interce-
dere deprecatoremq; eſſe dicit. vt non hominum
viuentium modo, ſed etiam mortuorum peccatis
propitius fiat ipſumq; ad Deum ſic accedere quaſi
mundus vniuerſus illi concreditus ſit atque verus
omnium pater exiſtat.

Neque in hoc ſibi ſiſtendum putat Chryſoſto-
mus ſed vlterius progrediens oculos in ſacerdotem
ad altare miniſterio fungentem conijcit & in ſtupo-

rem

rem redactus illius dignitatis amplitudinem vſque adeo eſſe admirandam exiſtimat, vt nulla oratione (tanta eſt eius magnitudo) ſatis ampliari vnquam poſſit. cum enim ille & Spiritum Sanctum inuocauerit, & ſacrifitium illud honore ac reuerentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium Domino manibus aſſiduè pertractato, Quæro ex te quoto illum in ordine collocabimus? per id tempus, & Angeli ſacerdoti aſſident, & cœleſtiũ poteſtatum vniuerſus ordo clamores attollit, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur angelorũ choris plenus eſt. Sic Anacletus quartus poſt Petrum Pontifex ſanctiſſimus in epiſtola ad Epiſcopos, vt ipſe filius Dei inquit mediator fuit Dei & hominum ita & vos eius vice in eccleſia eſtis conſtituti, vt inter Deum, & hominẽ legatione fungamini. Quid alios ſanctiſſimos hac de re patres in ducam? Paulus enim apertus teſtis eſt nos reconciliationis munere perfungi. Quod ſi hoc ita eſt forſan aliquis tacita mẽte ſibi iſthæc perſuadebit ſi ſacerdotes ſunt legati, & reconciliatores tantum ergo non ſunt qui peccata remittunt, reconciliari enim & legatione fungi longe aliud eſt quam eſſe iudicem & regem ipſum? Vnde inferet: quia Chriſtus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech in æternum, ergo ille ſolus peccata remittit, baptizat in gratiam Dei nos perducit, Deum pro nobis interpellat, ille eſt qui docet, qui conſecrat Euchariſtiam, ille eſt qui porrigit nobis ſumere volentibus, ille idem eſt qui offert ſanguinis & corporis ſui ſacrifitium in altari, ipſe denique eſt ſacerdos & ſacrifitium. Ad quid ergo nobis ſunt ſacerdotes?

Hæ prædictæ illationes vt veriſſimæ ſunt ita falſiſſimum eſt illud (ad nihil ergo valent vltra ſacerdotes)

dotes)

dotes) & quidem reſpondendo homini hoc tempore noſtro calamitoſo exoptãdum foret, eiuſmodi fieri concluſiones apud eos quibus nullum eſt ſacrifitium nullus ſacerdos, nullus legatus, nullus reconciliator quemadmodum videre paſſim eſt eorum hominum intemperantiam: qui nihil minus quam religionẽ curantes, præter verbum Dei aliud nihil eructare videntur. Sunt verò illi qui cucurrerunt antequam mitterentur, magiſtri & Doctores legis facti ſunt antequam ſcholarium munere fingerentur, ſunt inquam euangelici illi nouiter oriundi. Verum alias.

Nunc verò dicimus non propterea exiſtimãdum eſſe ſacerdotem. non baptizare, non remittere peccata, docere, præcari pro nobis, ſacerdotium obire, aut ideo nihil opis eſſe ſacerdotiũ, ex eo quod Chriſtus principaliter omnia faciat, is enim, Chriſtus ſcilicet, prædicta omnia exercet principaliter, & vt verus ſacerdos eſt, ſacerdotium exercet, ſacerdos verò hæc munia tanquam miniſter eius ritè exequitur, ſic etiam reprehendens Apoſtolus Corinthios propterea quod metiabantur baptiſmum ex miniſtrorum dignitate, & merito 1. Corint. 3. Quid eſt ergo Apollo dicit? Quid verò Paulus? miniſtri eius cui creditis? & vnicuique ſicut Dominus credidit: ego plantaui, Apollo rigauit Deus autem incremẽtum dedit. itaque nemo qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.

Ioannes Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. & in 2. ad Timoth. hom. 2. non ſunt humanæ virtutis hæc opera qui tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur ipſe perficit, &c. Miniſtrorum nos ordinẽ tenemus, qui verò hæc ſanctificat & tranſmutat ipſe eſt, & in com. in epiſt. Paul. ſacra inquit ob-

latio

latio ſiue illam Petrus ſiue illam Paulus ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quãque ſacerdotes modo quoque conficiunt, nihil habet iſta minus quam illa. Quid ita? Quia Chriſtus hanc ſanctificat qui illam antea ſacrauerat, quemadmodum enim verba eadem ſunt quæ Chriſtus locutus eſt, ſic eadẽ quoque ſunt quæ nunc ſacerdotes pronuntiãt ita etiam oblatio eadem eſt. & idem Chryſoſt. de proditione Iudæ: & nunc ille præſto eſt Chriſtus qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat: Non enim homo eſt qui propoſita de conſecratione menſæ Domini corpus Chriſti facit, & ſanguinem, ſed ille qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus, ſacerdotis ore verba proferuntur & Dei virtute conſecrantur, & gratia: Hoc eſt ait corpus meum hoc verbo propoſita conſecrantur.

Nec mirum ſi illo vnico verbo creſcite & multiplicamini Gen. 1. tantus ſubſecutus effectus eſt ad generationem natura operante, vt etiam in hodiernum vſque diem perpetua ſucceſſione perduret, Quid mirum ſi tantum verbis Chriſti inſtitutionis contulerit, vt toties id operentur quod ſignificant quoties ritè, & legitimè pronuntiantur? & ſic habes quando Chriſtus conſecrat & ſacerdos.

Hic tamen non abs re futurũ putamus ſi aliorum ſubtili magiſque curioſæ quæſtioni reſpondeamus qua venari conantur Dei virtutem & operationem in hoc mirabiliſsimo Miſſæ ſacrifitio, qua ſcilicet virtute id fiat quod ad prolationem verborum conſecrationis mutetur ſubſtantia panis in corpus & vini in ſanguinem, Num id verba in ſe ex ſola ordinatione Dei habeant, an vero ipſa, per ſe faciant, & actiuè, vt alij loquuntur operatur, an

verò

verò ex alia accuſanti efficientia id fiat?

Pro qua re aliquorum eſt ſententia, verba conſecrationis à Chriſto tradita habere virtutem conuertendi elemēta in corpus & ſanguinem. quæ quidem virtus data eſt verbis creatis à verbo increato, nec hoc excludit quin ibi virtus increata ſit intime operans, ſicut eſt in omnibus, in quibus cooperatur virtus creata. Data eſt ergo verbis virtus ſupernaturalis huiuſmodi & cæterorum ſacramentorum quorum virtute res ſacratæ efficiuntur virtute diuina cooperante, licet effectus ille principalius attribuendus ſit virtuti increatæ cooperanti. Vnde & ſi virtus data verbis à verbo increato operatiua ſit ad tranſubſtantiationem, tamen primo principaliter accipienda eſt conuerſio à virtute increata ſupernaturali.

Aliter tamen probabilius clarius & fortè verius dicendo vt negando omnem virtutem inſtrumentalem concurrentem effectiuè ad tranſubſtantiationem in exiſtere verbis conſecrationis, ſed quod ſola diuina virtute, & potentia conuertitur in corpus Chriſti: quia panis in hac conuerſione deſinit eſſe, tam ſecundum materiam, quam ſecūdum formam, ad quam ſubſtantiæ annihilationem non poteſt agere virtus creata, ſicut nec ad ipſius creationem, & huic ſententię fauet cap. firmiter de ſum. Trinit. & fide cathol. vbi dicitur panis tranſit in corpus & vinum in ſanguinem poteſtate diuina.

Ad cuius rei veritatem multa ſunt ſcripturarum dicta, vt Matthæi 9. legitur Chriſtum ſanaſſe mulierem ad veſtimenti fimbriæ tactum, vbi tamen nullam virtutem influxit in fimbriam veſtimenti ſui qua ſanitatem mulieri efficeret, ſed ipſe ſtatim ſanitatem contulit, dum mulier in fide fimbriam teti-

git, ita in propoſito Deus eſt qui ſubſtantiam panis in corpus Chriſti conuertit, dum ſacerdos verba profert, quæ ad hoc ipſe inſtituit, & ad hoc melius facient paulò ſupradicta in hoc eodem capite. Neque in verbis cauſat vllam virtutem quæ vlterius effectiuè concurrat ad panis conuerſionem ſed ipſe tanquam cauſa potiſſima conuerſionem illam perficit dum ſacerdos hæc verba legitimè protulerit.

Beatus quoque Petrus act. 5. vmbra ſua ſanauit infirmos, nemo vero dicet virtutem effectiuam fuiſſe in vmbra, quæ non eſt res aliqua, ſed luminis priuatio, cui nulla potuit competere uis, ſiquidem agere ſupponit eſſe, at Deus ipſe ad oſtendendam fidei veritatem, quam Petrus prædicauit, ac trãſitu Petri infirmis & inualidis reſtituit ſanitatem ſic ſerpens Aeneus præſeruabat filios Iſrael à morte à ſerpentum morſibus venenatos, non quippe per virtutem æri inexiſtentem num. 21. putabant tamen quidam hoc ideo ſerpentem plus debito venerabantur idololatriam committentes qua propter Rex Ezechias eum contriuit ad remouendam idololatriæ occaſionem. Sic in verbis iſtis non eſt virtus aliqua ſupernaturalis per quam actiuè concurrant ad ſacramẽtalem effectum ſed Chriſtus ex pacto quod cum eccleſia ſponſa ſua pepigit ſuo ſigno aſſiſtens conuerſionem efficit & ideo dicitur ſignum ne dum certum, ſed efficax quia ineffabiliter Chriſtus aſſiſtit, id efficiens..

Quod ſi quæras quomodo igitur verba iſta conſecrationis dicantur conſecratiua, & quomodo inſuper dicatur corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus panis, ex vi verborum, ſi nulla in eis virtus exiſtat qua id efficiant? Cui interrogationi ſatisfiet ſi intelligantur ita dici conſecratiua quod ad illorum pro-

lationem fiat conſecratio, & ad nullam aliam quorumcunque verborum prolationem, non quidem quod ipſa per virtutem aliquam in eis exiſtentem ad conuerſionem concurrant ſed quia Deus illam operatur dum verba hæc proferuntur, ſiquidem his ordinauit, vt quoties ſacerdos legitimè hæc verba protulerit toties velit ipſe aſſiſtere ad conuertendū panem in corpus ſuum & ſecundum hoc dicitur ſacerdos conficere, & conſecrare, quia facit aliquem actum ſcilicet verborum prolationem, qui requiritur ad hoc vt fiat conuerſio, requiritur inquam non ex natura rei ſed ex ordinatione Dei cum eccleſia, quo ad talem verborum prolationem. Placuit igitur Deo verba inſtituere in eccleſia prædicta regulariter ad quorum legitimam prolationem conuerſio fieret ſua miſericordia, & voluntate quod fecit cum dixit, hoc facite in meam commemorationem hoc ſcilicet quod ego feci quaſi diceret accipite panem, & dicite hoc eſt corpus meum & per hoc fecit pactum cum eccleſia & hoc modo dicitur ſacerdos velut miniſter conſecrare.

Nec difficile erit conijcere qualiter etiam illa verba dicātur cauſa tranſubſtantiationis: duplici namque modo cauſa accipi poteſt, vno modo quando ad præſentiam eius ſequitur aliud eſſe ex natura rei Quemadmodum ignis per virtutem caloris ſibi inexiſtentis dicitur cauſa calefactionis paſſi debitè applicati, ſicut & intellectus eſt cauſa intellectionis non minus quam voluntas ſuæ volitionis, & hoc ſiquidem modo verba conſecrationis non dicuntur cauſa tranſubſtantiationis, ideſt, non per virtutem in eis exiſtentem: alio modo ſumitur cauſa quando ad eſſe vnius ſequitur eſſe alterius ex ſola voluntate alicuius, quomodo dicimus quod actus meritorius

eſt cauſa reſpectu præmij ex ſola voluntate diuina præmiante & huiuſmodi cauſa ſolet dici cauſa ſine qua non. ſic ergo verba cõſecrationis & generaliter ſacramenta nouæ legis dicuntur cauſa ſine qua non effectus non ſequitur ſacramentalis, & propter hoc verba conſecrationis dicuntur cauſa tranſubſtantiationis non quia cauſa eſt ad cuius eſſe ſequitur aliquid ſed ad eſſe ſiue ad prolationem verborum debitã ſequitur præſentia corporis Chriſti per conuerſionem panis in ipſum, ideo dicuntur cauſa huius præſentiæ & conuerſionis.

Simili modo actus meritorij dicuntur eſſe cauſa beatitudinis futuræ, non ita quod ipſi efficiant beatitudinem, quæ tanquam merces à ſolo Deo datur ſed quia ex Dei ordinatione, & liberalitate placuit ipſi conferre tantum bonum in futura vita, elicientibus actus tales in vita præſenti ſic paterfamilias conducens ſeruum in vineã ſuam pro denario diurno, expleto labore tribuit mercedem laboris quam non meretur labor ex ſua natura, ſed ex pacto, & conuentione conducentis & conducti: Neque hoc nouum eſt in noua lege, vt etiam in veteri eiuſmodi pactum legamus Gen. 17. hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me, & vos, circumcidetur omne maſculinũ ex vobis & infra octo dies cuiuis maſculos caro præputij circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo. vbi à contrario ſenſu arguitur ſi circumciſa fuerit ſaluabitur, & ex hoc pacto ſtatuto Deus aſſiſtit remittẽdo originale peccatum & dat gratiam, quæ eſt medium producendi hominem ad gratiam, ſimiliter in verbis conſecrationis Deus ex pacto concurrit, idque efficit quod nobis proficit ad vitam æternam, & hinc patet illa reſolutio, cum ſacramẽtum hoc auguſtiſſimum non

ex

ex aliqua ſacerdotis actione aut merito conficiatur etiam ipſius non impedire malitiam aut peccatum effectum licet alias orationes impedire poſſint.

Cæterum hanc poteſtatem, & facultatem conficiendi ſacramentum non omnibus indifferẽter, ſed ſolis Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus in ædificationem corporis Chriſti conceſſum, & ſi ſuperius ad principium huius manifeſtè ex patribus præcipuè Sancto Chryſoſtomo conſtat, ob huius tamen temporis calamitates haud abs re fuerit inquirere num alicui alteri præter illos conueniat, neque dubium eſt, quin multorum peruerſitas audaciaq; effrenis eo vſque deuenit quod ſicut in alijs eccleſiæ negotijs, ſic etiam in hoc auguſtiſſimo myſterio paſſionis & mortis Chriſti conficiẽdo pertractandoq; ſeſe ingerant: quia tamen de facto idipſum, & temere attentãt, non autem ex conceſſione ordinaria quæ iuris ordinem obſeruat ideo dicimus nulli alteri hominum hoc competere de iure & ordinaria Chriſti diſpoſitione.

Manifeſtum hoc erit ex collatione veteris & nouæ legum vbi illud ita ordinatum legimus Exo. 28: quod non omnibus ſine vlla differentia creditum
„ fuerit, ita enim Dominus ad Moyſen dicit Applica
„ quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis
„ de medio filiorum Iſrael vt ſacerdotio fungantur
„ mihi Aaron Nadab, & Abihi, Eleazar, & Thamar
„ filij Aaronis facieſq; veſtem ſanctam Aaron fratri
„ tuo in gloriam, & decorem. Ecce vides Aaron & filios eius ſegregatos ex præcepto Domini à tota plebe vt ſacerdotio fungerentur coram eo, & huic lege conſonat id quod Paulus mirificus interpres in epiſtola ad Hæb. de Chriſto ſaluatore noſtro differens
„ ait Hæb. 7. In quo enim hæc dicuntur de alia tribus

eſt,

,, &c. de qua nullus altari præfuit Manifeſtum eſt enim quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſis locutus eſt ecce Paulum teſtantem, neminem de tribu Iuda iuxta legis Moſaycæ præceptum poſſe eſſe ſacerdotē. Idem præceptum dedit populo Samuel Propheta 1. Reg. 17. contra Regem Saul qui de tribu Beniamin erat, illumq; grauiter reprehendit quod holocauſtum & pacifica Deo obtuliſſet, & ſacerdotio offitio functus: ſtultè egiſti dicens nec cuſtodiſti mandata Dei tui, quę pręcepit tibi. Num. 4. legitur ſingulariter ad hoc electam tribum Leui & filios Caath deſtinatos ad portanda vaſa ſanctuarij inuoluta ab Aaron & filijs eius, vt non tangerent ea, ne forte morerentur. ſi tantam reuerentiam Deus præcepit exhiberi vaſis ſanctuarij vt non ab alio quam à ſacerdote tangi poſſent, quanto maiorem reuerentiam credendum eſt nos oportere exhibere ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, vt vaſis quibus illa reconditur, ne dicā ipſammet non permitti, nec poſſe ab alio quam à ſacerdote contrectari, & confici. Si ergo tantus honor vmbræ, & figuræ, quid veritati & verò corpori Chriſti? Quod ſi dicas in inſtitutione Chriſti illa & ſi patiamur ſolum Chriſti Apoſtolos & eorum ſucceſſores conſecratos: quia tamen non omnes tunc erāt congregati ſequitur quod vel non ſolum ad præſentes illa inſtitutio Chriſti directa ſit, vel ſi ſecus oportet, quod aliqui Apoſtoli Chriſti ſacerdotes non fuerint, patet enim ex Euangelio Ioannis 20. Thomam non fuiſſe cum alijs Apoſtolis quando Chriſtus apparuit illis & dixit illis accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis, &c.

Hanc difficultatem mouit olim Cyrillus & reſpondit etiam omnes duodecim Apoſtolos fuiſſe

à Deo

à Deo electos, vt Principes eſſent ſuper omnem terram & poteſtatem haberent tanquam illius miniſtri remittendi & retinendi peccata, Chriſtus igitur cuius potentia non præſcribitur loco, non indiguit illius præſentia, vt hanc illi cum alijs poteſtatem impartiret, proinde illud idem quod alijs dare conſtituit etiam Thomæ contulit quamuis abſenti. Neque hoc difficile videri debet cum ſimile aliud conſtet in veteri leg. num. 11. tunc præcepit Dominus Moyſi vt congregaret ſeptuaginta viros ex ſenioribus Iſrael, quibus daret de ſpiritu Moyſis, vt cum eo onus ſupportarent quo facto remanſerunt duo viri in caſtris. Quorum vnus Eldad, & alter Medad ſuper quos requieuit ſpiritus Domini qui tamen non comparuerunt inter ſeptuaginta illos viros cumque prophetarent in caſtris cucurrit puer, & nuntiauit Moyſi dicens Eldad & Medad prophetunt in caſtris, ſtatim Ioſue filius Num miniſter Moyſis & electus è pluribus ait. Domine mi Moyſes prohibe eos, at ille quid inquit emularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophecet, & dic ei Domines ſpiritum ſuum. Quia ergo illi duo inter ſeptuaginta viros à Deo electi fuerant ſicut Thomas cum alijs Apoſtolis mirum videri non debet quin eamdem virtutem, & facultatem obtinuerint ex quo iterum manifeſtum eſt in omnes Chriſtianos vt falsò & imprudēter quidam autumunt ad perfungēdum hoc tam excellenti munere conſtitutos eſſe, neque ea de re vnquam dubitatio fuit neque apud Gentiles qui ſacra ſuo more coluerunt, moris fuit pro eo omnes admittere ſed vt ſacrum numen altiſſimum venerati ſunt ſic etiam ſolertiſſimos quoſque ad id aut placandum aut exorandum admiſerunt. Fruſtra ergo moderni

ſi qui

ſi qui ſunt nouatores blaterant nec aliud quam ſtolidiſſimos ſe ſe produnt & nullum propemodum Deum agnoſcunt quem tam vilem & communem eſſe arbitrantur. Ergo illud de quo promiſimus ſupra, finiendum eſt non ſolum in hac eccleſiaſtica Republica ſelectiſsimos Chriſti ſacerdotes eſſe, ſed etiam diuerſa munera inter illos atque diuerſos ordines eſſe debere illudque in primis Chriſti facto demonſtradum venit qui è fideli populo Apoſtolos duodecim, & ſeptuaginta diſcipulos electos ſacris functionibus mancipauit, ipſoſque deinceps Apoſtolos obſeruaſſe ex ſuis actis haud obſcurè colligitur cum ab eis quoſdam Epiſcopos quoſdam presbyteros alios vero Diaconos liqueat conſtitutos, ſic vt miniſteriorum ita & nominum facta diſtinctio cognoſcatur Act. 2. & 6. Vnde Tertullianus exhortatione ad caſtitatem 7. inquit, differentiam inter ordinem & plebem conſtituit eccleſiæ authoritas ſecundum diuerſos gradus munerũ diſtinctio, & honoris prærogatiua diuerſa. Generalis enim eſt ordo clericorum in plures ordines diſtributus vnicuique autem eſt peculiaris functio, atque ita ſingulis proprium miniſterium adſcriptum puto: ex Sancto Ignatio conſtat epiſt. 8. qui cum eo tēpore quo Apoſtoli vixerunt eas quas tunc eccleſiaſticas inſtitutiones obſeruarint recenſet; ita ergo ad Antiochenos ſcribens ait, præsbyteri paſcite gregem qui vobis commiſſus eſt donec Deus demonſtret eum qui vobis imperaturus eſt. Ego enim iam immolor vt Chriſtum lucrifaciam: Diaconi agnoſcãt cuius ſint muneris & dignitatis dentque operam, vt inculpabiles fiant imitatores Chriſti: paucis dein interiectis inquit, ſaluto ſanctum Preſbyterorum cętum ſaluto ſacros diaconos ſaluto ſubdiaconos, lectores, cantores,

res, oſtiarios, laborantes, exorciſtas, confeſſores & ſcribens Epheſiis Epiſt. 19. meminit Epiſcoporum Sacerdotum, & Diaconorum, eſt enim totus Eccleſiaſticorum ſtatus in duas claſſes diſtinctus, vt alius ſit ſacrorum alius non ſacrorum, non ita tamē à ſe inuicem ſint diſtincti quaſi non omnes ad Corporis Chriſti veri & miſtici deſignationem cooperentur, ſed ideo non ſacri dicuntur quod non ita proprie ad confectionem Corporis Chriſti accedunt. prioris Claſſis ſunt tres & dicuntur maiores, vt Subdiaconatus Diaconatus & Presbyteratus, alij vero ab hijs inferiores ſeu minores appellantur. Diaconatus quidem erat ordo in tribu Leui, quæ ſingulariter ad diuini cultus miniſterium à Deo fuerat deſignata. Num. 3. & Leuit. c. 8. quando Moyſe pręceptum fuit vt poſt Aaronis & filiorum eius conſecrationem tribum Leui ordinaret & conſecraret Deo, vt ſeruirent pro Iſrael in tabernaculo Dei coram Aarone & Filijs eius, & in actibus Apoſtolorū legitur ſeptem viros electos fuiſſe precibus p̄miſſis impoſitisque manibus ad Dei ſeruitium aſſumptos actorum 7. & hoc ideo quia cum ſecundum Paulū lex vmbram habuit futurorum bonorum, debuit quod in veteri lege præfiguratum fuit in noua veritate adimpleri omnia enim inquit veteribus in figura contingebant: quare ſicut Paulus ab vmbra ad corpus argumentatur ſic nos à veteri lege ad nouā deductionem ſaere poſſumus ſed in veteri erāt plures, & diuerſi ordines inter ſe ergo neceſſario etiā erunt in noua lege, quorum miniſtrorum veteris legis vnus ſolus Pontifex erat aut ſummus Sacerdos alij minores Sacerdotes aut Leuitæ qui etſi Sacerdotes non eſſent alijs tamen adminiſtrabant. Horū ſingulorum offitia cum ornamentis ipſorum deſcri-

buntur in Exod, ſi ergo tantus fuit ordo in veteri lege, opus eſt concedamus varium eſſe ordinem clareq; diſtinctum eorum, qui in altari vbi nunc Eucharistia conſecratur, miniſtrare debent niſi fortè Eccleſiam Catholicam confuſiſſimam quandam babilonam facere velimus, quod ſi quis tam impius & tã effroens eſt, vt id fateri non vereatur is certè aut ſapientiam aut potentiam, aut denique bonitatem cogetur minuere diuinam, quia. ſ. cogetur dicere Deũ aut negaſſe, aut non potuiſſe aut denique noluiſſe talem formare Eccleſiam ſuam qualem prius ad vmbrabat, & delineabat in figura, quæ tamen omnia falſiſſima eſſe ſupra in 3. cap. fuſe clareq; oſtendimus. Sed in his longius nolo immorari, non enim hoc noſtro tempore tam ordines Eccleſiaſtici vilipenduntur quam modus & ceremoniæ quibus prædicti adminiſtrantur. Quare cum alias nobis de iſtis fuſius agendum eſt, nunc ſolum de poſteriori cap. agemus, idq; ex Anacleto qui Petri ſucceſſor fuit Epiſt. 2. de Initiandis Sacerdotibus Apoſtolica traditione conſtitutum eſſe tradit: Certe inquit ordinationes Epiſcoporum authoritate Apoſtolicæ ab omnibus qui in eadem Prouincia fuerint Epiſcopis ſunt celebrandæ, qui ſimul conuenientes ſcrutinum diligenter agant Ieiuniumq; cum omnibus celebrent precibus, & manus cum Sanctis Euangelijs quæ prædicaturi ſunt imponentes Dominica Die hora tertia orantes ſacraq; vnctione exemplo Prophetarum & Regum capita eorum, more Apoſtolorum & Moyſis vngentes: quia omnis ſanctificatio conſtat in Spiritu Sancto, Chriſmati eſt per mixta, & hoc ritu ſolemnem celebrent ordinationem, de qua Sacra vnctione Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarchia c. 4. Cyprianus libr. de Criſmate.

quod

quod vero Sacra myſteria ſolum ab huiuſmodi rite, & legitime ordinatis ſacro item charactere inſignitis atque per manus impoſitionem cum ſacra vnctione iuxta Eccleſiaſticam ordinationem tractanda & accipienda ſint, vniuerſa tradit Eccleſia & docet plurimum illos errare, qui exiſtimāt nihil aut parum intereſſe vtrum à Sacerdote, an vero à Laico eiuſmodi offitia exerceantur. Quare ne tales admitantur prohibet atq; eorum adminiſtrationem, vt inutilem inualidam & ſubreptitiam improbat, de ordinatione Epiſcoporum ex Anacleto cōſtat.

Quod vero attinet ad Sacerdotes & q alijs ordinibus initiantur ſic ſequitur in primo Apoſtolorum Canone, presbyter vero ab vno Epiſcopo, Diaconus autem & alij eodem modo, ſic in Pauli & Barnabæ ordinatione factum fuiſſe Sacra narrat hiſtoria vbi ieiunium inductum & ſacrifitium peractum fuit, vbi enim noſtra vulgaris verſio habet ieiunantibus & miniſtrantibus illis Græce legitur λειτωργουντων ideſt ſacrificantibus non enim ſine ſacrifitij incruenti miniſterio ſacras eiuſmodi ordinationes ſolitas celebrari apud antiquos qui de ritu, & conſtitutione Sacrorum tractant, in promptu habemus. ad miniſterij vero conſumationem manuum impoſitio accedebat quod in actis Apoſtolorum Lucas & in ſuis Epiſtolis Paulus ſępe factitatum fuiſſe teſtantur, ſic primo ad Timoth. 4. ſecunda ibidem prima, & primo ibidem quinto, & hoc ipſum adnotauit facere ille Eccleſiæ omniſq; ſpiritualis ordinationis deprauator Diabolus quando per Simonem Magum ſubornatum, ſibi per manuum quoq; impoſitionem Spiritum Sanctum dari poſtulauerat act. 4. viderat enim Spiritum Sanctum in eos qui Chriſtianam religionem ſuſceperant diuinitus deſcen-

diſſe, Apoſtolos autem eius modi ritus exemplum, imponendi manus ſuper eos quos ſacris offitijs man cipabant ex antiqua lege ſumpſiſſe inſinuauit Anacletus vbi ſupra illudq; ad veteris legis, teſte Hieronymo epiſt. 85. ad Euagrium, imitationem, qui ab Aarone & filijs eius ſuper eos qui Sacerdotio Leuitico initiabantur manus imponebantur Exod. c. 29. quod autem Aaron & filij eius atque Leuitę in templo fuerunt hoc ſibi Epiſcopi & Præsbyteri & Diaconi in Eccleſia vendicant.

Neque audiendi ſunt qui cum apud Ethnicos in more poſitas fuiſſe fere omnes ceremonias quibus iam vtitur Eccleſia Catholica, ideo ab eiſdem eas non mutuaſſe calumniantur, Vafre enim Cacodemon hoc modo Sacros ritus ab Eccleſia excutere parat dum ſe in Angelum lucis transfigurat omnibusq; modis perſuadere conatur ne aliquod ad vtilitatem conuertatur eorum, quibus antea ſibi miniſtratum fuit. Tale fuit olim ſtrategema Gnoſticorum qui Innocentiam morum, integritatem vitæ multamq; in pauperes benignitatem ſimulabant & qui hodie exorti ſunt pſeudo Apoſtoli Verbum Dei ſubinde eructantes nihilq; eorum niſi quod Sacris literis commendatum inueniant recipiendum tradunt, & hi, curios ſimulant, & bacchanalia viuunt, quin maxime licet ea quibus impie gentiles ab vſi ſunt expiata ſacro ritu, ad pietatem transferre, vt ſic maior Diabolo cõtumelia afflictioq; addatur, Chriſtoque honor cum ſumma religione, & pietate maxima deferatur. Cuius rei exemplo eſſe poterit magnus Gregorius Thaumaturgius vt fatetur in eius vita Gregorius alter Nyſſenus, qui de ipſo ſic ſcribens dicit, deſcendit rurſus ad vrbem, & omni circa regione vndique peragrata & perluſtrata, addita-

mentum

mentum & quaſi corrolarium ſtudij erga numen diuinum inſtituebat apud omnes vtiq; populos ſanciens, vt nomine eorum qui pro fide decertaſſent dies feſti atq; ſolemnes celebrarentur, cumq; alij in alium locum corpora martirum deduxiſſent per anniuerſarium circuli ambitum congregati letabantur in honorem martirum ferias agentes, & poſt pauca cum animaduertiſſet quod propter corporis voluptates ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulacrhorum permaneret, quo maxime id quod præcipunm eſt interim in his aſſequerentur, nempe, vt vanis ſuperſtitionibus relictis ad Deum conuerterentur permiſit eis vt in memoriam Sanctorum Martirum ſe ſe exhilararent, & oblectarent atque effunderentur in lætitiam. Similiter Theodoretus de Græc. affect. lib.8. de Ethnicorum ferijs in honorem Martirum pie ſanc̄teque translatis ſcribit dicens diruptorum templorum materia templis arisque Martyrum excitatis expiata eſt, ſuos enim mortuos Dominus noſter in templo pro Dijs veſtris induxit ac illos quidem caſſos gloria vanosque reddidit, ſuis autem martyribus honorē illum dedit. Quid igitur in cauſa eſt cur Neotherici illud pſeudo Apoſtoli cum omnis antiquitatis ſtudioſos ſe deprędicent ab his vetuſtiſſimis & ſacratiſſimis ritibus tātopere abhorrent? Cur in creatione ſuorum paſtorum nihil horum obſeruant? cur ſine Sacerdotalis manus impoſitione. Pontifices, ſine vnctione, Sacerdotes, ſine miſſione, Apoſtolos, ſine ritu Sacro rerum Sacrarum miniſtros inducūnt? an hæc Sacroſancta non ſunt? an diuinis Scripturis non conſonant? an munus & officium eius qui conſecratur re ipſa potius quam verbis non exprimunt atq; velut oculis videnda non ponunt? cur inquam homi-
nes

nes probatos legitimaque electione in ampliſſima dignitate conſtitutos tam Sacro deinde ritu conſecratos repudiarunt, errones autem quoſdam ſine electione ſine examine, ſine Sacramento, nullis Sacris ceremonijs expiatos non à Deo, ſed à ſeipſis miſſos admiſerunt? tam abſurda iſthæc ſunt, tamque craſſa vt pro Sacerdote mercenarium, pro Pontifice latronem, pro Paſtore auidiſſimum Lupum, ſolo teſtimonio & authoritate ſua quam nullam habent Eccleſiæ præficiunt. teſtatur hoc Tertullianus lib. de præſcrip. illorumq. hominum mores & factiones temporum noſtrorum ad viuum depinxit ordinationes eorum inquit temerariæ leues inconſtãtes nunc Neophitas collocant, nunc ſæculo obſtrictos nunc Apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent: quia veritate non poſſunt nuſquam facilius proficitur quam in caſtris rebellium vbi ipſum eſſe illic promereri eſt, itaq; alius hodie Epiſcopus cras alius hodie Diaconus qui cras lector, hodie Præsbyter qui cras Laicus. Quid vero boni in Religione ex tanto omnium vitiorum colluuione ſperandum erit? Quis profectus in ſecularibus? Quæ pax inter Ciues? Quæ concordia inter exteros? Docuit hactenus cum multarum prouinciarum extremo exitio multorumq; catholicorũ ingenti diſpendio hæc malorum facies quam ſit peſtilens, dum pro euangelica veritate hæreſes, pro pace, & charitate inteſtina bella, ac in omnes bonos capitale odium, pro modeſtia ſuperbiam, pro libertate licentiam, pro caſtitate libidinem effrenatam pro quiete turbas, pro obedientia legitimi Imperij transgreſſionem, pro amplexatione rerum ſacrarum quæ amorem Diuinum exitant contemptum, paucis quibuſdam prouintijs intulerunt. nec aliud quidem hæc no-

ſtra

ſtra tempora nobis pleſagire videntur quę nos vndique miſere cruciant, quam Religionis Chriſtianę cœdem, & lacerationem diuinarum, & humanarum rerum, ſummam confuſionem ſacrorũ magiſtratuum iuditiorum ſacerdotumque contemptũ, imperij defectionem veteris diſciplinæ corruptionem, deprauatos & peruerſos mores diſcordia, bella ſeditiones, tumultus, niſi Chriſtiani Prencipes & ſeculares & eccleſiaſtici è ſomno expergefacti ſedulo curabunt vt prius extincta atque oppreſſa, quã plane exorta & enata malorum flamma, gregem ſibique commiſſas prouincias ab eiuſmodi luporum rapacium extremo interitu liberent, nulloque negotio committant in Sancta Dei religione minimũ quid immutare aut falſos deprauatosque ritus inducere, quod & ſi Epiſcoporum proprium ſit non tamen minus & ſęcularium principum cura ſollicitudoque erit, hæc omnia à prouincijs ſuis longe lateque extirpare vt infra patebit; ad hoc Principum regumq; ſtudium & ſanctam audaciam plurimum permouebunt Sacri præſules & aliorum Sacerdotũ Antiſtites qui vt Principes ad defenſionem & Fidei & Reipublicæ conſtituti ſunt ſic ipſi viciſſim adiutores Principum & conſiliarij Dei, maximè in Religione & Sancta Dei Catholica Eccleſia poterunt honorem Dei, & communem vtilitatem promouere, ſi memores offitij ſui & vocationis ſedulo extiterint, quos vt eorum omnium admoneamus ſequens capitulum ponendum duximus.

CAPVT

C A P V T X I V.

Sacerdotum omnium ſupremum eſſe Epiſcopum, & omnium Epiſcoporum Summum Pontificem Romanum.

PRouidentiæ Diuinæ conueniens fuit in ſua Republica vbi ob effrenatã populi licentiam, vel etiam ob Sacerdotum, & Eccleſiaſticorum negligentiam vera ſinceraque doctrina nonnunquam contemnitur & loco illius vana religio & ſuperſtitio, vel prauæ diſciplinæ ſubrogantur vnum aliquẽ omnium cæterorum maximum Principem, ſicut in Politia ſeculari fecit cui vniuerſam ſuorum ciuium collectionem regendam tradidit, præficere, quatenus quemadmodum alij inferiores Ciuitatum & Prouinciarum magiſtratus ſupremo Principi; ita etiam omnes Presbyteri cæterique Eccleſiaſtici ſuo Epiſcopo ſubiecti, hi demum vniuerſali Antiſtiti Romano Pontifici parerent ex hac vero conſtitutione, & ordinatione efficitur, vt ſiquid vel in populo vel in Clero aberratum ſit, vel in moribus fideique negotijs collapſum, iterum Epiſcoporum ſollicitudine & cura reſtauretur, delinquentesque iuſtas pẽdeant pænas. Vnde Tridentini patres ampliſſimi huiuſmodi Cleri & Epiſcoporum inſtitutionem appellarunt ordinatiſſimam diſpoſitionem ſeſſ. 23. c. 8 vix enim fieri potuit aut certe perdifficile, vt vnus ſolus tanto polleat ingenio faciendarum rerum dexteritate, qui omnia munia, & offitia, quæ in Eccle-

ſia

ſia Dei apprimè ſunt neceſſaria, rite obire poſſet, idque naturæ ordini contrarium eſſe, docet humani corporis œconomia, vt pro diuerſitate membrorum ſingulis quibusque conuenientia reſpondent miniſteria, ſic quoque in Eccleſia, vbi non ſolum ad ordinandum perficiendumque Corpus Chriſti verum munera perſtant, ſed etiam ad Corpus Chriſti myſticum ideſt ſubiectos Chriſtianos tueri regere & moderari. cui profectò Sacerdotum inferiorumque aliorum Eccleſiæ miniſtrorum non ſuppetebat vel authoritas vel poteſtas, igitur vt & ipſi Sacerdotes legitime ordinentur, alijque Chriſti fideles ſalutari & doctrinæ & legum ordine prouiderentur; placuit altiſſimo Hierarchæ hic in terris, ſibi poſt aſcenſum ſuum ad Patrem Cœleſtem relinquere, cui omnem poteſtatem & authoritatem committeret, commiſſamque pro neceſſitate Eccleſiaſticæ compaginis ſingulis adminiſtraret, adminiſtratãq; conſeruaret. Quia vero hoc ſolum loco de Epiſcoporum authoritate nobis eſt dicendum, deque illorum maieſtate & poteſtate de Summo Pontifice, & Chriſti Vicario, ad alium commodiorem locum reijcimus, ex hac denique ordinatione colligimus, tanto maiorem Eccleſiæ illiusq; antiſtitum à Deo relictam poteſtatem & excellentiam, quanto maiori miniſtrorum numero eorumq; inter ſeſe varietate communire voluit, non ſecus ac in bellis vnicuique ordini vnus præficitur dux, ſic in Eccleſia perfungendis muneribus vnus ſingulis miniſter hiſque omnibus demum vnus præficitur, qui omnium aliorum curam gerit, gerendiq; materiam tribuit & formam.

Quanta vero amplitudo ſit dignitatis Epiſcopatus vel ex ſola ipſius inauguratione & conſecratio-

ne, cognoſcere licet vbi non vulgares aut prophani, ſed ſacræ celebrantur nuptiæ, ex quibus omnibus Hierarchici ordinis ratio,& ex qua vera quodã modo Chriſti ſponſa dignoſcitur omniſq; inde Eccleſiaſtici regiminis & gubernationis propago exoritur omnis denique Apoſtolicæ generationes perpetua ſucceſſio deducitur. Eſt hoc ſane ampliſſimum & ſingulare Catholicæ veritatis argumentũ quod olim Eſaias prouidens recitat c. 52. Spiritus „ meus qui in te eſt & verba mea quę poſui in ore tuo „ non recedent de ore tuo,& de ore ſeminis tui amo- „ do vſque in ſempiternum. hæc enim conſecratio omnium conſecrationum finis eſt,& initium quod Dionyſius atteſtatur de Eccleſ. Hier. c. 5. ſicut .n. inquit ille, Hierarchiam omnem in Ieſum terminari conſpicimus ita vnamquamq; functionem in diuinum Pontificem propriam: porro pontificalis ordinis virtus in Sacris omnibus diſtinctionibus capitur,& per omnes ſacros ordines operatur propriæ Hierarchiæ myſteria, nam, & ſi Sacerdotes aliqua per ſe perficiunt, non tamen ſine his, quæ Epiſcopi propria opera & conſecratione fiunt, ſponſus eſt ergo Epiſcopus, ſponſa Eccleſia, ideo merito primus & vltimus, primus quidem quia ab illo promanant reliqua omnia & ſuam accipiunt animam, vltimus autem quia in eo deſinit & perficitur omnis Eccleſiaſticę & Hierarchicæ rei ornatus. Quãta vero & qualis ſit Epiſcoporum dignitas recitant ex ordine & Chriſtus ipſe,& Paulus reliquique ſanctiſſimi Patres. ſic Chriſtus illum interpellat Paſtorẽ ouium, ſalem terræ,lucem mundi,Ciuitatem ſupra montem poſitam, lucernam ſupra candelabrum. Matthæi. 5. Io: 8. Matth. 6. 16. 24. Lucæ 10. &c. Oculum vniuerſi, quique claues habeat Regni Cæ-

leſtis,

leſtis, quam vero hæc ſint præclara elogia quis non videt? paſtorem namque decet non ob fluxam mercedem ſuarum curam ouium agere, ſed ideo ſolũ. quia oues ipſius ſunt ſibiq; regẽdas traditas à Chriſto. honorem ergo ſuum non quærat, Lupis non cedat, infamiam, exilium lacerationem non metuat, Paſtor enim eſt, & nouit oues ſuas, & oues cognoſcunt vocem ipſius illasque nominatim vocat, atq; vitam pro ſalute illarum bonus paſtor ponit. Sal terræ dum condit, & emollit putrefacta hominum corda ad peccatorum ſarcinam deponendam. Lux mundi quando ſterilia fœcundat errantia illuſtrat, & mœſta exhilarat, latentia prodit & in lucem profert. Ciuitas vndequaque illuſtris, quæ obſcurari nullo modo poteſt, oculus vniuerſi quo ſano, & ſimplici totum corpus lucidum fit. Claues regni habet æterni vt cui aperuerit apertum ſit, cui non, clauſum permaneat. & hic eſt ille ſeruus fidelis quem Dominus conſtituit ſuper familiam ſuam, vt det illi in tempore opportuno: & quia ſupra familia Chriſti conſtitutus eſt ideo non ſeruus, ſed amicus, ſed Pater Chriſti eſt Ioan. 17. 15. & Matth. 28. fructum affert & fructus eius non tranſit. qualis autem ille ſit fructus notatur dum dicit vt det illis triticum, de quo tritico ait Panlus Heb. 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia, & qui condolere poſſit, & his qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & proinde debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.

Hinc Clemens conſtit. Apoſtolorum lib. 2. c. 28. ipſum appellat mediatorem Dei, & hominum in eo quod ad Deum facit miniſterio, doctorem pie-

tatis, ſecundum Deum parentem noſtrum qui per aquam & Spiritum regenerat nos in ius adoptionis filiorum Dei, Principem & Ducem populi Dei regem atque Dynaſtam terreſtrem Deum cui à nobis primus debeatur honor iuxta ea, quæ dicuntur pſalm. 81. Ego dixi vos Dij eſtis & filij excelſi omnes, qui primum in omnibus locum teneat, diuini honoris, quantum homini fas eſt participem, vniuerſi Cleri caput, totius deniq; populi in his quæ ſunt ad Deum Principem, ſic Dionyſis de Eccleſ. Hierar. c. 1. virum diuinum totius Sanctæ ſcientiæ peritiſſimum in quo liquido, ac perſpicue ſacratus omnis ordo ſuus, & præfectus ſit, & poſſit agnoſci.

Non diſſimilis eſt ab his Ignatius qui in Epiſtola ad Smirnenſes vbicumque inquit Epiſcopus apparuerit illic & plebs eſto, ſicut & vbi Chriſtus eſt omnis cœleſtis militia præſens eſt & adeſt tanquam diui militię victricis Domini, & vniuerſæ intelligibilis naturę diſpenſatori. denique cum non ſit in Eccleſia Epiſcopo quicquem maius Deo ſacra faciente, pro totius mundi ſalute (vt neq; Regi compar eſt quis in principibus pacem & æquitatem ſubditis procuranti) qui honorat Epiſcopum à Deo honorabitur, vt itidem qui in honorat eum à Deo punietur.

Gregorius Nazianzenus & Baſilius Magnus duo precipua religionis Catholicæ lumina huic Epiſcoporum decoro nihil non adijcere conantur quando Epiſcopum Angelum Dei, candelabrum in Eccleſia, Chriſti Sacerdotẽ incruenta ſacrifitia offerentem illuſtrem animarum cuſtodem, magni Dei imaginem, in manibus ſuis portantem, Deum hominibus conciliantem, immortalis vitæ Doctorem magnam vocem & tubam ſermonum regalium, viuifican-

ficantem virtutem, columnam,& firmamentum in Domo Dei, ſcopulum eminentẽ, qui omnes fluctus errorum,& inſectationum excipiat, frangat,& à populo Dei arceat terrorem hæreticorum,cuſtodem patriarum legum, omnis nouitatis hoſtem, ſecurim petram ſcindentem, linguam flumini irriganti ſimilem ſacri Conſilij apicem, ſermonum myſticorum interprætem, ignem malam & vitioſam materiam purgantem, ventilabrum quo à prauis dogmatibus leuia diſcernuntur, gladium vitij radices excindentem, percutientibus adamantem, diſſidentibus magnetem, ac deniq; veteris vitæ & doctrinæ exemplum appellare ſolent. Idem Gregorius in Apol. primo & in oratione de laud. Athanaſii, in funere item patris,in exhortatione ad Epiſcopos Baſil. in Epiſt. 62.

Quales ergo putamus fieri nuptias inter talem tantumq; Eccleſiæ ſponſum certe vires deficerent, animoq; nequimus compræhendere quippe quod ſummum illum Sacerdotem & Pontificem Chriſtum Ieſum, quem S. Ignatius τοῦ πατρὸς ἀρχιερέα. Dionyſ. vero de Eccleſ. Hierarch.cap. 5. θεαρχικὸν καὶ πρῶτον ἱεροτελέστην, ideſt diuinum & primum conſecratorem appellat earum nuptiarum ſponſorem, ſacris oraculis teſtatum videamus is enim Chriſtus Ieſus primus Eccleſiæ Hierarca ex vniuerſa illa diſcipulorum multitudine, quam ſibi adſciuerat duodecim,quos Apoſtolos cognominauit conſulto elegit hos autem in vltima cœna Sacerdotes,ad Cœlos vero aſcenſurus illis verbis Pontifices creauit, ſicut me miſit Pater,& ego mittõ vos. Io. 20. quo loco S.Chriſoſt.& Theoph. Apoſt.tunc tempo ris Chriſti Vicarios inſtitutos & ad ipſum Chriſti munus &authoritatem aſſumptos fuiſſe dixerunt.

Quibus

Quibus conſentit Cyrillus tunc inquiens proprie duodecim illos creatos fuiſſe Apoſtolos & vniuerſi orbis doctores, ea autem oratione Chriſtum Saluatorem noſtrum explicaſſe & expreſiſſe omnem Eccleſiaſticam poteſtatem in Apoſtolica authoritate mirifice contineri: ſi enim ſempiternus Pater filiũ miſit vt Doctoris & Pontificis munere ne dum fungeretur, ſed eſſet, efficitur profectò ex ipſa verborũ ſerie tales & Apoſtolos effeciſſe: ſicque omnem à Patre filius diſponendi legesq; condendi aliaque omnia quæ ad redemptionis humanę ſalutem eiuſque ſalutis conſeruandæ ſpectabant vtilitatem accepit, poteſtatem, eandem proculdubio in Apoſtolos, quos in vniuerſum orbem ablegauit deſcendiſſe fatendum erit, quod abſq; alijs adminiculis ſatis ſuperq; declarare videtur & confirmare Cyrillus de vnitate Eccleſiæ. loquitur enim Dominus (inquit ille) ad Petrum tibi dabo claues Regni Cælorum & eidem poſt reſurrectionem dicit paſce oues meas: & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, tamen vt vnitatem manifeſtaret vnam cathedram conſtituit: Quamobrem eorum qui Apoſtolos non à Chriſto ſed à Petro iuriſdictionem accepiſſe aſſerunt haud vnquam placuit opinio, hoc enim ſi ſic fuiſſet vtiq; eius ſibi à Petro collatæ poteſtatis alicubi in Sacris Scripturis reperiretur mentio, ſicut Chriſti Domini noſtri in omnibus eorũ quos Apoſtoli deinceps loco ſuo conſtituebant, & eligebant electionibus comperitur, vt exemplum eſt actorum primo in electione Diui Matthiæ vbi nihil de Petri authoritate ſed ſolum de Chriſti approbatione audiuimus „ ita enim tunc Petrus loco Chriſti inquit, Tu Domine

„ mine qui noſti corda omnium oſtende quem elege
„ ris ex his duobus vnum accipere locum miniſterij
„ huius & Apoſtolatus de quo præuaricatus eſt Iu-
„ das, vt abiret in locum ſuum. Idem profitetur &
„ Paulus, Aſcendens inquit Chriſtus in altum capti-
„ uam duxit captiuitatem dona dedit hominibus;
Et ſtatim enumerans quęnam illa fuerint dicit Eph.
„ 4. Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos quoſdam aũt
„ Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alias vero Pa-
„ ſtores & Doctores ad conſumationem ſanctorum
„ in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chri-
ſti, &c. nec ſuam ipſe Paulus vocationem aut ele-
ctionem, à Petro deſcendiſſe aperte teſtatur ad Ga-
lathas primo ſed à Deo ſolum, Paulus (inquiens)
„ Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem,
„ ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, Et poſt
„ pauca. Cum autem placuit ei qui me ſegregauit
„ ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam
„ continuo non acquieui carni & ſanguini neq; veni
„ Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos ſed
„ abij in Arabiam & reuerſus ſum in Damaſcum dein
„ de poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrũ
cuius profecto inquit Dion. de Eccleſiaſt. Hierar.
cap. primo ſacræ ſunctionis initium eſt fons vitæ bo
nitatis eſſentia, vnica rerum omnium cauſa, bea-
tiſſima Trinitas. ex qua ſola bonitatis cauſa, quæ
ſunt omnia vt eſſent & bene eſſent acceperunt.

Quorum Epiſcoporum dignitas ſummaq; autho
ritas duabus veiut alis continetur ordinis ſcilicet
& iurisdictionis illa ſacramentorum potiſſimum
tamen Euchariſtię, hæc autem ad Eccleſiam refer-
tur, de priori hoc loco nihil, alteram vero longe la-
teque ſe ſe extendere fatetur Diuus Bernardus in
Epiſtola 131, in qua Mediolanenſes exhortans ait
Roma.

Romanam ſedem nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus nõ fuerunt, & eos qui ſunt deprimere, alios priuilegijs atq; iurisdictionibus amplioribus euehere, aliorumque late diffuſam conſtringere poſſe prout Eccleſia Dei melius iudicarit conſultũ fore, cui ſententiæ vt Catholicæ Eccleſiæ conſentienti plurimi Doctores ſcholaſtici aſtipulantur: Sotus in quarto diſt. 20. q. prima ad ſecundum. Herueus lib. de poteſtate Papę. Gabriel in Canon Miſſæ lect. 3. ex veteribus etiam Sanctus Bonauentura, Albertus, Durand. eamq; ex ſupernorum equiſſima libratione exiſtimarunt Eccleſiæ Chriſtiq; verbis & voluntati magis idoneam, ſic enim varijs diſtincto & triumphantis Eccleſiæ ordinibus militia, vt Archangelorum, Thronorum, Principatuum, & reliquorum cœleſtium Spirituum eaque ab vno Summo Deo regitur, ſic Chriſti militiæ adſcriptis hominibus toto terrarum diffuſis orbe pro locorũ magnitudine, regnorum, & prouinciarum frequentia alij atque alij maiori vel minori præficerentur, authoritate Pontifices ad leges condendas aliaq; quæ forent Eccleſiæ militanti neceſſaria exercenda. nam vt in ordine politico aliæ alijs continentur vniuerſitates hominum & à ſuprema poteſtate vnicuique ſupremus pręficitur gubernator, ita ſane ad ſpiritualem Chriſtianorum adminiſtrationem inter Archipresbyteros, Archidiaconos, Decanos, Præpoſitos, etiam Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchę, & primates à Chriſti Vicario populis Chriſtianis ſapientisſime præfecti ſunt.

Quid enim? Nonne vbi peculiaria ſunt munera, & certæ quædam ad communem vtilitatem inſtitutę functiones vt ſuprema aliqua poteſtas præcellat, quæ cæteras omnes moderetur ad pacem cõ

cordiam & vnitatem tuendam lumen ipſum Naturæ, & ipſa recti regiminis ratio maxime opus eſſe docet, cum ergo Chriſti Reſpublica vnum ſit corpus multis diſpartitum partibus, Chriſtus Saluator eidem vnum pręfecit Principem ſumma authoritate donatum, cuius ipſe poſtmodum alius pro ſalute populorum participes reddat quæ pluralitas vt nulli obnoxia foret errori aut cōfuſioni ſic ab vno regenda, dirigendaq; & Petri quidem ſucceſſoris authoritate cenſenda venit. Alios vero magiſtratus inferiores poſſe creare meræ et abſolutæ authoritatis eſt & poteſtatis fatetur id Vlpianus & Modeſtinus l. paſſim ff. de iuriſd. om. iud. & leg. 1. ff. ad leg. Iul. de amb. ſic & Cyrillus de recta in Chriſtum fide ſingulare quoddā ſupremæ poteſtatis ſignum eſſe tradit authoritatem creandi magiſtratus, qui cum imperio & iurisdictione nomine eius qui præficit, vel creat, deinde poteſtatem in alios exercere poſſit vel iubendo, vel iudicando. Vnde ſicut iſta facultas fluit à Regibus & Principibus in conſules, à conſulibus in prætore vel alios, ſic à Summo Pontifice in alios Epiſcopos, & magiſtratus Eccleſiaſticos, ſicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam barbā Aaron, & huc mihi appoſitæ deriuari poſſe videntur quatuor illæ ſimilitudines quas affert Sanctus Cyrillus de vnitate Eccleſiæ, dum ſedem Petri confert cum capite radice fonte, & ſole. vt ſicut ex capite in reliqua membra virtus deriuatur, atque à radice in arboris ramos, vt ad riuos oēs aqua ex fonte diffluit, omnis deniq; radiorum ſolarium lux à ſole exoritur, ſic à Petro Pontif. tanquam capite omnis virtus in alios inferiores præſules deriuatur, quod Innocentius primus in ea Epiſtola quam ad Concil.

Carthag. ſcripſit inſinuat, dicens à Petro ipſe Epiſcopatus & tota authoritas nominis eius emerſit, & ad Melleuitanum ſcribens, arbitror autem ait idem omnes fratres, & coepiſcopos noſtros, nõniſi ad Petrum ideſt ſui nominis & honoris authorem deferrẽ debere, quod per totum mundum poſſet omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe, & hæc ſunt in epiſtola 91. & 93. inter epiſt. S. Aug. quod Leo Sanctiſs. Pontif. confirmat Epiſt. 89. ſic enim ille ait huius muner s Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum offitium voluit pertinere vt Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, qui Sanctus Papa de modo quo Deus Eccleſiæ ſuæ principibus ideſt Epiſcopis confert dona, & munera loquitur, nec enim ipſum latere potuit Apoſtolos ſingulari quodam priuilegio à Chriſto Domino directè accepiſſe iurisdictionem, quam in totum orbem exercerent, inde in hodiernum diem hac cõmuni & vſitata formula vtuntur Summi Pontif. in inſtituendis creandiſq; MagiſtratibusEccleſiaſticis.

Prouidemus Eccleſiæ tali, & tali N. de N. & præficimus in Patrem ac Paſtorem & Epiſcopum eiuſdem Eccleſię committentes ei adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Ex quo iſta generalis vera & Catholica concluſio infertur ſi vt verum eſt, ordo & dignitas Epiſcopalis ab ipſo Deo directè inſtituta eſt profectò quẽadmodum regia poteſtas non ſimplex offitium eſt ſed vera prefectura in rebus ſæcularibus iudicandi ſtatuendi, & decernendi penasque etiam præmia pro rerum qualitate infligendi, ita & Epiſcopatus

non eſt munus duntaxat concionandi, ſed vera præfectura Eccleſiaſtica, & poteſtas regendi ſibi populos concreditos. Qualis nanque ille rector foret qui nihil poſſet alijs præcipere, qui cum videret ſcelera in populo graſſari ęquiſſimo ſupplitio nequeat dilinquentes afficere aut cuiuſmodi obſecro gubernatoris erit cui cœteri in poteſtate & authoritate quibus præeſt pares ſunt, certè rectè & prudenter talis familia in offitio contineri non poterit niſi præfecti poteſtas adſit: Quam vero ſit fluxus labilisq; rerum mortalium ſtatus quis non videt, quam omnia in horam mutentur, nunc huc, illucq; fluctuent adeo quod peſſime & Eccleſiæ illiusq; rectoribus à Chriſto prouiſum fuiſſet, ſi rectores conſtituti ab ipſo ſolum nomine non autem re, & effectu gubernarent, atqui perceperunt à Chriſto omnem poteſtatem eaq; vt olim in edificationem corporis Chriſti quod eſt Eccleſia, ſic hodiernam vſq; in diem ſanctiſſime vtuntur, quod aperte conſtat 2. corinth. 10.
„ & 13. in promptu (inquit Paulus) habentes vlciſci
„ omnem inobedientiam cum impleta fuerit veſtra
„ obedientia, & rurſus prædixi & prædico vt præſens
„ vobis & non abſens ijs qui ante peccauerunt & cæ-
„ teris omnibus quoniam ſi venero iterum non parcam, primo corinth. 15. vultis in vriga veniam ad vos? & ſi is qui frater nominatur inter vos eſt fornicator aut auarus aut idolis ſeruiens, aut maledicus aut ebrioſus aut rapax cum eiuſmodi nec cibum ſumiere.

Nec aliud ipſius præceptum in ſe continebat
„ Heb. 13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis
„ ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus
„ veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc facient & non
„ gementes hoc enim non expedit vobis, Nihil certè

aliud indicare voluit quam vt omnes Chriſtifideles ſpiritualem hanc illorum authoritatem cognoſcant illorumq; imperata faciant ne opus ſit durioribus agere cum illis.

Quanta vero ad leges condendas polleant authoritate patet ex Actorum 15. vbi Paulus inquiens,
„ perambulat Siriam, & Ciliciam confirmans Eccleſias præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum
„ & ſeniorum, atque ipſa ratio ita præcipit ſuadetq; in omni regno Ciuitate adeoq; familia neceſſariã eſſe diſciplinam vt vbi illa colitur ſtent regna ſuis viribus integra, membrorumque iucunda pace lætentur, vbi vero negligitur quaſi ſoluta corporis compage diffluunt vniuerſa, hanc Saluator noſter inſinuare voluit dum trina vice repetijt illud PASCE ad Petrum conuerſus inquiens PASCE OVES MEAS. Quibus verbis omniũ eorum quæ Epiſcopis ex iure Diuino incumbant facienda continentur. Inter alia vero Illuſtriſſimus Cardinalis Bellerm. ſocietatis Ieſu lib. 1. contro. de Sum. Pont. controuerſia prima cap. xi. probat per verbum illud Io. 21. Paſce Oues meas omnem actũ Paſtoralem intelligi ex communi loquentium vſus cuiuſmodi actus paſtoralis non eſt ſolum paſcere. i. cibum præbere & verbum Dei explanare, ſed etiam ducere, regere præeſſe tueri & caſtigare. & in Scripturis Sacris paſſim ſumuntur illud paſcere pro rege, vt reges illos in virga ferrea, pſalm. 2. vbi in Hæbreo eſt, paſce eos, & illud Eſa. 44. qui dico Cyro, Paſtor meus es tu, vbi non ſolum miniſterium præbendi cibum ſed ampliſſimum regnum Cyro prædixit, & ex Græco probat idẽ vbi eſt illud ποίμαινε ſcilicet paſce regendo & præſidendo ſicut & Homer. Iliad. 2. Vocat regem ſeruum Agamemnonẽ

ποιμένα λαῶν Paſtorem populorũ, et illud Matth. 2. Ex te mihi exiet DVX qui regat populum meum Iſrael, in Græco habetur: ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅσις ποιμανεῖ τὸν λαόν ἰσραήλ. Sic Sanctus Auguſtinus ſuper illud Matth. 24. Fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, oues ipſas inquit paſcendas ideſt, docendas, regendasq; committit. & Gregor. de paſtorali cura, paſſim vocat Paſtores, Rectores, & curam paſtoralem regimen, immò & culmen regiminis, & ipſum paſcere regere & pręeſſe interpretatur.

Nec tamen negamus quin ad curam Epiſcopalẽ etiam & præcipue pertineat populum docere & inſtituere, immo id maximum & ſummum eſſe dicimus, quod ex ſupradictis Pauli verbis clariſſimum euadit. dum differentiam ait eſſe inter illa quæ ipſe & Chriſtus præcepta poſuit, Epiſcopos autem ab ipſo Deo & Spiritu Sancto poſitos dicit, non à ſe, ipſumq; Chriſtum declaraſſe eorundem officium quod eſt paſcere. Omnium autem maxime proprium munus eſt prędicare non de ſuggeſto modo, ſed conuerſando, & de ambiguitatibus reſponſa dando, vnde ſuper illud Eph. 4. alios paſtores & doctores, adnotauit Hieronymus conſulto, non dixiſſe Paulum alios Paſtores atque alios Doctores, ſicut dixerat alios Apoſtolos & alios Prophetas, ſed alios Paſtores & Doctores ſcilicet quod idem eſt in Eccleſia Paſtor quod Doctor, idem Auguſtinus in epiſt. 58. Aulin. ſciſcitanti quo paſtores à Doctoribus differant, reſpondit nullo differre diſcrimine, quod eadem Apoſtoli verba confirmãt, quod ſecundum alios etiam Chriſtus replicando verbum illud Io: Ego ſum paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, inſinuere & probare voluit

luit naturam ſcilicet ingenium & ſubſtantiam boni Paſtoris., & Greg. in Hom. eius inquit bonitatis formam quam nos imitemur adiunxit, dicens, bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, fecit quod monuit, oſtendit quod iuſſit Auguſt. de verbis Domini ſerm. 5. Paſtor bonus Chriſtus. Quid Petrus? nonne bonus Paſtor, nam & animã ſuam poſuit? quid Paulus? quid ceteri Apoſtoli? itaque non ſolum Chriſtus exemplum nobis propo nere voluit quod imitaremur ſecundum illud Io: in hoc cognouimus charitatem Dei quoniam ille pro omnibus animam ſuam poſuit & nos debemus pro fratribus noſtris ponere, hoc enim poſſent catholicis epiſcopis aduerſarij obijcere, quod Chriſtus de ſe id peculiariter dixiſſet, proinde affirmamus poſuiſſe regulam & definitionem per quam ſe probauit bonum eſſe paſtorem, quamque licet per impoſſibile ipſe non ſeruaſſet, tenerentur nihilominus vniuerſi præſules iure diuino & naturale ſeruare. Maxime vero illa poſitio paſtoris conſtare videtur in erudiendis Chriſtianorum animis conſolidãdisque in fide vt ſcilicet paſtor fidei ſcrupulos è mẽtibus gregis eximat. obiecta ſcilicet explicando, vel ſubinde animos conſolando vt intellectum quemadmodum id monet Paulus captiuent in obſequum fidei.

Cuius defectu multa oues ægritudo inuadit, & ſic appetitus affectuum tumultu ægrotat, ſicq; intellectus ſcrupulis fidei infirmatur. Quare ſicut illud luce doctrinę eſt conſolidandum, ita hoc ſalutaribus monitis ſanandum, facile namque ex diuerſis opinionibus lites, & diſcordiæ inter fratres ſeminantur, ex quibus niſi maturo conſilio ſopiantur, radicitusq; euellantur hæreſes germinant, quod reuera

vecordia

vecordia & inertia præſulum ſubinde accidere ſolet: diſſenſio enim populi ſeminarium eſt hæreſum, per quas ab eccleſia exitur, & vſque ad huius medicamina prælati cura extenditur, neque vna aut altera admonitione iſthæc tolluntur, ſed grauiter enitendum eſt longoque labori inſiſtendum, donec abiecti in caulam dominicam reducantur, alioquin
„ inſonabit auribus illorum, Væ Paſtoribus Iſrael, ec-
„ ce diſperſæ ſunt oues meæ eo quod non eſſet Paſtor non quod nullus paſtor fuerit, ſed quod nullus legitimè curam ſuam expleuerit, quod Chriſtus cum ex mortuis victor, proſtrata morte euaſit, abundantiſſime ſuo exemplo eos docuit, viãq; & modum illis reliquit, dum toto illo tempore quo poſt reſurrectionem hic nobiſcum conuerſatus eſt aliud nihil egit quam quod ſuas nunc arcano nonnunquam aperto ſermone inſtituit & adhortatus eſt eademq; opera ad miniſteria eoſdem præparando, varijs muneribus donis ac virtutibus eos quos elegerat auxit illuſtrauit, adornauit atque horum miniſteriorum vim & efficaciam ac ſtabilitatem eos docuit vt incomparabilem Reipublicæ Chriſtianæ magnitudinem apertiſſime præſignaret, cum eos illi magiſtratus præfecerit, qui diuinis miſterijs & Sacramento initiati ac Spiritus Sancti munere inſtructi virtuteq; deſuper muniti, tuto illos qui ſeſe ipſis crederent, ad ſempiternam animarum ſalutem conſequẽdam dirigerent ad æternamque & nullo æuo interituram fœlicitatem perducerent. quo nihil Reipublicę Chriſtianæ glorioſius nec populis militię Chriſti aſcriptis vtilius excogitari potuit. Si enim ſumma cuiuſuis ſecularis potentię fœlicitas, in eo poſita eſt, quod eam ſapientes viri adminiſtrarent, quale illud donum in mortales à Chriſto collatum fuiſ-

ſe exiſtimabimus, quo effectum eſt, vt qui magiſtri Principes & magiſtratus orbis terrarum conſtituti tanta cęlitus ſapientia donati tantamq; conſequuti authoritatem vt tam de eorum doctrinę ſinceritate, quam de publica eccleſiaſticæ politiæ ratione ſecuri iure optimo homines redderentur. Maius ſanè donum iſtud eſt, quam vt illud humani ingenij vis & efficientia aſſequi poſſit, nec ſolum in his prępualeant ſed etiam authoritate & fortitudine cęleſti aduerſa omnia tæla quæ huic quo uis modo Reipublicæ nocere videantur, poſſint perrumpere, & propulſare, ſi quid vero minus illorum viribus posſint, reliquum Principum ſecularium authoritati & concilio ſupponant, quorum eum pari gradu imperiũ maïeſtaſque verſatur, vt ait Gelaſius ad Imperatorem Anaſtaſium diſt. 96. capite. duo ſunt. & diſertisſimis verbis comprobat Iuſtinianus Imperator nouell. 6. quomodo oporteat epiſcopos l. prima. §. huius. ff. de iuſt. & iur. eorum quoq; offitij erit nõ ſolum ciuiles leges ſtatuere, ſed diuinas ſimul cum humanis conſeruari & tueri, ita vt duobus huius Reipublicæ Chriſtianæ capitibus vnus communis finis accipiatur. ſ. Religionis ac diuinorum præceptorũ obſeruatio, ſicque optima vt dicebat pręclare Iuſtinianus Imp. in Sacerdotio, & Imperio ſimphonia ideſt harmonicus quidam concentus nulla ex parte diſſonus, exaudiatur, longiſſimaſque in Orbis partes perſonet, quod aliud non eſt quam optimarum Rerumpublicarum conſtitutio.

CAPVT

CAPVT XV.

Singulariter & ad hoc deſtinato loco ſacrificandum Deumque venerandum eſſe.

VT verò diuerſa in ſuperiori capite diximus offitia reſidere, in Eccleſia, diuerſosq; Miniſtrorum gradus, ſic quoque illorum & Sacerdotum atq; offitiorum peragendorum ad hoc ſingularis locus diſtinctus eſſe debebit qui eius religionis & debiti offitij celebrandi cauſa, ad hoc Deo omnipotenti dicatus ſit, neque id contrarium fuerit aſſerere eorum menti, & opinioni, qui minime neceſſarium eſſe, neque vllo ad hoc in ſacris literis Dei præcepto commoneri putarunt, quippe quod Deus omnipotens ſit nulloque loci ambitu præſcribi poſſit, vbique etiam ſuam diuinitatem & poteſtatem exerceat. Nec nobis id quidem obſcurum eſt qui Dei omnipotentiam, prẹſtantiam, ſapientiam, & virtutem prædicamus is enim vbiq; videt & vndecunque depræcationes noſtras exaudit, quod perſuaſum fuit etiam ethnicis, non eſſe certum locũ Deo, vel templum ædificandum vt qui eo contineri non poſſet, vt refert Cicero, & ſcribit Herodotus lib. 2. Aegyptios primos Dijs & aras & ſimulachra & delubra ſtatuiſſe, quod veriſimile eſt, ſiquidem Aegyptus videtur omnis origo eſſe idololatriæ. Alij vero vtrumque confeſſi ſunt, & quod cœli nec cœli cœlorum Deum verum, & omnipotentem continere poſſunt, neque minus locus aliquis ſingularis,

aut domus ſibi ædificata, ſed omnem locum à Deo accipere gratiam vt in eo inuocatus Deus exaudiat orationes de loco habitaculi ſancti ſui, & quod propitius fiat peccatis noſtris, vt eſt 3. Reg. c. 8. in omni loco priuatim Deum colere laudare, & deprecari conueniens eſt, nec vllus vnquam putauit Deum ex priuatis locis non audire aut priuatos contemnere, omnia enim & ſingula ad ipſius prouidentiam pertinent. Hinc Deum quidam laudauerant in ſyluis & locis deſertis vt Anachoretæ & ſolitarij; ſic lex duodecim tabularum conſtituit in Republica ſingularia quædam loca eſſe debere in quibus venerarentur Deos & ſacrifitia litarent, conſtructa à patribus, delubra habento, lucos in agris habento. Vnde Virgilius 7. Aeneidos.

Templum Auguſtum ingens centum ſublime columnis
Horrendum ſyluis ac Religione parentum
Hinc ſceptra accipere, & primas attollere faſces
Regibus omen erat.

Nec quidem Senatus Conſilium vel curiam conuocare poterat niſi in loco iaugurato vt ait Seruius, eamq; ob cauſam Religio maximè extra vrbes in lucis fiebat, vbi luci iuxta delubra erant, quæ Deus prohibuit poſtmodum Deut. 16. non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui neq; facies tibi, neq; conſtitues ſtatuam quæ odit Dominus Deus tuus.

Non autem idcirco improbauit Deus cultum ſuũ quem alias ſibi, fieri præcepit ſed abuſum gentium; & quos nouit ad idololatriam procliues, & gloriã Dei debitã ibi in huiuſmodi lucis prophanari ideo noluit in excelſis ſibi ſacrificari. Vnde legimus ſæpe Deum ad iram, & indignationem commotum ꝓpterea quod edificaſſet Iuda & Iſrael more idolo

latra-

latrarum aras & ſtatuas in excelſis, vt 3. Reg. 14. 15. & c. 12. Si vero fiebant eiuſmodi ædificationes ararum in excelſis ad rectum De cultum exhibendum, maxime ſibi complacitum fuiſſe legimus. Gen. 21. quando Abraam ante Tabernaculi & Templi erectionem plantauit nemus in Berſabeo, & inuocauit ibi nomen Dei & fuit ibi Colonus Paleſtinorum diebus multis.

Similiter fecit Salomon antequam edificaſſet Templum Domini fecit holocauſtum mille hoſtiarum ſuper altare in Gabaon quod erat excelſum maximum, cuius loci oblatio Deo gratiſſima fuit 3. Regum 3. non ergo ſimpliciter prohibuit Deus in excelſis ſibi honorem fieri ſed ea quæ redolerent gentium ſpurcitias, & idolorum venerationem vnde nō ſolū ea amouere iuſſit, ſed pænitus extirpare quod factum fuit à Gedeone qui ad iuſſum Domini deſtruxit aram Baal quæ erat Patris ſui, & ſuccidit nemus quod circa aram erat, & ædificauit altare Domino in ſummitate Petræ Iud. 6. & eo loci verum altare, veramq; Dei Religionem plantauit.

Idipſum & cordi fuit Sanctis Patribus & Concilijs vtſi quæ adhuc apud Chriſtianos inuenerant loca ſimulacraue eadem ne ſcandalo populo ſint radicitus auellere iuſſerunt, in Concilio Hanetenſi c. 8. quod refert Burcardus Epiſcopus Vormacen. lib. 10. decretorum c. 10. ſtatutum fuit, quod Epiſcopi inuigilent & eorum miniſtri vt arbores quas vulgus colebat radicitus extinguant, & comburent, & lapides quoque quos in ruinoſis locis & ſyluestribus Dæmonum ludificationibus decepti venerabantur ſunditus effodiant & abijciant, vbi nullus eorum amplius vſus futurus ſit: hortenturq; fidelē populum, vt hæc ſua auxilia ad Dei Eccleſias ædifi

candas reportent primosque illorum, veterum patrum ritus imitentur qui orationi & cultui diuino ſingularia ad hoc loca & certa oratoria conſtituebant, in quibus ſacrifitia publica celebrabant, aliaque quæ ad perſoluendum Deo debitum obſequiũ pertinebant rite & religioſe tractabant hæc enim ſe mutuo vbiq; ſemper comitata ſunt cultus ſeu religio, ſacrifitiorum locus, & Miniſter.

Iamq; ab initio Seth natus eſt filius Enos qui publice cœpit nomen Domini inuocare. Gen. c. 4. priuatim vero eodem tempore ab omnibus inuocabatur nomen Domini, vt patet eodem capite in Abel & Caim, & Rex Salem. Gen. 14. publice egreſſus eſt ad occurſum Abrahæ redeuntis ex regũ cœde protulitq; panem & vinum ſecundum ordinem Melchiſedech quia erat Sacerdos altiſſimi, hoc & ante Moyſen licitum fuit vnicuiq; ſcilicet ſibi locũ eligere, & ad orationem faciendam deputare, prout fecit Iacob quæ ædificauit altare Domino in loco in quo apparuit ei Dominus Gen. 28.

Quod vero in editiori loco magisq; excelſo debeat fieri Deo cultus eximius & latria, videtur ſuadere ipſa ratio humana quia enim Deus eſt & ſuper omnes in cœlo, & in terra conſtitutus Rex regum, & Dominus dominantium terraque & cœlum ſcabellum pedum eius ſint, ne indignum huic quippiã fiat, merito ad deſignandum eius dominatũ ipſius quoque cultum latriæ & venerationem in altiori loco exhibemus, ad hoc natura nos effinxit vt ſupera ſpectemus & quę ſurſum ſunt ſapiamus non quæ ſuper terram hinc factum eſt quod altare maius in editiori templi loco conſtruatur, cæteraque omnia reliquo templi ſpatio magis eleuata conſiſtant, vt ſic ex hac externa ſpecie homines ad eleuãdum cor

ſuum

ſuum in Deum incitentur maiorique ad perſoluendas Deo laudes affectu excitentur qui naturæ impetus apud omnes fere nationes inualuit atque ad Chriſtianos vsque deriuauit eo deſcrimine ſolum quod nos vnum Deum ipſi vero plures, nosq; vero cultu & pietatis ardore, ipſi vero idololatriæ prophanoque rerum vſu colebant, idcirco & altaria dicta fuiſſe exiſtimo quaſi altas arcas in quibus ſæpe placatus Deus legitur vt Gen. 22. Iuſſus Abraham à Deo ire in terram viſionis atque ibi offerre filium Iſaac primogenitum loco cuius iubente Deo ſacrifitium obtulit, in vno montium quam moſtrauit illi Deus.

Templum à Salomone ędificatum fuit in monte Moria 2. paralip. 3. Ideoque Micheas c. 3. minatur
„ ex nomine Dei deſtructionem Templi, Sion qua-
„ ſi ager arabitur & Ieruſalem quaſi aceruus lapidũ
„ erit & mons templi in excelſa ſyluarum, & cap. 4.
„ & in nouiſſimo dierum erit mons Domini præpara-
„ tus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles &
„ fluent ad eum populi. Victi aliquando Syri ab Achab Deum verum dixerunt, Deum montium Dij dixerunt montium ſunt Dij eorum, ideo ſuperauerunt nos ſed melius vt pugnemus contra eos in cãpeſtribus & optinebimus eos 3. reg. 20. Sic ipſe Saluator noſter aſcendit in montem ſolus orare Matt. 14. quod inuidebat ei Lucifer ideo detruſus in Infernum Eſaiæ 14. volebat enim ſimilis ſibi fieri in terris pro inde altaria pro impietate, quandoque in collibus, in montibus interdum in foueis ſpeluncis, & templis ſibi fieri permiſit, ſic eius Religionis; & cultus deuaſtatio apparet 4. Reg. 16. de Achaz. & 4. Reg. 17. de Iſraelitis imitantibus idololatras gen-
„ tium, ædificauerunt (inquit ibi textus) ſibi excelſa

in

" in cunctis vrbibus ſuis à turre cuſtodum vſque ad
" Ciuitatem munitam feceruntq; ſibi ſtatuas & lu-
" cos in omni colle ſublimi & ſubter omne lignum ne
" moroſum, & adolebant ibi incenſum ſuper aras in
" morem gentium, quas traſtulerat Dominus à fa-
" cie eorum.

Abhinc deſtructis gentium idolis & dirutis paganicis ſpeluncis cæperunt templa Chriſtianorum fieri, & Iuſſu Conſtantini & Conſtantij Imperatorũ ritibus paganicis & Iudaicis reiectis conſecrari Deoque dicari, vt teſtatur Niceph. lib.8. c.18. 25. quæ olim templa oratoria tentoria, tabernacula, & ſanctuaria Dei dici conſueuerunt, nunc vero Eccleſiæ, nunc ſynechdochicos, vt continens pro contento baſilicæ ædesque ſacræ quia recipiunt congregationem fidelium quæ & Eccleſia Grȩcis dicitur vt Eccleſiaſtes Concionator, qui prædicat verbum Dei congregationi ſeu populo fideli, qualia tẽpore Apoſtolorum plurima fuerant exſtructa in honorem falſorum Deorum, iterum vero renouata, & conſecrata, & translata in Dei cultum.

Verum vt appareat qnanto zelo in Eccleſiam Dei, & cultus ſanctam venerationem exorſus magnus ille Conſtantinus, libet illud commemorare quod ſcribit zozomenus lib. primo hiſtoriæ tripart. c.9. quod is ſibi fieri curauerit Eccleſiam portatilẽ quæ vbicumque locorum eſſet & maxime in bello circumferri poſſet ac in ſolitudine quidem agens, vbi opus eſſet Deum colere & diuina myſteria participare deberet ædibus ſacris careret ad quam veluti ad tabernaculum Sacerdotes ſemper prȩſto fuerunt & Diaconi ſine intermiſſione, diuina myſteria iuxta ſtatutas Eccleſiæ ceremonias obeuntes. Hanc porro Eccleſiarum formam ſtatuere Apoſtoli in

modum

modū Nauis in qua veluti gubernator Epiſcopus, Diaconi velut Nautæ ad orientem ſpectare paſtophorium poſſent in medio Epiſcopi ſedem in vna parte Præsbyteri, & Diaconi in altera parte Laici conſidentes, in alia vero mulieres ſeparatim cum ſilentio. Clemens lib. 2. Apoſt. inſt. c. 61. Iuſſerunt autem orationes fundere verſus orientem vt paradiſum vnde cecideramus reſpicientes ſuppliciter à Deo, & à noſtro Domino petamus, vt in antiquū nos patriam, & locum vnde cecidimus reſtituere velit, Clemens vbi ſupra, & hæc templa ſeu Eccleſiæ dictæ ſunt domus Dei, & domus orationis, Lucæ 19. & vt ait Diuus Chryſoſtomus tom. 1. hom. prima, in c. primum Gen. Eccleſia ſane quidam locus eſt medicinæ ſpiritualis & eos qui huc veniunt decet ne domum redeant niſi congrua remedia acceperint, illaque ſuis vulneribus adhibuerint, & Homil. prima in illa verba vid. Dominum cap. 6. Eſaiæ reprædhendit indecoros geſtus, & voces, & ſermones de rebus Domeſticis, & de alijs quam diuinis ſi in Eccleſia fiant.

Baſilius Magnus in pſalm. 28. qui in templo ait Dei eſt non vana, ſcurrilia probroſaque loquatur, ſed in templo quiſq; gloriam Dei dicet, aſſiſtunt Angeli verba deſcribentes, adeſt Dominus affectus intrantium conſiderans præces cuiusq; Deo manifeſtę fiunt, alius affectu orat. alius per ſcientiam cœleſtia quærit quidam ſolum ſummis labris loquitur, cor autem eius procul à Deo eſt & ſi orat carnis proſperitatem corporis bona, diuitias & gloriam quærit humanas, patet autem nihil horum committere in templo quia pactum eſt Dei & hominum in Eccleſiis confirmatum quod quandocunque nomen Domini ibi inuocatum fuerit quod exaudiat Domi

nus

nus cuius figura præceſſit 3. Reg. 8. cap. ſteritque Sa
lomon Ante altare Domini in conſpectu Iſrael,
& expandit manus ſuas in Cœlum & ait, Domi-
,, ne Deus Iſrael non eſt ſimilis tui Deus in Cœlo de-
,, ſuper & ſuper terram deorſum, qui cuſtodis pactū
,, & miſericordiam ſeruis tuis, qui ambulāt coram te
,, cum toto corde ſuo qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid
,, Patri meo, quæ locutus es ei, & poſt pauca, reſpi-
,, ce ad orationem ſerui tui & audi preces eius Do-
,, mine Deus meus, audi hymnum & orationem, quā
,, ſeruus tuus orat corā te hodie, vt ſint oculi tui aper-
,, ti ſuper domum hanc nocte, ac Die, ſuper domum
,, de qua dixiſti, erit nomen meum ibi, vt exaudias
,, orationem quam orat in loco iſto ad te ſeruus tuus,
,, vt exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui
,, Iſrael, quicunq; orauerit in loco iſto & exaudies in
,, loco habitaculi tui in Cœlo, & cum exaudieris pro-
,, pitius eris, Poſt hæc addit ſingulatim multorum
neceſſitates quas quicunque & quandocunq; in lo-
co iſto ſancti templi coram te obtulerit exaudietur,
nec inſipiens fuit Salomon quod putauerit Deum
in iſto templi ambitu contineri propterea dixit,
& exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, ideo ve-
ro Domum hanc benedictam voluit quod Deus ibi
ſingulariter velit coli, & adorari, ſic optime conue-
nit figura, cūm exemplo Sanctorum Apoſtolorum
vt ſupra ex Clemente relatum fuit, ſicque in hodier
nū diem iſte mos ab Eccleſia Dei obſeruatur quod
Dei loca ſancta ſint ſanctaque ibi pertractentur, &
ideo benedicuntur, & conſecrantur, quo exteriori
ritu aliud nihil ſignificatur quam pactum, & pro-
miſſio Dei omnipotentis, qua nos Eccleſia certos
reddit ibi nos exauditos iri.

Sic obſeruatum fuit Exod. 40. & in dedicatione

ſecundi templi Hieroſolymitani Eſdre.c.7. Quibus locis ab vſu hominum prophano exemptus ſingularibus & expreſſis ceremonijs cultui diuino dedicatus & Deo ſanctificatus fuit. Quod ēt, idololatræ, quam vis à Deo colendo aberrarint, tamen religione tācti, quæ quodāmodo naturalis hominibus eſt, illis quos Deos putarunt & cultū & templa dedicarunt, eaq; religioſe venerati ſunt quā diu errore faſcinati remanſerūt, donec affulſit veritatis ſol, & cognitio veri Dei, quo illuſtrati ſublatis idolis clauſisq; eorū tēplis ad verā Dei cognitionē inuerterūt. Colligunt Hebræi ex 12. cap. Deutoronomij quandiu in deſerto verſabantur licuiſſe vbi libuiſſet ſacrificare, poſt quam autem ingreſſi ſunt terram promiſſionis licuiſſe tantum in ſitu vbi fixit tabernaculum. Ioſuæ c. 18. in Principio vbi manſit fixum vſq; ad mortem ſacerdotis Heli, ex quo manifeſtum fit publica ſacrifitia Religionisq; myſteria, nō in omni loco peragere licere, neque permittendum eſt, vt aliquis Eccleſiam Dei, & Hierarchicam in hoc conturbet diſciplinam. Iud. c.17. quod etiam videtur ſtatuere Leo conſtitut. nouella 4. & hæreticorum conuenticula id ſatis cōprobant quæ ratio videtur, à Deo vt prohibitione appoſita. ſ. ne nouus modus, & locus Deum colendi pro arbitrio cuiusq; inducatur. Leuitici 17. de non offerendo alibi ſacrifitio quam in oſtio tabernaculi teſtimonij additur enim ibi, & nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus cum quibus fornificati ſunt, ſicq; iuſſit Deus Deut. 12. In loco quē elegerit Dominus „ Deus veſter vt ſit nomen eius in eo, illuc omnia quę „ præcipua conferetis holocauſta, & hoſtias decimas „ (& poſtea) caue ne offeras holocauſta tua in omni „ loco quem videris, ſed in eo quem elegerit Domi-

„ nus in vna tribuum tuarum offeres hoſtias &c.
. idq; ſuſe probatur .

Ex Sacris Conciliorum Sanctorumque Patrum decretis de Conſ. diſt. prima nec vſpiam aliud conceditur niſi cauſa neceſſitatis, quæ permittit cum authoritate Eccleſiæ alibi offerre myſteria publica quam in locis conſecratis, idq; probatur nouella Iuſtiniani 131. de Eccleſ. tit. §. ſi qui in ſua domo c.8. & Nouel. 18. vt in priuatis domibus Sacra myſteria fiant. Cuius contrarium videtur ſanxiſſe Leo Imp. nouella 4. & conſtit. 15. vt ſalutarem baptiſmum in quocunq; ſacro oratorio peragere liceat. Quę tamen in tantum ſunt reſcipiendæ in quantum ſacris non obuiant canonibus ſicut & ceteræ leges Imperiales cap. nō licet 2. cum tribus ſequentibus diſt. 10. pro vt Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. in decreto dė obſeruandis in miſſa decernit ne patiantur in priuatis domibus atque omnino extra Eccleſiam (quæ ab ipſis deſignentur & viſitentur) ſanctū hoc ſacrifitium peragi à ſeculari, ſeu regulari Sacerdote idq; fiat decenter compoſito corporis habitu, & poſt pauca, poſtremo ne ſuperſtitioni locus eſſe poſſit edicto & pœnis propoſitis, ne Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent, ne ve ritus alios aut ceremonias & preces adhibeant in Miſſarum celebratione præter eas quæ ab Eccleſia probatę ac laudabili & frequenti vſu receptæ fuerint.

Ex qua perpetua obſeruatione id cōficitur quod non liceat pro modo ſuo, & arbitrio vel nouam religionem locumue à communi & publico ſeparatum aut nouum modum introducere, quod paſſim in alijs extra Eccleſiam Catholicam hæreſum conuenticulis videre eſt, vbi hodie cras & perendie alius modus, & alij ritus obſeruantur. quorum origo eſt

ipſorum

ipſorum ſecta, & diſſecta de vera Dei Religione Ecclesiarumq; Chriſtianorum opinio, quam ſemel relinquentes repudiãteſq; indigni facti ſunt per quos in poſterum Dei honor & Eccleſiaſticæ leges promulgentur.

Haud abſimile quod populo olim Iudaico accidiſſe legimus, qui cum reædificato templo ſecundo Hieroſolymorum per Eſdram permittente Cyro Rege Perſarum, & alijs Regibus; primo Eſdræ 2. non contenti aliud ſibi iuxta illud conſtituerunt in monte Gazirim, cuius initium & cauſa fuit Manaſſes frater Iaddi ſacerdotis Dei, qui inhians Pontificatui vxorem duxit filiam Samballath Samaritanorum Principis præfecti regis, ad quod ſe ſe contulerunt Iudæi rerum nouarum cupidi, hincque cœpit ſciſma inter Iudæos qui prophetico templo adhærebant, & vero Sacerdoti; & Samaritanos, qui partes Manaſſes ſequebantur, quod fouerunt Saddoc & Baiethos, Ioſeph lib. 11. Antiq. c. 8. Samaritanos vero illos non bene inſtructos fuiſſe in cultu Dei, ſed Deo & Dæmonibus, more gentilium, ſeruijſſe conſtat ex 4. Reg. c. 17. ideo & ibi pro hæreticis habiti ſunt, cauſaque illius ibidem refertur: non autẽ diu perſtitit templum hoc, ſed poſt annos circiter ducentos euerſum fuit per Ioannem filium Simeonis filij Haſmonei cognominati Hircani qui occidit hæreticos ibi, & offerẽtes ſacrifitia extra ædem Domini & conſtituẽtes decreta & leges pro animi ſui libidine, refert Niceph. in lib. 10. Eccle. hiſt. cap. 43. quod ſub anno Domini 363. poſt quam Iulianus Apoſtata in contemptum Chriſtianorum iuſſit templum Moſaicum fieri per Iudæos idque Iudæis pro viribus molientibus terremotu fundamenta iam facta euerſa eſſe multisq; hinc inde ex Iudæis trucida-

tis, Iudæi vero id opus perſequentibus ignis ſimul è cælo & terræ fundamentis exortus multos enecauit omniaq; inſtrumenta illorum fabrilia in cineres redegit rurſumq; idem opus aggredi & pertinacius efficere volentibus die ſequenti viderunt omnia veſtimenta ſub crucibus quaſi contexta quod vbi ad Cyrillum tunc vrbis Epiſcopum deferretur eoque rem meditante altius & conſiderante prophetiam illam qua prædixerat Dominus de templo illo non relinquetur lapis ſupra lapidem adhuc terremotus factus eſt, qui omnes lapides in fundamentis iacentes deorſum eduxit multis conſumptis & in aerem adductis artificibus apparueruntque foſſæ profundiſſimæ in quarum vnam cum intromiſſus fuiſſet quidam Iudæorum per funem inuenit ibi columnā ſuper aquas prominentem, & deſuper Euangelium S. Ioannis. IN PRINCIPIO ERAT VERBVM. quo lecto Iudęi conſternati ab incæpto opere ceſſauerunt & Chriſtum Deum confeſſi ſunt multīque Chriſtiani effecti.

Quod omnibus contra Chriſtum, & eius Eccleſiam ſiniſtre quippiam machinantibus exemplo eſſe debet monitorijq; loco vt ab impijs templorum ſuorum fabricis peruerſisq; religionum ſuarum affectionibus ceſſantes ad veram Dei Eccleſiam eiusque Religionem verumq; Sacerdotium redeant, nuſquam enim fœliciter ceſum fuiſſe quidquid contra Dei Eccleſiam, & cultum ipſius temere peruicacique ingenio attentatum, comprehendimus.

CAPVT XVI.

Quam infæliciter ceſſit factum in demoliendis & prophanandis Eccleſijs Catholicorum.

Violatio ſanctitatis, puritatisque Eccleſiarum & Prophanatio nihil vnquam boni reipublicæ ominata eſt ſed perpetuo quoddam Dei Iuditium impendens in populum qui eum prouocat ad iram, quæ incæpit à ſanctuario ſuo,& à loco,vbi homines ſolent accedere ad veniam impetrandam delictorum,& gratiam , & ita videtur recedere vt publice opem denegaturus quod terribile eſt cauteq; obſeruandum ne accidat;prouideq; cum ſanctis Dei Apoſtolis præcandum Lucæ 24. Mane nobiſcum Domine quoniam adueſperaſcit.

Minatus eſt ſępe Deus ſe relicturum ſanctuariũ ſuum ſi ei debitus honor & ſtatutus non redderetur patet Paralip.2.cap.15. Azarias filius Obeth facto in ſe ſpiritu Dei egreſſus eſt in occurſum Aſa,& dixit ei,, Audite me Aſa, & omnis Iuda, & Beniamin Dominus vobiſcum quia fuiſtis cum eo ſi quæſieritis eum inuenietis, ſi autem dereliqueritis derelinquet vos tranſibunt autem multi dies in Iſrael absq; Deo vero abſq; Sacerdote, abſq; Doctore, & absq; lege,in tempore illo non erit pax egredienti,& egredienti, ſed terrores vndique in cunctis habitatoribus terrarum, pugnabit enim gens contra gentem & Ciuitas contra Ciuitatem: quia Dominus conturbabit eos in omni Anguſtia, Ecce quantum peccatum præcedat, & quanta ira Dei ſubſequatur

quatur

quatur 3. Reg. c. 9. ſic dixit Deus ipſe ad Salomonē;
„ Si autem auerſione auerſi fueritis vos & filij veſtri
„ non ſequentes me nec cuſtodientes mandata mea,
„ &c. ſed abieris & colueritis Deos alienos, & ado-
„ raueritis eos (ECCE PECCATVM) auferam
„ Iſrael de ſuperficie terrę quam dedi eis & templū
„ quod ſanctificaui nomini meo proijciam à conſpe-
„ ctu meo eritque Iſrael in prouerbium & in fabulā
„ cunctis populis & domus hæc erit in exemplum,
„ omnis quo tranſierit per eam ſtupebit & ſibilabit,
„ & dicet Quare ſic fecit Dominus terrę huic & do-
„ mui huic, & reſpondebunt quia dereliquerunt Do-
„ minum Deum ſuum, idem refertur, c. 29. Deut. &
Hierem. 22. vt vero probationem faciamus ſic ſub-
ſumendum eſt: quia impius Rex Manaſſes 4. Reg. c.
21. in Hieruſalem exſtuxit aras idolorum in Domo
Domini de qua dixit Dominus in Hieruſalem po-
nam nomen meum & exſtuxit altaria vniuerſæ mi-
litiæ cœli in duobus atrjs templi Domini poſuitq;
idolum luci quem fecerat in templo Domini adeo
que excreuit malitia ipſius quod Dominus dixit ec
ce ego inducam mala ſuper Hieruſalem, & Iudam,
& quicunque audierat tinnient ambæ aures eius &
extendam ſuper Hieruſalem funiculum Samariæ
& pondus domus Achab. Ergo neceſſariū eſt quod
veniat viſitatio Domini.

Hæc autem ante deſtructionem poſtremi templi Iudæorum prophanatio præceſſit delictum grauiſſimum crucifixionis Chriſti templum etiam relictū fuit à Deo, poſtea crudeliſſima vaſtatio populi & exilium Iudęorum, refert Cornelius Tacitus libr. 5. Annalium, quod acies viſæ per Cœlum concurrere, rutilantia arma ſplendeſcere, & ſubito nubium igne collucere templum, nequit enim gens ſuperſti

tioni

tioni obnoxia, neque hoſtijs neque votis expiari.

Quid vero accidit duobus filijs Heli Ophne & Phinceh qui portabant arcã, & polluerunt templũ?

Sic poſt quam Ioas enecari iuſſit in templo, & atrio domus Dei Zacchariam poſt annum, exiguus numerus Syriorum aſcendit contra Iudam, & Hieruſalem, & interfecit cunctos principes populi atq; vniuerſam predam miſerunt Regi in Damaſcum, in Ioas quoq; ignominioſa exercuerũt iuditia, &c.

Sic antequam prophanaretur templum & lex apud Iudæos ſub Antiocho præceſſit quædam pollutio, & prophanatio quæ prędixit ſciſma Simonis & Iaſonis affectantis Sacerdotium, & deſolationẽ populi vt ad longum deſcribitur 2. Mach. c.4. 5. 6. nam Heliodorus miſit ducem Apollonium, vt deprædaretur templũ quod cœpit facere donec equite ab opere in cæpto abactus flagellisq; cæſus Elio dorus ſemimortuus in ſella geſtatorea è templo ex portatus fuit.

Niceph. Caliſtus ſcribit 10. hiſt. Eccleſ. c. 29. inter Chriſtianos antequam illos Iuliani apoteſtatæ Imperium præmeret prophanatum fuiſſe ſanctuarium Dei non impune neque ſine pręſagio futuræ perſecutionis. Iulianus enim auunculs illius Iuliani Apo ſtatæ fuit præpoſitus orienti, & Fælix Imperialium theſaurorum curator, Elpidius vero Imperatoris domus præfectus, hi Eccleſiæ Coſtantinopolitanæ vaſa rapuerunt & clauſerunt oſtium. Qualis vero illorum exitus fuerit, is idem declarat ſiquidem Iulianus quem in menſam facrã minxiſſe ſcribit Theo doretus lib. 6. tripar. hiſt. c. 22. incognito morbo correptus per quadraginta dies ita diſtentus iacuit vt nec loqui neque ſentire quidquam præ morbi graueſcentis vi poſſet, & quod ſacris vaſis quæ terræ

illi-

illiſerat, & pro ſedili vſus fuerat, & Epiſcopum Euzonium qui ipſum à tanto ſcelere cohibere voluit, grauiter in caput verberauerat, atque hic etſi penitens viſceribus corroſis ex genere omnis putredinis, & vlcerato toto corpore putredine non perſeceſſum, ſed per vlcera excrementa eijciens interijt. Fœlix iocatus in Deum ecce inquit qualibus vaſis filius Mariæ diuina re peragenda colitur? Interiore una vena rupta ore ſanguinem omnem veluti per fiſtulam euomens mortuus eſt. Elpidius pudore carceris confectus Tyrannidis inſimulatus cum inopia vitam finiuit. Alius qui ueſte ſubducta aram ſacrifitij comminxit illico pergraues pænas expertus eſt ad interiora vſque cõſumptis membris incredibilis inde vermium vis concreuit miſerandum in modum miſer exſtinctus eſt.

Idem Nicephorus lib. 14. cap. 32. ſcribit quod tẽpore quo cępit error Neſtoris quidam ſerui malè ab heris tractati ad Eccleſias confugerunt, neq; illinc euelli potuerunt, ita vt Clerici plurimum turbarentur vnoq; ex illis occiſo ſeque ipſo vnus mali ominis templi .ſ. prophanationem prædixit poetæ cuiũſdam Iambicis verſibus.

Aſſolet omen triſte offerre ſauctius
Si forte templum polluat piaculum.

Quod & poſtea accidit diuiſione ſecuta ob errorem Neſthorij.

Perſecuta fuit Eccleſia Dei omni terrarum orbe, nec adhuc plena gaudet victoria, eſt enim militans & quotidie concertans cum beſtijs infernalibus, & licet à dæmonibus Iudæis & Ethnicis infortuata fuerit nulla tamen pernicioſior fuit collectatio atq; cũ falſis fratribus. Dæmon enim directè contrarius eſt legi diuinæ, ſic & Iudæi excuſſerunt ſponte, dul ciſ-

ſimum

ſimum iugum Domini Ethnici vero partim ignorantia partimq; ceca caligine obtuſi in legem peccauerunt, at vero falſi fratres qui Deum agnouerũt illamque Eccleſiam Catholicam amplexati inde exeuntes in perfidiæ ſuæ ſignum atq; contumeliam agniti nominis Chriſti falſa quęque & abominanda euomuerunt, factique ſunt iſtrumenta omnium miſeriarum, vt qui alios omnes in ſuam malitiam contra Eccleſiam traducere conati ſunt, ſicut ſcribit S. Athanaſius in Epiſt. de perſecutione ſua ad orthodoxos ſuo tempore Arianos excitaſſe contra Eccleſiam Ethnicos & Iudæos qui miniſterio Philagrij à fide Apoſtatæ tunc pręfecti Egypti & alterius Georgij incenderunt Eccleſias prophanarũt baptiſma, impietatem commiſerunt in Sacroſanctam mẽſam, tuncque virgines ſanctas incontaminatas con ſtupratas publicè alias necatas monachos pedibus obſtrictos necatos fuſtibus; gladijs trucidatos aut vulneratos, ſacrificatum aliter, ſacra expilata libros ſacros quotquot appræhẽdi potuerunt combuſtos, poſteaq; traditas Eccleſias Arianis. Longiſſimum foret enumerare omnes clades quas hactenus Eccleſia Dei paſſa fuit, omneſq; prophanationes deſcribere quas poſteà horribiles tumultus, & defectiones ſubſecutæ ſunt.

Volitat adhuc nephariorum hominum vertiginoſus ſpiritus & impreſſiones facit mirabiles hinc & illinc, qua ſaltem arte & decipiendi doctrina eam quam per Chriſtum perdidit predam ſi non in toto at in parte de Catholica Eccleſia reportare poſſit eoque fatalia magis & pernicioſiora Reipublicæ incutit mala quo maioris boni prætextu retia expandit, quia ſic & citius & à pluribus ea temere ingrediuntur & quanto plures his ſemel illaqueati ex-

titerint tanto difficilius ex hijs explicantur quando ſcilicet corruptela in conſuetudinem peruenit & ſub colore boni malum ſemel aſſuetum defendere nititur populus, vel detecto fuco, & impoſtura malum facile abdicare nequit quoniam radices vt mala herba citius fecerit. Vt autem eiuſmodi impoſtores clarius pateſcant atq; quantum mali & peruerſitatis ſubtus lateat nunc ex ordine videamus id que pro meliori diſtinctione ſingulis capitibus ſuã propriam impoſturã atq; remedium ſubijciemus. Ex quarum ſane manifeſtatione notum fiat quantum boni Principi hoc tempore laborandum ſit, vt ſaluam ab his Rempublicam fidemque Catholicam illeſam tueatur, ſunt vero hæc omnia accommodatiſſima inſtrumenta ad decipiẽdum miſerum populum, ne in vera, & ſancta catholica Religione veroque & ſincero Dei cultu conſtans perſeueret, quæ ideo ſubijcere placuit vt melius perfectiusq; catholici Principis ſtudium & exercitium in eadem defendenda propagandaq; confirmetur.

CAPVT XVII.

Vt Principis eſt priuilegia Eccleſiarum, et Clericorum defendere, ſic et abuſus eorumdem auertere.

NOn immerito grauiſſime vltus eſt Deus nepharios in Eccleſias & Clericos auſus tam in veteri, quam noua lege, cum ſibi exinde ſummum fieri honorem voluerit, & latriæ cultum exhiberi, vt ad hoc Cæſares & Principes excitarit, qui ſuis priuilegijs & immunitatibus eoſdem proſequerentur

multisq; ſæcularibus negotijs perſonalibus excepe rint ne eſſent Clerici, vel circa diuina offitia deſides, vel in frequentandis Eccleſiis cultuque diuino alieni quod ex conſt. Imper. manifeſtum, vt Iuſtiniani l. Generaliter ſancimus C. de Epiſc. & Cler. generaliter ſancimus, omnes viros Reu. Epiſcopos nec non Præsbyteros ſeu Diaconos, & Subdiaconos & præcipuè monachos licet non ſint Clerici immunitatem ipſo iure omnes habere, tutelæ ſiue teſtamentariæ, ſiue legitimæ, ſiue datiuæ, & non ſolum tutelæ eos eſſe expertes ſed etiam curæ, non ſolum pupillorum, & adultorum, ſed etiam furioſi & ſurdi, & muti & aliarum perſonarum quibus tutores, vel curatores à veteribus legibus dantur. Nec ſolum ipſi Clerici immunes redditi ſunt ab omnibus operibus ſeruilibus, ſed etiam illorum familia, & bona omnia, quæ poſſident, ſic ibidem Iuſtin. l. prima iuxta ſanctionem quã dudum meruiſtis, & vos & mancipia veſtra: Nullus nouis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis prçtereà neque hoſpites ſuſcipietis. imo placuit, neque Clericos in neceſſitatibus ciuitatum ſeu aliorum locorum, etiã vbi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubuenire cogendos, niſi prius Romanus Pontifex conſulatur: ob idq; reijciuntur eiuſmodi impoſitiones factæ, & irritæ ſunt cum pœna excommunicationis cap. aduerſuſ de imm. Eccl.

Quantum vero loca Eccleſiaſtica præfulgeant alijs omnibus argumento eſt illud quod omnes nationes cuiuſcumq; ſectæ aut religionis extiterint tantum ſemper tribuendum cenſuerint numini ſupremo, vt ad ſuam tutelam confugientes, & ſuppli ces inuiolabiles, & à vi immunes conſeruauerint, eos vero qui violaſſent dignos ira Dei & pœnis

arbitrati fuerint, prout ſuperiori cap. oſtenſum eſt loca que illa quæ immunitatem adferebant contra imminentē vim communi nomine apud Græcos Aſyla dicta ſunt, ſcribit Theophilus in paraphraſi inſtit. 5. primo in fine de Iuſt. & Iur. apud atheniēſes βωμον ἐλεόυ id eſt aram miſericordiæ, & tam offitioſe ad ſe confugientes excæpiſſe vt præ ingenti humanitate pro his ſæpe bella gerere non ſint veriti, ſic Sacerdos Ioiada prohibuit occidi Attaliam in Templo propter immunitatem 4. Reg. 11. & Salo-
„ mon orauit Dominum dicens 3. Reg 8. Si fugerit
„ populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus
„ eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes no-
„ mini tuo, venerint & orauerint, & deprecati te fue
„ rint in domo hac exaudi in cœlo, & dimitte pec-
„ catum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram
„ quam dediſti patribus eorum, ideo exprobrauit Chriſtus Iudæis homicidium Zachariæ filij Baracchiæ eoquod factum fuerit inter templum, & altare, quod priuilegiatum fuit & Deo conſecratum.

Multa forent hic dicenda ex hiſtorijs de Ethnicorum Aſylorum fiducia, & opitulatione. Verum nunc ſolum de Chriſtianorum Eccleſiis referam. Extat conſtitutio Lucij Tertij Summi Pont. in cap. cum Eccleſia, de immunitate Eccleſiæ. in hæc verba: cum Eccleſia Dei ſecundum euangelicam veritatem domus orationis eſſe debeat non ſpelunca latronum aut ſanguinis forum, ſeculares Iudices cauſas, vbi de ſanguinis effuſione & corporali pœna agitur, in Eccleſiis vel Cæmiterijs agitare ſub interminatione anathematis prohibemus, abſurdum enim eſt, & crudele ibi iuditium ſanguinis exerceri, vbi eſt tutela refugij Innoc. tertius cap. inter aliā, eodem tit. iuxta ſacrorum ſtatuta canonum, & tradi-

tiones

tiones legum ciuilium ita duximus diſtinguendum quod fugiens ad Eccleſiam aut liber, aut ſeruus exiſtat, ſi liber quantumcumque grauia maleſitia perpetrauerit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, ſed rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debet membra, & vitam, ſuper hoc tamen quod iniq; fecit, eſt alias legitime puniendus, & hoc verum eſt niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata vel publica ſtrata obſidet aggreſſionis inſidijs ab Eccleſia extrahi poteſt impunitate non præſtita, ſecundum canon. ſanctiones. Si vero ſeruus fuerit qui confugerit ad Eccleſiam poſtquam de impunitate ſua Dominus eius iuramentum Clericis prȩſtiterit ad ſeruitium Domini ſui redire compellitur etiam inuitus alioqui à Domino poterit occupari. refertur ex Concilio Magontonenſi 17.q.4. reum ad Eccleſiam confugientem nemo extrahere audeat, neque inde damnare ad pœnã vel ad mortẽ vt honor Dei, & ſanctorum eius conſeruetur, ſed rectores Eccleſiarum pacem, & vitam, ac membra eius obtinere ſtudeant, tamen legitime componant quod inique fecit. Vnde Gelaſius Papa exiſtimat maximum cõmitti ſacrilegium ſi homo reus ad ſanctuarium confugiens inde violenter abſtrahatur in cap. frater & cap. Coepiſcopus 17.q.4. Ideo eos ab omni ingreſſu Eccleſiȩ prohibet qui hoc audent, in Conc. Toletano 12. cap. 10. ius ſecuritatis in Eccleſia, & in triginta paſſibus circa eam defenditur, & qui violauerit eo confugientes excommunicatione notantur, & regiæ ſeueritatis ſententiæ ſubijciuntur.

Sic Demetrius concedens genti Hæb. plura, inter cætera adiecit primo Mach. 10. & quicunq; confuge-

ſugerit in templo quod eſt Hieroſolymis, & in omnibus finibus eius obnoxij Regi in omni negotio dimitatur & vniuerſa quæ ſunt eius in regno meo libera habeant. huius rei eſt cōſtitutio Honorij & Theodor. Imp. in l. 2. C. de his qui ad Eccleſias confugiunt: fideli deuotaque deuotione inquiunt ſancimus nemini licere ad Sacroſanctas Eccleſias confugientes abducere; ſub hac. ſ. definitione, vt ſi quiſquam contra hanc legem venire tentauerit ſciat ſe maieſtatis crimine eſſe retinēdum, & à Leone Imp. eodem titulo capitale ſupplitium conſtituitur inuadenti, & abſtrahenti confugam ex Eccleſia pro qua adeundus Epiſcopus & Clerici Eccleſię reuerentia Religionis & loci non violata confirmantur priuilegia Eccleſiarum Clericorum & confugarum in leg. ſi qua per calumniam C. de Epiſc. & Cler.

Quæ omnia & ſingula eo ſolum reſpiciunt, vt Deo maior in Eccleſiis locisque ſacratis honor exhibeatur, & reuerentia, quanta vero eius maieſtas eſt, tanta & miſericordia imo miſericordia ſuperexcellit iuditium ideo templum eius alienum eſſe debet ab omni crudelitate, & facinore quia Deus in templo ſuo ſancto habitat quare quicunq; iurat in illo iurat etiam in eo qui habitat in eo.

Vnde ſicut Chriſtus omnes ad ſe vocat qui laborant & infirmantur, ſic eoſdem in Eccleſia ſua reficiendos & præmiandos pollicetur, debet ergo ſecurum quietum & intactum permanere templū Dei, & miniſtrorum eius ſacratiſſimus cœtus.

Verum quia nihil tam ſanctum eſt, tam illibatū quod non hominum temeritate, & iniquitate violetur ideo idipſum videmus in ſanctis Eccleſiis & monaſterijs contingere ne dum à Laicis ſed quandoq; tantoq; deterius ab ipſorum templorum miniſtris

potiſ-

potiſſimum vero ſimulatione pietatis & turpis otij lucrandi gratia, quod vehementer deteſtatur ſeruitium Dei. Nec enim ideo vacui eſſe debent Sacerdotes & religioſi ab oneribus ſæcularibus vt inuitentur ad otium ſpirituale, ſed ad onus leuius & ſollicititius ſupportandum, alleuiantur in illis vt in hoc fortius decertent, ſic inquit Iuſtinianus leg. generaliter C. de Epiſc. & Cler. eos tamen Clericos & Monachos huiuſmodi habere benefitium ſancimus qui apud Sacroſanctas Eccleſias vel monaſteria permanent, non diuagantes, neq; circa diuina myſteria deſides, cum propter hoc ipſum benefitium eis indulgemus vt alijs omnibus derelictis Dei omnipotentis inhæreant miniſterijs, & hoc non ſolū in veteri Roma, vel in hac regia Ciuitate, ſed in omni terra, vbicunque Chriſtianorum nomen colitur obtinere ſancimus, quare qui abutuntur otio in monaſterijs & in ſacris ordinibus Eccleſiaſticis, & qui prætextu benefitij eccleſiaſtici cuius non implent offirium otioſe deſides, & luxurioſe viuunt indigni ſunt qui fruantur priuilegijs, ordinibus ſacris conceſſis, imo maiori pœna digni cæteris otioſis qui in tali gradu poſiti non ſunt qui minori ſcandalo, vel offendiculo proximi, delinquunt.

Otij reddenda ratio eſt inquit Cato, & Saluator noſter dehortans, quid ſtatis inquit tota die otioſi? otioſitas enim omne malum docuit, & puluinar eſt Diaboli, quod ſi quorundam Monachorum, & Clericorum mens capax non ſit lectionis vel eruditionis literariæ, ſaltem ſuo muneri & miniſterio in primis intenti eſſe debent & dehinc licite operibus quibuſdam honeſtis ſe exercere, ſic enim iubetur ſemper aliquid operis eſſe faciendum, ne Diabolus inueniat otioſum, & Diuus Bernardus de conſiderat,

fugienda

fugienda eſt otioſitas mater nugarum, nouerca virtutum, Inter ſeculares nugæ, nugę ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ & Baſilius magnus lib. Exameron. homel.7. otium maleſitij eſſe principium nemo eſt qui ignorat & hom.8. otium Dei metu ſi careat, præceptor intempeſtiuis eſt hominibus. Gregorius Orthesius Card. meritiſſimus in Epiſt. familiaribus, ad Iulianum Monachum ſcribens hortatur eum ſequi debere Hieronymum Baſilium, Gregorium aliosq; complures per quorum inquit veſtigia quis nam eſt qui tute poſſit incedere, niſi itineris omnes difficultates, & diſcrimina ab eiſdem, & exploratas, & literis traditas cognoſcere valeat, quod profecto facere nequeunt qui ſpretis honeſtiſſimis ſtudijs nihil verè ſupra communem hominum conſuetudinem, rationem veræ vitæ & Religionis valeant perueſtigare. Quippe quod ex otio noſtrũ prima omnium mortis & damnationis cauſa orta ſit tunc horrida primum.

Intrauit mors in terris, intrauit egeſtas
Et labor & duri vexantes corpora morbi,
Maximus & cæli, & rerum plaſmator, & orbis
Preſſius agnouit tempus, quo ponere vitam
Crimine pro primi decreuerat ille parentis.

Maxime connatum eſt otium religioſorum cætibus, maximeque pernitioſum, iuxta doctrinam Diui Bernardi ſupracitati, hinc ab eodem eccleſiam Domino faſciculum Mirrhæ alligare ſponſamque obtuliſſe dicit, continentem primo infantilium illarum neceſſitatum genera, deinde laborum quos pertulit in prędicando, fatigationum in diſcurendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lachrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo, poſtremo periculum in falſis fratribus con

uitio-

uitiorum,ſputorum colaphorum,ſubſannationum, exprobrationum, clauorum horumque ſimilium. Quod ante ferè in eundem ſermonem adduxit Auguſt. ſerm. 50. ò homo inquit ego de limo terræ his meis manibus te formaui, & in paradiſum meum quod non merebaris te collocaui,ſed tu me meaq; iuſſa contemnens, deceptorem ſequi maluiſti,vnde & iuſta pœna ad Inferni ſupplitium deputatus es, poſtea tui miſertus carnem aſſumpſi ſed & in terris vitam degi cum peccatoribus habitaui, contumelias & verbera pro te ſuſtinui, vt te ſuſciperem, colaphos & ſputa ſuſcepi, vt tibi dulcedinem paradiſi darem, fel,& acetum bibi, pro tuo honore vepribus coronatus affixus Cruci lancea perforatus ſum. pro te mortuus & in ſepulchro poſitus ad infernum deſcendi, vt te in paradiſum deducerem tartara adij vt tu regnares.

Idem expreſſit Lactantius firmianus in carmine de Paſſione Domini dum ait.

Te propter vitamq; tuam ſum virginis aluum
Ingreſſus, ſum factus homo, atq; horrentia paſſus
Funera, nec requiem terram infinibus vsquam
Inueni, ſed vbique minas, & vbiq; labores.

Ob quæ idem Auguſt. lib. 22. de Ciuitate c. 22. ait deſidia ſegnities pigritia negligentia vitia ſunt vtique quibus labor fugitur, cum labor ipſe etiam qui eſt vtilis pœna ſit,cui ſubſcribens Bernardus ad fratres ſerm. 4. inquit cauſam laboris cogitet, in labore, vt ipſi ei ſit pœna. Inde Hieronymus ad Paulinum quod nihil ſine magno labore dedit Deus ipſe mortalibus quia vt Bernardus epiſt. 152. mens aſſueta delitijs nec exculta diſciplinę ſarculo,multas contrahit ſordes inde ne otio ingenia ſterileſcerent ludum inſtituit Pithagoras, quem Rithmothiã

appellauit, & Hieronymus ad ruſticum Aegyptiorum hunc habent inquit morem, vt nullum absque labore, & opere ſuſcipiant, non tam propter neceſſaria, quam propter animæ ſalutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus & inſtar fornicantis Hieruſalem tranſeunti diuaricet pedes ſuos, quique ita antiqua illa monaſteria ſeruaſſe docuit. Quem ſequitur Beatus Baſilius in reg. Monachorum cap. 67. qui dixit propter mandatum Domini & propter neceſſitatem proximorum ſolliciti eſſe debemus & operari attentius. & Beatus Benedictus in regula ſua inquiens otioſitas inimica eſt animæ & ideo certis temporibus occupari debent fratres in laboribus manuum, certis item horis in lectione dominica, & poſt hos Diuus Franciſcus in regula fratrum ſuorũ dixit in cap. 6. fratres quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & deuote ita vt excluſo otio inimico animæ & ſanctæ orationes & deuotiones ſpiritum non extinguant cui debent cætera temporalia deſeruire.

Scribunt Valentinianus, & Valens in l. quoſdam ignauiæ C. de decurionib. lib. 12. quoſdam ignauiæ ſectatores deſertis ciuitatum muneribus captare ſolitudines, ac ſecreta & ſub ſpecie Religionis cum cætibus monaſonthon ideſt ſolitariorum Aegypti congregari, & proinde eos à latebris erui & reuocari ad munera, vt & Leo nouella 10. iubet Dominis reſtitui ſeruos qui occaſionem ex Religione cupientes re honeſta, ac monaſticæ vitæ profeſſione ad tegendam malitiam abutebantur, & Theodoſius & Valent. lege qui ſub prætextu C. de ſacroſanctis Eccl. qui ſub prætextu Decanorum ſeu Collegiatorum cum id munus non impleant, alijs ſe muneribus conantur ſubtrahere eorum fraudibus

credimus eſſe obuiandum ne quis ſub ſpecie muneris quod minus exequitur alterius muneris oneribus releuetur. Sicut enim quidam monaſticam vitam Clericorumq; diſciplinam deformantes ab eo recte religioſeque modo turpiter prolapſi ſunt ad ſecularia, ita & quidam eumdem modum viuendi monaſticum plane abnegantes in ſuis leuitatibus & voluptatibus euanuerunt. At ſane non eſt quin hodie plures habitum Clericalem & religioſorum ſtatum mentiantur eo ſolum ne cogantur grauioribus vel ſęculariũ vel bellorum periculis obuiare Vnde olim cautum fuit à Regibus Galliæ ne aliquis liber homo ſe addiceret monaſterio inconſulto Pricipe ſcribit Beatus Renanus lib. 2. Rer. Germanicarum, & Beatus Paulus admonẽs Timotheum prima Timothei c. 2. attende inquit lectioni exhortationi & doctrinæ. Diuus Hieronymus in Leuit. c. 8. Moyſes & Aaron non diſcedebant de tabernaculo, eius opus erat, aut aliquod à Deo addiſcere, aut populum docere aut pro populo orare, quæ omnia offitia ſunt Sacerdotis cap. finali 36. diſt. & beneficium datur Sacerdotibus propter offitium ne alijs occupentur vanitatibus.

Hanc irreligioſitatem in cœnobijs & monaſterijs plurimum expedit, & neceſſe eſt hoc noſtro præſertim tempore expurgare Eccleſiaſticamq; diſciplinam per ſuperiores inſtaurare, & monacos in ſuis clauſtris & exercitijs permiſſis per regulas imbuere, ibidem lectiones legere diſputationes & ſtudia replantare & ſi cibis nimium affluant detrahere, & in vſum pauperum aut Eccleſiæ vtilitatibus adminiſtrare ſilentium etiam quod garrulitates compeſcit ſeruandum iniungere, ſæcularium familiaritates excludere: ſæcularibus identidem clericis ea quæ

iure prohibentur debent interdici & contra interdicta admiſſa puniri, lectiones orationes & offitia ſeu miniſteria eis commiſſa diligẽtius iniungi. otioſarum perſonarum ſigna ſunt maxime Eccleſiaſticarum, vagari hinc inde per domos, plateas palatia, & curias quod quam turpe ſit, & euitandum docuit Paulus primo ad Timoth. 5. Otioſas uiduas de „ vita quæ diſcant circum ire domos imo, & non ſo- „ lum otioſe, ſed & verboſe & curioſe loquẽtes quæ „ non oportet, Ezechiel: hæc fuit iniquitas Sodomæ „ ſuperbia ſaturitas panis abundantia & otium ipſius & filiorum eius Ezechielis cap. 16.

Notantur in gloſa in Clementina ne in agro Dominico de ſtatu monachi, duodecim abuſiones præcipuæ clauſtri inter quos eſt Monachos curiales, prælatus negligens, diſcipulus inobediens, iuuenis otioſus, ſenex obſtinatus, clericus cauſidicus, habitus prætioſus, cibus exquiſitus, rumor in clauſtro, diſſolutio in choro, irreuerentia iuxta altare, ex quorum omnium diſſolutiſſimis moribus coacta ſunt cõcilia ſacra, & æcumenica remedia inueniri decretis grauiſſimis pœnis vt videre eſt in Concilio pariſienſi & Moguntinenſi ſub Carolo Magno cap. 22. & citatur 93. diſt. cap. nulla ratione, Nulla ratione clerici aut Sacerdotes habendi ſunt qui ſub nullius Epiſcopi diſciplina & prouidentia gnbernantur, tales enim acephalos ideſt ſine capite priſca Eccleſiæ conſuetudo nominauit, ſic quoque Alexander ſecundus de monachis ſtatuit vt refertur 16. quæſt. prima c. iuxta. Iuxta calcedonen. tenorem optimi conſilij monachis quamuis religioſis ad normam S. Benedicti intra clauſtrum morari præcepimus, vicos caſtella ciuitates peragrare prohibemus & à populorum prędicatione omnino ceſſare cenſuimus

niſi quis de ſuæ animæ ſalute ſollicitus vt eorum habitum aſſumat eos intra clauſtrum conſulere voluerit. & poſt; Qui vere inquit pureque ſolitariam eligent vitam digni ſunt conuenienti honore &c. eos vero qui per ciuitates ſingulas; ſiue poſſeſſiones in monaſterijs ſunt placet nobis Epiſcopo eſſe ſubiectos, & quieti operam dare, obſeruare ieiunia & orationes in locis, quibus ſe ſemel Deo deuouerũt permanentes, & neque communicare Eccleſiaſticas, neque ſæculares aliquas attractare actiones. reſcripſerunt de iſtis vagabundis Monachis Theod. & Valen: lege ſi qua per calumniam §. fin. de Epiſc. & Cler. vt clerici vel monachi qui de ſuis ciuitatibus ad regiam vrbem Eccleſiaſtici negotij vel religionis cauſa proficiſcuntur, literis Epiſcopi muniti veniant, ſcituri quod ſi citra hanc fiduciam acceſſerint ſibimet imputabunt quod non clerici vel monachi putabuntur. In Concilio Aurelianenſi primo ſic ſcribitur cap. 21. monachi Abbatibus omni obedientia, & deuotione ſubiaceant, quod ſi quis per contumaciam extiterit indeuotus aut per loca aliqua vagari aut peculiare aliquid habere præſumpſerit, omnia quę acquiſierit ab Abbatibus auferantur ſecundum regulam monaſterio profuturam, idipſum autem qui fuerint peruagati vbi inuenti fuerint cum auxilio Epiſcopi tanquam fugaces ſub cuſtodia retineantur. & reum ſe ille Abbas futurum cognoſcat qui in huiuſmodi perſonas non regulariter animaduerterit, vel qui ſuſceperit monachum alienum.

Quid vero ſit fugitiuus aut vagari, deſcribitur in l. quid ſit fugitiuus. §. erronem. ff. de ædil. edicto. vbi vagari ſine cauſa eſt huc, atque illuc inutiliter verſari, & Labeo definit erronem eſſe paruum fugitiuum

tiuum vt ex diuerſo fugitiuum magnum erronem, & erronem propriè qui non quidem fugit, ſed frequenter, ſine cauſa vagatur, & temporibus in res nugatorias conſumptis ſerius domum redit. Grauius vero iſti corripiendi ſunt monachi, & clerici qui dũ huc illucq; vagantur rebus magis improbis, vt ludis, & choreis vacant, aut ſpectaculis prohibitis interſunt, non obſtantibus prohibitionibus & ſacrorum canonum decretis: hominibus certe ſacratis & rebus ſerijs occupatis minime conuenit intereſſe choreis & ſaltationibus, aut ſpectaculis hiſtrionum, vt in clem. prima de celebr. Miſſ. & capite cũ decorem de vit. & hon. cler. imo cap. non oportet de conſec. diſt. 7. dicitur ſi hiſtrio, vel ludio ſuperueniat conuiuio cui intereſt clericus, debet de menſa potius fugere, & abire, quam illum audire, aut motus & geſtus eius videre. De hoc clare Concilium Toletanum 3. c. 23. & c. irreligioſa de conſec. diſt. 3. Irreligioſa inquit conſuetudo eſt quam vulgus per ſanctorum ſolemnitates agere conſueuit, populo qui diuina debent offitia attendere ſaltationibus & turpibus inuigilant canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed & Religioſorum offitijs perſirepentes, hoc enim vt ab omnibus prouincijs depellatur Sacerdotum & Iudicum à Concilio Sancto iure committitur, vbi non ſolum clericis, eiuſmodi intereſſe ludicris ſaltationibus, & cantionibus, ſed etiam laicis prohibetur. Certe alio modo meliori q; negotio poterit illud tempus impendi quod aliquando taxillorum tabularum alearum & ſimiliũ ludis attenditur, ob idque merito, interdictum clericis ſub pœna trium annorum abſtinendi à diuinis miniſterijs, monachis vero degentibus in monaſterijs datur triennalis carcer, vel quo ad placuerit ſu-

perio-

periori argumento legis aut damnum. ff. de pœnis & Auth. interdicimus de Epiſc. & Cler.

Non crediderim ego tam rigoroſum de huiuſmodi exceſſibus à ſanctis patribus decretum fuiſſe Iuditium præſertim quod in conſuetudinem eiuſmodi Iudi tranſierint, neque pro vitio etiam paſſim apud ſuperiores clericorum reputentur. Verum & ſi exornari aliquando poſſit eiuſmodi otium vt relaxandi animi gratia in pijs & diligentibus, quia tamen incentiuum ſit maiorum malorum & plenius in animis mali geſtus vocesq; & cantus luxurioſi reconduntur, vnde facile labi clericos cõtingit ideo ne ſub ſpecie boni mala germinentur tales prohibitiones ex iuribus allegatis factæ ſunt. Quibus conſeruandis non ſolum Epiſcopi, & alij ſuperiores, ſed etiam iudicibus & ſæcularibus facultas datur talia in ſolemnitatibus ſerio prohibere, non enim iſta ſunt ad Dei honorem & ad teſtandam iucunditatẽ ſpiritus in Deo, ſed ad corpoream & ſpurcam voluptatem & in Dei potius, & honeſtatis iniuriam, & contumeliam, quam laudem ex quo quis aduerterit quæ cantantur, & motus qui fiunt inter ſaltandũ, nihil enim minus ibi agitur quam Dei & ſanctorum eius memoria in cuius gratiam inſtructa ſunt feſta, & feſtorum dierum ſacræ Baſilicæ harumq; Dei miniſtri. Nec ſibi quid quam de illarum priuilegijs & immunitatibus aſcribere habent cum ipſi in legem peccent, quare diligens erit de iſtis aliquãdo reddẽda ratio eoquod non ſolum ſe ipſos indignos reddunt tantis priuilegijs ſed eadem ipſi quorum eſt defendere, & tueri illibata priuilegia temerario vſu conuallunt alijsq; minoribus grauiſſima ſcandala prębent, tantoq; in ſe crimen habent cõſpectius quãto maiores ipſi habentur, qui contra hæc peccant.

Cum

Cum vero de priuilegijs cleri, & eccleſiarum dicere incæpimus hactenus quæ diximus plura eſſe clericorum eaque diuerſa, opere pretium erit vt dicamus quomodo ab ipſis Laicis contra Clericorum priuilegia veniatur atque vt res melius intelligatur totum hunc tractatum ita diſpartiemur, vt dicamus alia eſſe priuilegia perſonalia alia vero realia, ideſt vt quædam ſint quæ contingant ipſas perſonas Eccleſiaſticas, alia vero quę res & cauſas illorum. De his itaque ordine Deo fauente, tractabimus, principis autem erit omnibus his attendere, vt remedium adferat ijs quibus iniuriam factũ fuiſſe cognouerit.

CAPVT XVIII.

Eccleſia petens auxilium à Laicis, ſi non ferant an committatur iniuſtitia?

MVltoties contingit Epiſcopis & ſuperioribus prælatis quod vel occaſione ſui Cleri, vel ratione religionis contra infeſtationes inimicorũ ſuorum ſe ſe non poſſint defendere, vel etiam ſententias latas in rebelles & contumaces exequi adeo quod cogantur inuocare brachium Principis, vel violentur iurisdictiones eccleſiaſticorum & priuilegia præcipue in ijs quæ ad ipſas perſonas Eccleſiaſticas pertinent. Contingit autem & ſimiliter quod in viam huiuſmodi auxilij petiti nolint accommodare iudices laici ex qua maxima fit in Eccleſia Dei & perturbatio & iurisdictionum cauſarumq; Eccleſiaſticarũ violatio, merito ergo quærendum quando & in quibus caſibus ſubnenire teneantur Eccleſiæ & mini-

ſtris

ſtris Catholicis prædicti iudices Laici.

De obligatione ad hoc faciendum nemini videtur dubium eſſe quandoquidem vna iuriſdictio alteram iuuare tenetur, vt dicitur vulgariter & patet per totum titulum de off.ord.c.1.& 23.q.5.cap.prodeſt de hoc vero quæri poſſet an ſtatim illo tempore quo petat eccleſiaſticus etſi non faciat, è ueſtigio dicatur laicus grauare Eccleſiam. Ad hoc dicendum videtur, cum vterq; gladius datus ſit adhoc vt alter alterum coadiuuet, &ad hoc duo illi gladij ſemper conſueuerint exigente neceſſitate ſibi adinuicem ſuffragari, & in iuuamen alterius ſubuentione mutua frequentius exerceri, ideo ſi Eccleſia eſt oppreſſa per Laicos, vel Clericos vt in ſciſmate accidit, vel per hæreſim, & tunc poteſtas ſæcularis requiſita ſtatim ſine aliqua cognitione debet adiuuare eccleſiam, & impartiri auxilium quod maniſeſte ſuadetur per cap. placuit diſtinct. 17. alias ſi ſeculares Principes non adiuuarent, non diſtarent ab hęreſi, vt in c.ad abolendam dehæret extra in fine, & qui tale auxilium negligit impartiri debet priuari ſua iurisdictione, & ratio hoc ſuadet quia cum de his ſimilibusq; cauſis Principum, ſit Eccleſiæ cognoſcere, & determinare, non vero Iudicis ſæcularis hic ſane ad requiſitionem Eccleſiaſtici ſine vlla indagine ſęculari habet exequi, & impertiri officium Iudicis vt in cap.Inquiſitionis.§. prohibemus de hæret. in 6. & eſt caſus ſingularis vt refert Angel. in l. Magiſtratibus. ff.de iuriſd. omnium iud. atq; pro cōmuni regula id facile vim obtinebit vt.ſ. in omni cauſa de qua Iudex ſæcularis non poteſt cognoſcere vt puta de Epiſcopo præsbytero, vel clerico incorrigibili degradato per Iudicem ſæcularem, Iudex ſæcularis teneatur impartiri offitium ſuum, & ſi nō faciat

ciat, male agat, & vehementer Eccleſiam aggrauet & ſine vlla cognitione, cuius ratio ſatis euidens eſt, quia ex quo principaliter de cauſa non poteſt cognoſcere, nec requiſitus poterit, quod videtur approbare Antonius de Butrio in c. 1. de off. ordin. quod etiam prouidetur per textum in c. cum quidã ſæculares de excep. lib. 6. vt iud. ſæculares paſſim admittant exceptiones rei per Eccleſiaſticum Iudicem ad quod cogi poſſunt per cenſuram Eccleſiaſticam & hoc procedit in cauſis, in quibus ſolus Iudex Eccleſiaſticus cognoſcere poteſt.

Poſſet pluribus id demonſtrari exemplis quæ licet ſint odioſa, tamen veritatis certiſſima inditia, ex quibus conijci poteſt quantum ex contrario actu damni accedat Religioni & libertatibus Eccleſiaſticis dum alteri ſua per alterum impeditur iurisdictio, vel non accedente ſæculari auxilio multorum ſalus periclitatur ipſaq; Eccleſiaſtica politia miſere confunditur. Dolenter idquidem mihi olim accidit quando in Epiſcopatu Gurcenſi Carinthiorũ pro Illuſtriſs: & Reuerendiſs: Epiſcopo eius loci ordinario Domino Chriſtopharo Andrea Vicariatu, & eiuſdem Cathedralis Eccleſiæ conciſtorialis aſſeſſoratu pluribus annis perfunctus, nonnunquam experire nullam in ſententijs ferẽdis fieri à Prouintialibus eiuſdem prouintiæ, vel eorum præfectis, (quod ſæpius contigit) executionem, idque in grauibus Eccleſiæ negotijs præſerrim caſibus matrimonialibus, dum vel contra Eccleſiæ prohibitionem inter priuatas perſonas atq; iure prohibitas fierent matrimonia cũ tamen illa nulla eſſe de iure pronũtiaretur eiusq; in effectum executionis circumuicinis territoriorum dominis, inuocato ad hoc eorum auxilio in ſubſidium declarationis iuditialis inſinuaretur

retur, illi vel non exequerentur Epiſcoporum man data & ſententias, vel in deſpectum illorum,& contra apertam Eccleſiæ iuriumque prohibitionem opere ipſo nuptias in eorum templis celebrari permiſerunt, quod non ſolum contra ius nouiſſimum eſt ſeſſ.24.de refor. c.1. & 2. aliaque legum decreta ſed contra Imperatorum conſtitutiones & boni Principis ordinationes. Quis enim ignorat titulum de inceſtis & inutilibus nuptijs ab Imperatoribus conſtitutum, aut quis dubitat Imperatores ſummam in nuptijs contrahendis honeſtatem obſeruaſſe? Quippe quod non expedit Reipublicæ procurare multiplicem prolem niſi quoq; ea talis ſit quæ vſui & vtilitati ſit atque honeſta, & non damnoſa, cum vero prolium educatio ex nuptijs proueniat proinde additæ ſunt leges, quæ has nuptias, vel permitterent vel prohiberent. Vnde in veteri teſtamento tenebatur quis vxorem ducere fratris ſui eo mortuo vbi tamen ab Iuſtiniano aliud conſtitutum eſt leg. fratris C.de nuptijs, fratris vxorem ducendi, vel duabus ſororibus coniungendi penitus licentiam ſubmouemus: & iterum in authentica de inceſt.& neph. nupt. conſtituit pœnam contrahentibus inceſtas nuptias. Quorum eſt confiſcatio bonorum, tã cæterorum quam dotis, exilium etiam, & ſinguli (ſi quo potitur) ſpoliatio, verberatio quoq; ciuilis eſt, fœmina quoq; talia ſcienter peccante, ſimili pene ſubiuganda: accedit Ius adeundæ hæreditatis paternæ & maternæ in quo plurimum iniuſtitia cõmittitur, dum legitimis & honeſtis liberis repudiatis illegitimis & ſpurijs deferuntur omnia.

Cum ergo nuptiæ in quantum Sacramentũ ſunt inſtitutum ab Eccleſia liberæ eſſe debeant, non ambigitur, vt ſui iuris non cenſeantur Laici vt & ad-

moneantur inde ad legitimum imperium eiusque poteſtati non pertinere velle cogere ſubditos hoc vel illo modo, inter has vel illas perſonas ineundi matrimonia, vel filios, vel filias coniugio, præter Eccleſię voluntatem & ordinationem tradendi, in quo hodie plurimum peccatur, non tantum à regibus & ſæcularibus Principibus quod ſuper hoc nō inuigilant nec Epiſcoporum & prelatorū quærelationes deſuper expediunt ſed etiam à præfectis nobilium & territoriorum Dominis, qui ita diuites ſubditas ſuis ſeruis & infimis hominibus & inopibus minis, vi, & crudeli modo, ſeu tirranico coniūgunt non obſtante quod prohibitio facta ſit in conſiſtorio ſub pœna excommunicationis, & alijs cenſuris. Ex qua inordinatione quid aliud ſequi poſſit non video niſi nepharij inceſtus adulteria diſſidia inter coninnctos, homicidia diuortia, & pleraque alia mala. Experietur hoc verum eſſe Princeps ſi vt olim Principes fecerunt qui ſuas ad hoc diſcretis viris ordinatis quot annis more Catholicorum Epiſcoporum prouincias perluſtrarunt, vtique grauiora & atrociora inueniret ſuas viſitās prouincias. Vnde mirum non eſt quod de pauperantur ruſtici & ſubditi nobilium, aliorumq; bonorum virorum bona abliguriantur. Addam huic negotio aliud non minus reformidandum quod ſæpe vrgeantur ab hominibus ſæcularibus tales contrahentes fidem ſuam abnegare ex quo Parochiani diſtrahuntur ab Eccleſia Catholica, hæreſes excreſcunt & debita iura Paſtoribus non redduntur, vnde tot clamores gemitus & inſtantię Parochorum apud Præfectos caſtrorum, vt iuſtitiam adminiſtrent.

Videre eſt paſſim ipſos Parochos miſellos quibus vix tantum relinquitur quod ſe ſuamque ſuſtentēt

familiam, vnde vero exoluentur ſteurę? vnde comparabitur amictus, & veſtitus decens? vnde domus reſtaurabitur? Grauiſſimum ergo & intollerabile malum hoc eſt in prouincia vbi omnia ſine diſcrimine peraguntur: ſicut vero diſtincti ſunt inter ſe homines, ſic & fori diſtincti eſſe debent, & per conſequens diſtinctæ iurisdictiones cauſarumq; actiones, & cura: non ergo decens eſt quod quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici eadem ſibi ſæcularis pro vt ſupra habitum eſt vſurpet. Principis ergo eſt vnicuiq; ius ſuũ tribuere, & priuilegia illęſa conſeruare maxime vbi de rebus Fidei eſt Eccleſiæ ſtatutorum & ordinationum conſeruatione agitur, nec permittere vt ſæculares ſe prȩter ius & conſuetudinem rebus & cauſis Eccleſiaſticorum intromittant.

Quod vero ſupradictum eſt per modum regulæ procedi poſſe limitatur quantum ad caſus qui mixti fori ſunt, vt in vſura ſacrilegio, &c. vel vbi locus eſt præuentioni in quibus ſi petatur, auxilium à ſæculari, is poterit videre an requiratur iuſtitia? nam ſæcularis non cogitur ad omnem requiſitionem Eccleſiaſtici exequi proceſſum quando videlicet talis cauſa foret de qua etiam ſęcularis iuditium ſuum interponere poſſit vt habetur in auth. de Eccleſ. tit. §. ſi vero crimen, alias, de ſanctiſs: Epiſc. & Cler: collat. 9. aut. ſi appareret ſæculari iniuſtum mandatum Iudicis Eccleſiaſtici vt in l. ſi quis bella C. vt nemo priuatus, aut ſi talis requiſitio peccaret in iure, vt per titulum, vt quæ deſunt aduocatis, &c. vel etiam in facto, in caſibus in quibus Iudex in facto ſupplere poteſt, maxime in miſerabilibus perſonis, & hoc quando executio petitur vel imploratur auxilium ſuper ijs quæ iudex Eccleſiaſticus pronuntiauit ſententialiter. Verum tamen eſt quod Iudex ſæcularis

cularis

cularis ſemper habet executionem facere ſiue is iuditialiter, ſiue extra iuditialiter procederet in cauſis ad ſe , & offitium ſuum pertinentibus quia non eſt ſæcularis iudicare de Eccleſiaſtico, an male vel bene iudicarit. c. 2. de excep. in 6. Quod vero dicatur Iudicem ſęcularem non teneri ſtare proceſſui Eccleſiaſtici limitatur in caſibus in quibus ſæcularis poteſt cognoſcere: ſed in hæreſi aut alijs ſupradictis ſæcularis non poteſt ſe intromittere. Accedit quod iudex ſæcularis non habet in ſuperiorem iudicem Eccleſiaſticum Imperium. vnde in caſibus nō prohibitis ſi requirat ſæcularem & pars contra quā inuocatum brachium ſæculare non allegat quare executio fieri non debeat ſtatim debet facere executionem & auxilium mittere. Illud etiam quod dici poſſit de interpoſita appellatione, quia hoc ſolū procedit in cauſis priuatorum, & tunc ſufficit quod appellans doceat de interpoſita appellatione, & ſic ſuſpenditur executio: quia hoc loco tractamus de negotijs tangentibus Iudicis offitium & pro quibus iure præſumitur vt v. g. in Iuriſdictione Epiſcopali in tota prouintia præſumitur pro illa cap. Cum Epiſcopus de off. ord. ideo non valet inductio.

At maior difficultas oritur inter Iudices delegatos Eccleſiaſticos an ea quæ de ordinarijs dicta sūt, verificentur etiam in ijs & an ad eorum requiſitionem teneantur executionem facere, & iuſtitiam administrare Laici, quamuis aliquibus videatur quod delegati non poſſint inuocare brachium ſæculare quippe quod hoc ſit permiſſum ſolis ordinarijs iudicibus vt patet toto titulo de off. ord. tamen communiter tenent doctores quod etiam delegatis iudicibus hoc ſubueniatur remedio. Ipſi enim cum excedant in cauſa ſibi tunc commiſſa alios ordina-

rios

rios c.ſane de off.delegati & toto illo titulo. Vnde iniquum videretur id illis denegare quod ordinarijs alias iure communi attribuitur, imo quod plus eſt dicit Innocentius cap. ſignificaſti de off. Delegati, ipſum milite armato poſſe compellere ſibi rebellem & dare poſſeſſionem leg. ſi quis miſſum. ff. ne vis fiat ei qui in poſſeſſionem miſſus eſt, non ſolum cauſa cuſtodiæ, ſed etiam rei ſeruandæ; permittitur tamen hoc quando ſine contentione id efficere poterit alias recurret ad Iudicem ordinarium & brachium ſeculare. Principis enim ſolius eſt arma mouere in prouincia 23. q.3. c.1. & l. qui reſtituere ff. de rei uindicatione. Nec aliud tunc habet Eccleſia quod faciat ex quo Iudex delegatus qui eſt maior quocunque ordinario idque ipſe huic neceſſitati non ſufficiat, cum ordinarius ſe in cauſam delegatam non poſſit intromittere, etiam mortuo delegato, proinde vt ſententia mandetur executioni opus eſt vt brachium Principis ſuccurrat alioquin grauamen inſupportabile accelerabunt talia non facientes. nam ſic quis proprie grauare dicitur ex quo alterius inſtantia negligitur vt docet Ant. But. in c. licet ex ſuſcepto de for. Compet. & ideo contra Iudices denegantes facere iuſtitiam ſtatutum eſt vt incurrant Principis indignationem, vt in authent. C.de mandat. Princ.& tenentur læſo ad intereſſe & extra ordinem puniri poſſunt à Principe Bald. in auth.ſtatuimus de Epiſc.& Cler.vbi quærẽs an ſi poteſtas denegat iuriſdictionem alicui priuato debeat priuari iuriſdictione & dicit quod quidam dicunt quod non per prædictam authenticam quia ibi eſt ſpetiale in Clericis, quod denegantes illis facere executionem & iuſtitiam, priuari debeant iuriſdictione & hoc valde notabile eſt pro nobilibus non

fa-

facientibus executionem parochis in ſuis inſtantijs & grauant multipliciter vnde mirum Principi videri non debet ſi in comitijs agendis aut celebrandis dietis conſtitutisq; promore cuiusq; prouintiæ tot tantaq; fiant grauamina, ſi enim tardus eſt nobilis in adminiſtratione iuſtitiæ ſibi tanquam Domino ſæculari competenti, aut toties Dominus Capitaneus alicuius Prouintiæ interpellatus, ſtet in deliberando, nec admittat, neque repellat, neq; etiam procedat ad id quod petitur ab Eccleſiaſticis, merito Curia adiri debet, & Princeps inuocari humiliter, vt tanquam Dominus plenarius & directus iurisdictionum ſæcularium cauſas Eccleſiaſticorum introſpiciat, eorumq; immunitates pro Eccleſię bono, & prouinciarum pace tueatur, alioqui duriſſimùm iuditium eueniet ei qui pauperem oppreſſit, & non exaudiuit in die neceſſitatis.

CAPVT XIX.

An Laicis competat aliqua iurisdictio in Clerum.

NVllo vnquam tempore, neque in veteri, neque noua lege, neque ex legibus Iuriscon ſultorũ Clerici exſtiterunt de iurisdictione ſæcularium iudicum, ſed ſui iudices Eccleſiaſtici de illis cognoſcebant, nam à mundi exordio poſtquam ſummus Sacerdotpm & Rex Regũ Deus omnipotens per multa tempora mundum per ſe rexit vt patet Gen. 2. 3. & 4. tandem deuenit ad committendam iuriſdictionem ſuam totamque curam & adminiſtrationem rerum ipſi Noe qui primus fuit, tametſi non legatur

tur Sacerdos, tamen offitium Sacerdotis exercuit ipſeque vt generalis iudex vtriusq; iurisdictionis & eccleſiaſticæ & temporalis omnem exercuit ſicq; iurisdictio Clericorum pœnes ſuos Sacerdotes ſemper remanſit . quæ ſucceſſu temporis peruenit in Patriarchas,qui erant iudices Eccleſiaſtici, & tunc prohibitum fuit Laicis tangere Chriſtos Domini iuxta illud qui vos tangit, tangit pupillã oculi mei, multo minus iuditium de illis ferre, iuxta illud nolite tangere Chriſtos meos, quouſque factum eſt, vt ſummus omnium Sacerdos Pontifex, & pro tempore Clemens Octauus per ſe in Sacerdotes iuriſdictionem exerceat ex inſtituto Chriſti,qui emẽtes, & vęndentes è templo eijcit Marci 11.

Idipſum fuit & legibus iuriſconſultorum expeditum planeq; priuilegiatum Sacerdotium,cum ſuis iudicibus à ſæculari iuriſdictione . leg. non diſtinguemus §. non Sacerdotio.ff. de arbitris , & iure digeſtorum iudiſdictiones diſtinctæ l. hæreditas .ff. de pet. hæred. ibi Pontificali vel reali iuditio, nec contra hoc eſt quod quædam Imperatorum leges ſubmittant Clericos iudicio ſeculari vt l.clericus C.de Epiſc. & Cler.nam illę tanquam errore inductæ nouis Imperatorum conſtitutionibus immutatæ fuerunt,& id aſſerit Bal. in aut: ſtatuimus C.de Epiſc.& Cler. quod Sacerdotes nunquam fuerint ſub ſæculari Imperio,& illam dicit eſſe veritatem, nam Deus ipſe à principio diſtinxit iuriſdictiones,& ſic illud authenticum recedit ab errore veterum, imo ipſi ſæculares, & iurisdictio eorum tanquam Clericorum erant pœnes Eccleſiã cap. per venerabiles, qui fil. ſint legit.& c. quicunque 7.q.2. Poſtea tamen propter maius bonum & decentiam vtrinq; iurisdictiones diſpartitæ ſunt.

Accedunt ad hoc Concilia Sanctorum Patrum, qui omnem prohibent Laicis poteſtatem in Eccleſiaſticas perſonas, vt in Calcedonenſi c. ſi clericus. & c. clericus cum nullus 11. quæſt. 2. & Milleuitano c. inolita eadem cauſſa & q. in Carthaginenſi c. placuit. In quibus locis prohibetur Laicis, nedum in cauſis Clericorum cognoſcere, ſed etiam eos trahentes in iuditio ſæculari cauſam perdunt, imo tales iudices ſæculares dicuntur grauare & iniuriam Eccleſiæ irrogare, vt in Concilio Pariſienſi c. Nullus iudicum de for. compet. & alibi pluribis in locis idipſum manifeſte comperitur: adeo quod neque Epiſcopo volente Iudices ſæculares de Clericis cognoſcere nequeunt, c. ſignificaſti de for. compet. neq; accedente negligentia Iudicis Eccleſiaſtici id licite fiat; quia non ſupplet negligentiam prelatorum Laicus c. generaliter de Iud.

Contra prędicta iura ſanctorumq; Patrum decreta facientes pręter grauamen quod ingerant Eccleſiæ, etiam infamiæ notam incurrũt & diuinitus corporalibus pœnis tales iudices corripiuntur vt legimus de Oza qui lepra percuſſus fuit.

Quibus ſic ſtantibus multorum argui poterit ſæcularium iudicum peruerſitas in eo quod Clericos ad ſua trahunt tribunalia cauſasque eorum dijudicant non requiſito illorum ordinario Epiſcopo aut alio ſuperiore, nec vlla vnquam conſuetudo talis approbari dicitur ab Eccleſia, neq; Summum Pontificem hoc vlli regum vel Principum in detrimentum Eccleſiaſticæ immunitatis conceſſiſſe credendum eſt, quantumuis ab vſurpantibus huiuſmodi conſuetudo ſæpe, ſed fallaciter obtrudatur, ita Principem & regem præſcribere ab immemorabili contra Eccleſiam, & Clerum, quod exemptos in ſuis

Prouin-

Prouintijs capere, & incarcerare poſſent, eſt enim corruptela & peruerſitas illorum hominum, qui male volunt Clericis, & eorum Priuilegijs, patet hoc ex capite inolita 11.q.1.vbi talis conſuetudo dicitur inolita præſumptio, & improbatur à iure, nec immerito: quia eſt contra iura diuina & humana, & ideo irrationalis, quod ipſum Conſtantinum rectè dixiſſe legimus in Nicæna Synodo, quod Clerici & Epiſcopi à nemine iudicari poſſint, nec vlla Laicorum præſcriptio ad hoc præualere poteſt, ſtatuitur hoc in l. Caſſa. C. de Sacroſanctis Eccleſiis. ſiue directè id fiat, ſiue indirectè, vt cum Clericis declinantibus forum per Iudices ſæculares protectio illis denegatur.

Quod vero à quibuſdam aſſeritur hanc conſuetudinem, eſſe Principum, vt ſint Iudices Clericorũ exemptorum illosque exemiſſe ab inferiorum Epiſcoporum iuriſdictione, hoc eſſe nequit: quia ſummus Pontifex dicitur eſſe Epiſcopus exemptorum per Bald. in l. reſcripta de præcibus Imperatori offerend. quique ſolus plenariam exemptionem poteſt concedere iuxta formas in c. ſi Papa de priuil. in 6. contentas habita earundem exemptionum differentia, vt eodem titulo c. primo reſpondetur, & ſic exēpti plenarie, non habent iudicem in Prouincia, nec ratione delicti, nec ratione contractus, niſi ſolum Summum Pontificem ex qua cauſa finali dicunt quidam tolerandam conſuetudinem quorundam fororum, quod Reges & Principes in Clericos animaduertere poſſint quod præſumi non poteſt de catholicis Regibus & Principibus, qui habent omnia iura in ſcrinio ſui pectoris, quod contra libertatem eccleſiaſticam, vel contra perſonas eccleſiaſticas velint ſtatuere aut per alios ſic conſtituta vim, & ro-

bur obtinere, cum eiuſmodi cõſuetudo aperte obuiet Sacris canonibus odioſaq; ſit, & propterea reſtringenda, quippe quod magnum inde ſequatur inconueniens, quod ſtatim quo factum eſſe alicui exẽptionis priuilegium, credendo Pontifex iurisdictionem ſuam eſſe in exempto, ſi Princeps ſæcularis ob conſuetudinem iſtam in eum cognoſceret, ſequeretur nullo vnquam tempore exemptos Prælatos ad Pontificis maximi iurisdictionem reuerſuros, & ſic paulatim tota in exemptos à Pontifice transferretur iuditiaria poteſtas. conſuetudo enim dat priuilegium, extra de priuil. c. quod quibusdam, & quia conſuetudo neceſſarium habet actum, tribuitq; iurisdictionem, nihil eſt quod ſibi Pontifex amplius vendicet. Nec Papa ſine maxima vrgente cauſa tribuit ſæcularibus poteſtatem ſuper clerum vt legitur *96.* diſt. c. benequidem & *64.* c. inſinuando, vbi cauſa exprimitur, quæ erat valde vrgens, nec ita facile infirmante Pontifice tranquillari potuit, oportebat ergo ſæculari Principi committere, vt ea faceret, quæ ad honorem Dei & Religionis conſeruationem ſpectant, non eſt vero ex hoc quod ſęculares ex ſe ſtatuere poſſint, ſed & iuſſu Pontificis nec quidẽ ſtatuere, ſed adiuuare, aut prohibere ne ſciſma oriatur in Eccleſia, alioqui prædicta capitula corrigenda veniunt, vt ibi, tum quia Laicus non poteſt quidquam ſtatuere in leges eccleſiaſticas, tum etiã quia mali exempli eſt ob hoc non valebit eiuſmodi conſuetudo, ſi quæ alicubi talis inuenitur, neque tuti ſunt ſæculares ſub tali conſuetudine quia iuris Eccleſiaſtici quod ſibi præſcriptum putant non ſunt capaces; neq; ſufficit tacitum conſenſum accepiſſe Pontificum quia ad auferendum ius alteri non ſatis eſt habere conſenſum tacitum, ſed expreſſum, ne

mo

mo enim præſumitur ex iuris præſumptione iuri ſuo denuntiare.l.ſi domus.ff. de ſeruit. vrban. prædio: tum denique quia in hoc non ſolum tractatur de iure pontificis ſed de præiuditio totius Cleri & immunitatis Eccleſiaſticæ, nulla ergo conſuetudine quamuis immemorabili, neq; præſcriptione aut temeraria vſurpatione ſe quiſquam Laicorum ad hæc intromittere audeat. Dei enim hæc ſunt priuilegia, non hominis.

Præter hæc tamen multa ſuadere poterunt, quandoque licitum fore ſæcularibus iudicibus in clerū aduertere eo.ſ.caſu ſolum, quando ineffrenis illorū vita ſcandaloſiquè mores id neceſſario exigunt, ita quod à nullo alio caſtigari poſſint, neque à viciniori epiſcopo, neque ad ſummum Pontificem tam cito recurſus haberi poſſit, quo caſu non immerito Principes ſæculares ſe ſe Sacrorum canonum executores præbere poſſunt quaſi neceſſitate cogente, & ad hoc allegatur capit. Princeps ſæculi. 23.q.5.nonnunquam extra eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenet, vt per eandem poteſtatem diſciplinam eccleſiaſticam muniat.

Cęterum intra eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent niſi vt quod non pręualēt Sacerdotes efficere per doctrinę ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem; ſæpe per regnum terrenum cœleſte regnum proficit, vt qui intra eccleſiam poſiti contra fidem, & diſciplinam agunt rigore Principum conterantur ipſamque diſciplinam, quam vtilitas Eccleſiæ exercere non præualet ceruicibus ſuperborum & poteſtas principalis imponat & vt venerationem mæreatur virtutem poteſtatis impartiatur.

Cognoſcant Principes ſæculi ſe Deo debere rationem

tionẽ propter Eccleſiã quã Chriſti tuendam eſſe ſuſcipiunt nam ſiue augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationẽ exiget, qui eorũ poteſtati Eccleſiã ſuã tradidit. Ex qua decretali potius in ſubſidium, & tuitionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ inuocandos colligitur, quam aliquid ipſi vt de nouo pro lege Eccleſiaſtica ſtatuant & ſic non eſt contra Canones aduenire principes, & iudices ſæculares pro neceſſitate Eccleſiæ, ex qua non ſolum ſibi conſuetudinem inducet Princeps, ſed ius ſibi poſitum à Deo ſciat, quia iure canonico deficiente Epiſcopali & Archiepiſcopali iuriſdictione, permittitur vſus regalis etiã in Clericis. c. filijs ac nepotibus 16. q. 7. & in abſentia iudicis eccleſiaſtici firmari poſſe conſuetudinem talem non inficior quia etiam priuato conceditur captura clerici fugientis, cum iudex eccleſiaſticus abeſt, neque leuis copia haberi poteſt, & ſic locum habet lex ait prætor §. ſi debitorem ff. de ijs qui in fraudem creditorum, fortius hæc competãt iudici ſæculari ob publicam vindictam ſi epiſcopus negligat facere offitium ſicque abſit Archiepiſcopus aut alius ſuperior eccleſiaſticus quem Iudex ſæcularis per literas requiſitorias admonere poſſit vt ſuppleat deſiderium, nam cum eſt dare ſuperiorem in iuriſditione, negligẽtia vnius poteſtatis eccleſiaſticæ non ſuppletur per ſæcularem c. qualiter de Iudit. Vnde quia homicidas & Sacrilegos & fœneratores, alioſq; criminoſos clericos punire non eſt effuſio ſanguinis, ſed legum miniſterium Iudex ſecularis ſi tales puniat, maxima admiſſa tali negligentia eaque perdurante, tantùm abeſt, vt in Canonem committat, quod etiam miniſterium canonum exerceat: Nec tunc priuilegia eis debent patrocinari

ad patrationem Scelerum, ſicut enim boni clerici ſunt ſub protectione Imperatoris ita mali debent eſſe ſub tremore l. per omnes C. de defens. Ciuit. Neque tali caſu dici poteſt, quod ſæcularis ſuppleat negligẽtiam eccleſiaſtici, ſed Canon iudicis ſæcularis id permittit tolerando tollerantia approbatiua quod alij dicunt permisſiua, ſicut enim ſæcularis negligens facere iuſtitiam perſonis eccleſiaſticis iuriſditionem amittit, vt ſupra diximus, &aliũde ſuppletur, ſic non eſt in conueniens iuri quod data negligentia, & delinquentium multitudine Principi publicum bonum Iudex ſæcularis posſit in tales publicam uindictam exercere, quam vtique pasſim exercere poterit tam in Laicos, quam Clericos ſi enormia commiſſa fuerint vt exinde publica lædatur pax & reipub. bonum.

Alias nulla data abſentia Iudicis eccleſiaſtici, neque negligentia tenetur ſemper in eiuſmodi factis iudex ſęcularis requirere Iudicem eccleſiaſticum & ſi talis delinquens clericus ſit alterius diœceſis quia ratione delicti aliquis occupat forum. Vnde prouiſum eſt in Sacris canonibus contra ſęculares Iudices præſumentes ſibi alterius Diœceſis clericos ad ſuum pertrahere tribunal, & cauſas illorum cognoſcere, multaſque imponere & in carcere vinctos retinere, quod ſentẽtiam Canonis incurrant, c. ſi Quis ſuadente. 17. q. 4. cuius executor eſt epiſcopus, iu cuius Diœceſi laicus clericum detinet comminandum illi cenſuram, & publicando contra Iudicem talem, ad remittendum clericum quam detinet committendo Sacrilegium, ex quo ſine dubio crimen commmittit, eſtque fori eccleſiaſtici, quia crimen Sacrilegij eſt detinere clericum c. quiſquis 17. q. 4. pro quo poteſt indubiè ordinarius capiendo

cleri-

clericum inquirere contra iudicem laicum ex offitio quemadmodũ vult Innoc. in c. vt famæ de ſent. excom. non enim huic clerico ſolum iniuriam facit, ſed toti ordini clericali pro qua propulſanda Iudex eccleſiaſticus poteſt agere, tanquam iuris executor, & contra perſonas priuilegiatas, cum ſolũ publicet ſententias à iure decretas, vt notatur in Clem. 1. de vit. & honeſt. cler. & ſi contumax extiterit talis Iudex ſæcularis ad Principem confugiet cuius eſt eccleſiam, & quemlibet in iure ſuo, & iuriſditione conſeruare.

CAPVT XX.

Gaudentes Priuilegio Cleri ſi detineantur à Laicis, ad ordinarios remittendi.

QVia plerunque Eccleſiæ immunitatis, clerique priuilegiorum prętenſione multa mala contingere ſolent, grauiuſq; quandoq; cauſare Reipub. malum, vt dum ad eccleſias, quidam confugiunt potius ad effugiendam vindictam, criminum quam ad veram conuerſionem, & pænitentiam inibi agendam & nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuũ per defenſionem eccleſiæ ottinere ſperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipſis eccleſiis vel earum cemiteriis committere, veriti non ſunt, quæ niſi per eccleſiam ad quam confugerunt, ſe defendi poſſe ſperarint nũquam commiſſuri fuiſſent, ideo neceſſario nobis dicendum eſt, quibus eiuſmodi priuilegia cleri & eccleſiarum gaudeant, quiue non, & ſi de ſuper retenti à ſæcularibus iudicibus fuerint, quid facto opus ſit, & primo quidem de eccleſia-

cleſiarum immunitate, deindi de clericorum.

Vulgariter dici ſolet, quod quicunque contra intentionem legiſlatoris vel concedentis peccat, is priuilegio non gaudeat c. finali de immunitate eccleſię meritò qui eo animo ad eccleſias confugit, vel monaſteria, vt ibi ſecurius delinquat id quod religionis fauore introductum eſt contra cum in odiũ conuertitur l. quod fauore C. de leg. ne iniuriarum occaſio oriatur. Vnde ſolent iura naſci, eatenuſque facundum eſt pietati, quatenus iniuſtitia aliis non fiat, inquit ſummus Pontifex, non eſt fauor concedendus c. ex tenore, de for. Compet. In primis ergo cum prædictæ immunitates eccleſiarum conſtitutæ ſint à Deo pro his qui non ſponte delinquunt, ſed caſu, uel ſe defendendo, ſi quis volens ſanguinum fudiſſet abſq; odio, non ſi ferro, vel lapidem iaciendo per odium, per inſidias, ut Deutoron. 19. & num. 39. pro his maximè ſunt loca immunia, vt ſic euadunt iram proximi occiſi, cui licebat homicidam occidere, quæ pœna tunc erat diſponenda in legenum dignus eſſet homicida pœna, nec ne, non autem, vt liberaretur à pœna, ſi per odium vel inſidias occidiſſet, tunc enim expellebatur ab vrbibus refugij. Sic & eccleſiæ Chriſtianorum non ſunt, aſyla pro ſponte delinquentibus. ſi uero quidam exiſtimantur rei grauiores dum petuntur ab eccleſia, ius inclinat ſemper ad miſericordiã, ne reus potisſimũ in dubiis vel non conuictus, pœnas luat, aut ſi fuerint probata crimina intercedat eccleſia pro illis, vt parcat vitæ eorum, vel abſciſſioni membrorum; & ſimile obſeruatur ab eccleſia in clerico incorrigibili qui traditur curiæ ſæculari exautoratus, non vt occidatur, ſed vt citra mortis periculum ſententia moderetur c. nouimus. de verb. ſignif.

Secundo remouentur ab iſta immunitate publici latrones qui vias obſident, depopulatores nocturni agrorum, ſic & publicus latro, vt in l. prouinciarum C. de ferijs, prouinciarum præſides moneantur, ut in quæſtionibus latronum maxime Iſaurorum, nullum quadrageſimæ tempus, nec venerabilem Paſchæ Diem exiſtiment excipiendum, ne differatur ſceleratorum proditio conſiliorum, quę per latronum tormenta quærenda eſt, cum facillimè, & in hoc ſummi numinis ſperetur venia per quod multorum ſalus, & in columitas procuratur. Iuſtin. in nouel. 17. de mandatis principum. §. neque autẽ. Neque autem homicidis inquit, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus terminorum cuſtodies cautelam, ſed etiam inde extrahes, & ſupplitium eis inferes, ratio: quia non erit poſſibile ſine iniuſtitia videlicet vtrumq; tueri, cautela Sacrorum, & lędentem & læſum, & quia iure ciuili adulter ad Eccleſiam confugiens, non euitat pœnam, multo minus qui in Eccleſia tractauerit de adulterio §. finali auth: vt liceat matri & auiæ. nouel. 117. & hodie ſeruatur potius ius ciuile in raptoribus à ſacris templis eruendis, quam pontificium, quod non permittebat c. de raptoribus 36. q. 1.

Excludantur etiam hæretici ab iſta immunitate eodem argumento, quo Iudæi l. 1. C. de his qui ad Eccleſiam conſugiunt, idipſum dicendum eſt de blaſphemia, vt refert Nicolaus Boerius q. 110. incip. ſed an conſueuit. Idem obtinet in reo diuinæ maieſtatis, cum multo grauius ſit diuinam, quam humanam maieſtatem offendere auth. Gazeros de heret. Item ſeruatur in apoſtatis à fide Catholica l. hi qui ſanctam C. de Apoſtatis. Sacrilegium quoque committentes indigni ſunt hac de-

ſenſio-

ſenſione Eccleſiaſtica, iuxta communem regulam qui committit in legem, non mæretur benefitium legis. l. auxilium ff. de minorib. Vnde qui occidit Clericum quia committit ſacrilegium non gaudet. c. ſi quis ſuadente 17. q. 4. Atque hæc de Eccleſiarum immunitatibcs de quibus plura videnda erunt per ſcribentes.

Porro quod attinet ad priuilegia Cleri, & qui eiſdem gaudeant, certè dubium non eſt de perſonis Præsbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum, aliorumque religioſoſum, & tonſuram habitumq; Clericalem gerentium: quia per primam tonſuram Clericalis ordo conſequitur vt in capite cum contingat. de ætat. & qual. ſimili modo religioſi infra annum probationis ſunt religioſæ perſonæ, c. religioſo de ſent. excommunicationis qui omnes gaudent priuilegio Canonis 17. q. 4. ſi quis ſuadente, & ſunt de diſtrictu, & iuriſdictione Epiſcopali.

Dubium tamen facile extat de alijs religioſis qui non ſunt inſigniti charactere Clericali, vel Religionis approbatæ, vt ſunt ſcholares, & ſeruientes Eccleſiæ, cantores, conuerſi, vxor Cleri, filij, ſerui, & ruſtici Eccleſiarum, ſeu Clericorum, pro quo videtur gloſa in c. nullus Iudicum, de for. compet. in verbo minores eccleſiæ, comprænhendere, eo quod ibi loquatur concilium generale de ſcholaribus vel ſeruientibus eccleſiæ qui eodem priuileg. gaudent 12. q. 2. c. eccleſiarum ſeruos, ſic de vxore Clerici, & legitima, eſt capitulum eos 32. diſt. & item de filijs ante Clericatum natis, vt in glo. l. omnes C. de Epiſc. & Cler.

De ruſticis autem Clericorum an gaudeant ſub diſtinguendum videtur, vt quando hoc conceſſum habēt ab Imperatore, & quando ruſticus habet ge-

neraliter adminiſtrationem ab eccleſia, vel quando ſolum conuenitur pro illa re, quam tenet ab Eccleſia, alias præter iſtos caſus conuenietur ex delicto vel contractu coram Iudice ſęculari, ita tenet ſpec. de compet. Iud. ad §. 1. verſ. 27.

De exiſtentibus in familia Epiſcopi quod gaudeanr priuilegio ſori notatur in c. cum non ab homine de Iud: & hæc ſunt de iure communi, ſitque pro regula, vt omnis Clericus inſignitus charactere Clericali, omnis religioſus profeſſus aliquam de religionibus approbatis, vel infra annum probationis gaudeat priuilegio omni Clericali, niſi per aliquam ex qualitatibus de quibus iam dicemus priuilegio denudetur, vt patet per iura ſupra allegata. Alijs vero beguinis, eremitis, ſeruientibus, & pœnitentibus tertij ordinis, Geſuatis, Hoſpitalarijs, de quibus in c. vt priuilegio, de priuil. & ſi faueat ius commune ſecundum Doctores, tamen conſuetudo antiqua multum contra eos facit.

Nunc veró de quibuſdam nobis in particulari videndum eſt, an gaudeant priuilegio Clericali Canonis & fori, de quibus ſi non fiat per Laicos ad ordinarios remiſſio grauant plurimum Eccleſiam, & primo quidē offert ſe Bigamus, qui Clericali priuilegio non gaudet vt in c. alterationis de Big. Sicq; remittendus non erit. Scias tamen quod multis modis dicatur Bigamus & is qui viduam accepit in vxorē, & qui duas vxores accepit, itē qui cum corrupta contraxit c. primo de big. & is qui de facto ſecundū matrimonium contraxit, quamuis de iure non teneat propter impedimentum conſanguineitatis vt Ioan. Andreas de big. c. Nuper. Illud idem dicendum eſt de clerico in corrigibili degradato. Item in Clerico coniugato, non deferente habitum & tonſuram

ſuram, & de clerico loculatore ſeu goliardo, ſeu buffone, ſi per annum illam artem exercuerit, vel minori, ſi ter, monitus fuerit, nam tunc exutus eſt omni priuilegio de quo vidēdus Hoſtien. in ſum. de ſent. excom. §. ſi quis posſit verſ. Quid ergo de goluardo? Item in clericis exercentibus artem macellariorum, & tabernariorum offitium publice, & perſonaliter poſt trinam admonitionem iuxta formam Clem. i. de vit. & honeſt. cler. Item de clericis ſoeuis, & enormitatibus sè immiſcentibus, poſt trinam admonitionem de ſent. exco. c. audientium. hi oēs quamuis clerici, vt non gaudentes priuilegio clericali non poſſunt repeti à Iudice eccleſiaſtico, quia non ſunt clerici ſui gaudentes priuilegio clericali, iuxta formam c. ſi Iudex laicus de ſent. excom. in 6. & Iudices laici non grauant ſi in illos iuriſdictionem ſuam exercent. Quia tamen res maiori indiget examine uideamus de clerico charactere inſignito clericali, iam commiſſo crimine, an pro iam facto crimine debeat gaudere priuilegio clericali. ommiſſis ſcribentium relationibus communis eſt ſententia canoniſtarum, & legiſtarum, quod ſi laicus commiſſo delicto factus ſit clericus quod ad bona poſſit condemnari, & exequi de eo, ſicut ſi clericatum nō accepiſſet: quia bona ſunt affecta, & obligata illi pænæ quam meruit tempore commisſi delicti, facit pro hoc l. 1. ff. de pæn. Si autem loquamur de pæna corpori inflictiua, & tunc cōmunis habet opinio, ꝙ ſi in fraudem aſſumpſit clericatum ſibi non proſit priuilegium; quia metu delecti commisſi ad euadendam ſententiam Iudicis ſecularis effecit, meritoque per illum poterit puniri, argumento c. i. ſupra ff. de pęnis. cuius fraudis inditium eſſe poteſt modicitas temporis, iſtudque magis fortificatur caſu

quo iam Iudex laicus proceſſum cum tali inſtituiſſet, & præueniſſet iuriſdictionē eccleſiaſticam, quo tempore, cum fuerit in carceribus non iuuat illum clericatus, vt dicit Ioan. And. in c. i. de oblig. ad ratiocin. Verum tamen eſt in hoc caſu quod licet iudex ſecularis poſsit cognoſcere de tali clerico, tamē perſonam eius non poteſt ſententiæ ſubijcere, ſeu pænæ alicui, donec ab eccleſiaſtico iudice fuerit degradatione actuali exutus.

Quantum vero ad alios eiuſmodi Clericos quos ſupra comprehendi a Laicis poſſe diximus, nec remittendos ad inſtantiam illorum, alio modo ſe ſe res haberet, vt uero & iis optime conſulatur operepretiū facturos putamus vtriuſque poteſtatis offitiales, & ſeculares & eccleſiaſticos, vt omne grauamē, auferatur, videlicet ſi Diœceſanus cūctos Clericos ſuæ Diœceſis moneat ne ſe ſęuis & enormitatib. aut prohibitis à Canone factionibus & prohibitis negotijs & offitiis immiſceant, idque primo ſecundo & tertio peremptorio monitionibus iuxta c. conſtitutione de ſent. excom. in 6. notificando etiam illis, quod tunc ab eccleſia nullam ſibi affuturam ſciant defenſionem, quod quidem monitionis offitium Diœceſanus detrectare nequit, neque ſufficit ei ad plenam offitij ſui executionem, si in genere eos cōmoneat, ſi tamen tanta illorum multitudo exiſteret, quod non ſcirentur omnium in ſpecie nomina ſufficit forſan in genere omnes & ſingulos commonuiſſe. Qua monitione ſic facta ponamus quod ſic tota fere prouintia plena ſit eiuſmodi clericis ſæcularibus & laicaliter viuentibus, qui habitu clericali abiecto arma deferunt, & ſoeuis ſe immiſcent, & voluptatibus inuoluti homicidia, plagium, furta, & cætera maleficia paſcim committant, & vt iſtorū

criminum vltionem euadant, tonſuram paruulam accipiunt factis maleficijs aliijſque captis à ſecularibus iudicibus repetuntur ab eccleſiaſticis, Quærendum eſt quid opus facto ſit de talibus.

Sanè quia plerunque malitia hominum excreſcente iſta in prouintijs noſtris contingunt non abs re viſum fuit de eodem quod communiter ſentiendum eſſet decidere. Ideo clericos quos nec habitus, nec tonſura Clericos profitetur in criminibus deprẹhenſi, vt iuriſdictionem ſecularem eludant, habitum clericalem aſſumentes, vel reaſſumentes, ſi Iudex ſecularis in talibus iuriſdictionem ſuam exerceat, Eccleſia id tollerat, & permittit & iura canonica occiſores talium Clericorum, qui contemptu clericali habitu tyrannidi, & enormitati ſe tyrannis immiſcent in ordinis clericalis ignominiã, ad terrorem, & correptionem ciuilium Canone latæ ſententię minimæ coercentur c. cum non ab homine de ſent.excom. & ſummo ſupplitio per iudicem ſæcularem puniri poteſt clericus, ſeditionibus & bellis ſeſe immiſcens, abſque eo quod cenſuram Canonis incurrat, conſtát aperte hoc ibidem de ſent.excom.c. perpendimus. ſicut & ii qui nec in modo tonſuræ nec veſtimentorum forma, nec in qualitate negotiorum de clericatu quidquam oſtẽdunt ad pænę ſubterfugium, ſe vt clericos exhibentes cum ſuper excesſibus quos ſæculari luxu committunt ad publica Iuditia pertrahuntur circumciſis crinibus vt posſint circumuenire vindictam, ſe pro clericis repreſentant clericalis fori priuilegia labijs allegantes, quod factis paulo ante negauerũt ſi tales tertio admoniti contempſerint, ſe emendare, illius efficiuntur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela & laicorum violentia coercenda

da dignoſcitur inſtituta, vt in c. cóntingit, de ſent. ex com. in 6. idque, ita eſſe & verum conſiſtere, patet, per expoſitionē Antoni. de But. in c. Iamdudum, ſi contingant prædicta poſt tertiam admonitionē, & incorrigibiles exiſtant, quod priuilegium ammittant, tam Canonis, (quam fori c. Nullus Iudicum de for.) compet. Cum enim tales rebus illicitis dent operam atque prohibitis ſe ſe immiſceant, dubium non eſt, ne remaneant delicta impunita, ne ue ſub prætextu religionis ipſa religio ſacerque clericorũ cœtus violetur, quin vigore ſacrorum canonum eiuſmodi in prædictos permittantur fieri executiones, ſi quidem bella, & arma clericis prohibita ſunt. Cod. vt armorum vſus inſcio principe interdictus ſit. lib. ij. & c. cum audiens 23 q. vltima neque militantes Deo ſe ſecularibus negotiis addicere debent, per totum illum titulum, nulla ipſis irrogatur iniuria, ſi debitis adhoc per ſæculares compeſcantur, & retrahantur punitionibus. Quemadmodum de clericis coniugatis qui habentes clericalem characterem dimittenteſque illum, eumque poſt iterum ad miſſum facinus reaſſumentes, minime ad inſtantiã Eccleſiaſtici iudicis videntur remittendi, ſed puniendi à ſæcularibus, vt ex ſupradictis colligere eſt: quia reaſſumptio tonſuræ non facit gaudere priuilegio, teſtatur idipſum commune illud axioma, quod in incompatibilibus voluntatibus præiudicialibus, & contrarijs, facta vnius electione, non datur regreſſus ad alterũ, de poſtulatione prælatorum c i. in 6. attamen diſtinguendum videtur, in his caſibus neceſſario, ex quo talis clericus vere habet clericalem caracterem, quantumuis illum ſemel depoſuit, per habitum & tonſuram, non ferendo quia remoto illo quod impediebat iſtum caracterem, reuixit iterũ,

vt caſus eſt in l. ex ſextante §. latinus largus ff. de except. rei iudicatæ, vbi res data in feudum inſolutũ euincitur per hypothecariam, & reuiuiſcit actio, illud vero de præiuditialibus incompatibilibus non habet locum in his, in quibus vita electa iam ceſſat, quæ erat cauſa perditionis priuilegiorum quia vbi reſtat character & ſic amoto impedimento, cauſa operatur, & idem effectus c. ceſſante de appell. itaq; dicendum, aut iſte clericus coniugatus per aliquod tempus dimiſit habitum & tonſuram, & poſt commiſſum delictum (inſcius) de illo, reaſſumpſit habitum, & tempore repræhenſiones eſt in habitu, & tonſura repertus: tunc talis gaudet, & eſt remittendus, quod docet gloſa in Clement. i. de vit. & honeſt. cler. & Innocentius ibidem in c. finali, & communis ſententia omnium eſt iſta. Secundo aut iſte Clericus coniugatus facto crimine, vel conſcius de illo in fraudem, & ad euadendum punitionem Iudicis ſæcularis, reaſſumit tonſuram & veſtes, & non recuperat priuilegium, quod vult. c. ex parte de Cler. Coniug. vbi dicitur reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. i. tales tranſmittẽdos Iudici Laico quia Eccleſia id tollerat.

Quod ſi de primo membro prædicti Clerici gerentis habitum & tonſuram fuit quæſtio quod. ſ. Iudex ſæcularis eum nolit remittere dicens, ſibi competere hanc noxam admiſſum propter facinus vindicare, prout ſæpe fieri ſolet. Quid tunc faciendum? certè in Clerico ſimpliciter tonſurato non coniugato, nullum eſt dubium eſſe remittendum: quia ſi notorie conſtat illum eſſe Clericum, & talis eſt ſententia publica, ſtatim ante cognitionem eſt remittendus à Laico, etiam ſi non eſſet Clericus c. ſi Iudex Laicus. §. primo de ſent. excom. ſi autem de

prçuentione, vt Laicus habeatur, tunc non ſtatim remittendus, ſed cognitio eſt iudicis Eccleſiaſtici, ita tamen vt omnis proceſſus quieſcat per Laicum: quia eſt quæſtio præiudicialis ſuç Iurisdictionis. Secundo etiam quia iſta cognitio eſt Iudicis Eccleſiaſtici, vt prædicto capite ſi Iudex Laicus, tamen propter. §. finalem dicti capitis propter qualitates, quas iſte Clericus habet probare, an ante .ſ. remiſſionem contraxerit cum vna, & cum virgine, & tempore deprahenſionis fuerit in habitu. Sed quid ſi Iudex Laicus dicat ego deprahendi illum in facto. i. coniugatum & in fraudem reaſſumpſiſſe habitum & tonſuram, proinde meæ erit Iurisdictionis cognoſcere & iudicare iuxta legem quoties. C. de Iuditijs maxime quia iſta cōſiſtunt in facto etiam ſi ſint cauſæ Eccleſiaſticç iuxta notata per Bartholum in l. titia. ff. ſolut. mat.

Contrarium tamen eſt in c. dicto. ſi Iudex, & §. ibi finali, & quia probatio de Clericatu eſt quid ſpirituale merito etiam ad ſuum Iudicem eſt remittēdus, & cauſa terminanda, tam in facto, quam in iure, vt eleganter ſcribit Bal. in prædicta l. quoties. vbi Bartholum reprahendit dicens quod ſiue ſit quæſtio facti, ſiue iuris cum Eccleſiaſtica cauſa, non pertineat ad Iudicem ſæcularem eius diſpoſitio, vel iuditium ſibi arrogare non debet. Cui addendum videtur, & illud quod non principaliter moueatur iſta quæſtio, ſed incidenter coram Laico. Vnde Iudex Eccleſiaſticus eſt competens Iudex, & ſe Laicus intromittere non poteſt c. Tua. de ord. cognit. Idipſum confirmat Innocentius c. cum ſit generali de for. compet. quod in cauſis pertinentibus ad Iudicem Eccleſiæ ſiue ſit dubium iuris, ſiue facti, vt potè quia negatur rapina rei Eccleſiaſticæ tamen in

dubio

dubio cognoſcit Eccleſia 16. q. 1.c.in Canonibus, &ita ſentiendum & concludendum contra Laicos, ſibi meſſem Eccleſiaſticam præſumere volentes, cuius contrarium ſi per vim obtineant, maximum Eccleſię grauamen inferunt, ſummamq; iniuriam, quæ per Principem Terræ remouenda ſunt.

Vltimo quid ſi talis Clericus coniugatus gaudēs priuilegio Clericali per Laicum detentus eſt carceribus propter debitum aliquod pecuniarium, quod accidit in Germania ſæpiſſimè, & in facto cuidam accidiſſe vidi, ſi Iudex Eccleſiaſticus talem repetat, caſu quo poſſet illum Laicus retinere, an ſi non remittat, grauet Eccleſiam, & iurisdictionem Iudicis Eccleſiaſtici, dicitur communiter quod ſit remittendus eam ob cauſam, quod in caſibus in quibus ius relinquit iurisdictionem in Clericos coniugatos, vt in terminis dicitur c. vnice de cler. coniug. Intelligitur verum, quando exercitium iurisdictionis concernit diſcretionem bonorum ita quod ipſorum perſona non tangatur nec ipſorum bona animaduertātur, quia vbi requireretur aſtrictio perſonarum, illam non faceret Iudex Laicus. ſecundum Abb. c. ex parte de cler. coniug. ita concludit Lapus allegat. ſua 118. dicens quod Clericus coniugatus eo caſu quo gaudet priuilegio clericali non poterit detineri in carceribus pro debito pecuniario per iudicem Laicum, etiam ſi ſit caſus, quod Laici licite potuiſſent retinere: quia iſtis Clericis textus ille reſeruat priuilegium canonis eo modo, quo prius alia iura habebant, quia in nullo diminuuntur. Quippe quod etiam per iura antiqua retineri non potuit à Laico vt eſt caput ſecundum de for. compet. quia pœna excommunicationis ſtatuta eſt in tales detentores clericorum, ideo dicit poſt multa Lapus vbi ſupra

quod nec hodie poterit retineri & eſt magna ratio quia ſi durat priuilegium canonis, omnis violēta detentio, facit excommunicationem, vt notat Innocentius in c. Nuper de ſentent. excom. & hæc quoad perſonalia priuilegia clericorum.

CAPVT XXI.

Cauſis Priuilegiatis Clericorum an ſe Laici intromittere poſſint?

EXpeditis Priuilegijs Eccleſiæ & clericorum ſpectantibus ad ipſorum perſonas, nunc videndum ſequitur de cauſis eorundem perſonas tangentibus in quibus ſe ſe Laici non habent poteſtatem intromittendi, & primo quidem non de omnibus hoc loco tractare nobis propoſitum eſt, ſed de his ſolum, de quibus communiter inter Laicos & Iudices Eccleſiaſticos oriri ſolēt altercationes quibus ſic abſolutis poterunt nullo negotio aliarum reſolutiones accipi. Sunt itaq, quædam cauſę ſingulariter ſpectantes ad forum eccleſiaſticum, in quibus ſi ſe ingerat Iudex Laicus prętet quam quod actum nullum facit etiam grauiter peccat, & eccleſiæ authoritatem ſibi vendicat, Quarum.

Prima eſt hæreſis quę quidem ita epiſcopalis cauſa eſt vt ſolum ad Eccleſiam iudicandam pertineat. Sitque plane iudex laicus de illa prohibitus, vt patet per textum c. vt inquiſitionis lib. 6. de Heret. prohibemus quoq; diſtinctius poteſtatib. dominis temporalibus & rectoribus eorumdemque offitialibus ſupradictis, ne ipſi de hoc crimine, (cum mere ſit eccleſiaſticum) quoquomodo cognoſcant vel

iudi-

iudicent ſiue captos pro eodem crimine abſque dictorum Epiſcoporum ſiue inquiſitorum aut ſaltem alterius eorundem licentia, vel mandato à carcere liberent etc. ſed requiſiti inſuper Iudices laici, tenẽtur executioni dare ſententiam factam ab Eccleſiaſtico Iudicæ, in crimine hæreſis, ſine vlla alia cognitione ſeculari, proinde etiam ibidem prohibetur vt neque directè, neque indirectè, ſe quoquo modo intromittere præſumant. Quod vero in veteri teſtamento legitur etiam per reges, & ſeculares deciſum fuiſſe inter Hæreticos ſicut de Ioſue, qui occidit Sacerdotes Baal 4. Reg. 10. & Ozias Rex oſſa hæreticorũ comburi iuſſit, reſponſum habet in c. ſiquis ꝑ vetus 22. q. 2. vbi dicitur ſi quis per vetus teſtamentũ vult ſuum tueri mendatiũ quia minus illic quibuſdam forte nocuerit, dicat neceſſe eſt, rerum alienarum raptum retributionem iniuriæ, quæ infirmis illic conceſſa ſunt ſibi nocere non poſſe, quæ omnia cunctis liquet quanta animaduerſione veritas inſequitur, quæ nobis iam ſignificationis ſuæ vmbra poſtpoſita, in vera carne declaratur. proinde illa ſimiliaque ex veteri lege ad exemplum minime trahenda ſunt, ſed quod Eccleſia ordinauit & ſtatuit ſequendum, cuius hodie omnis & ſolius poteſtas eſt, & iuriſdictio huius criminis, & habet carceres, & omne Imperium, vt Clem. prima de hæret. & hæc iuriſdictio in tantum eſt Eccleſiæ vt in illa habeat iudices qui Inquiſitores vocantur, qui vna cum ordinario vel ſeparatim cognoſcunt, vel ſoli per ſe diiudicant.

Scias tamen quod inquiſitores ad hoc quod Eccleſiaſtici iudices ſunt, non poſſunt manum extendere ad alia crimina, vt ſunt diuinationes & Sortilegia, ſub prætextu huius criminis, niſi inquantum ſa

piant hæreſim aliquam, vt in c. accuſatus de hæret. in 6. §. ſane, & licet quis regulariter cognoſcat an ſua ſit Iuriſdictio, tamen hoc caſu non poteſt niſi manifeſte ſapiant hæreſim, vt iam ſtatim dicetur, & exemplum adfertur de monacho profeſſo qui vxorem duxit, vtrum iſtud ſapiat hæreſim & ſe ſe inquiſitor, aut Iudex Eccleſiaſticus intromittere posſit, inquo quidem ſubdiſtinctione reſpondentes dicũt, aut iſte monacus duxit vxorem egrediens monaſterium, idque clam fecit, & ſic præſumitur in dolo, quia vero non preſumitur hæreticus aliquis propter commiſſum dolum, ſed propter errorem, vt qui errorem habuit circa Sacramentum matrimonij, non credens prohibitum profesſis religioſis carnalem commiſtionem, ideo non uendicat ſibi officiũ inquiſitor hæret. prauitatis, aut palam duxit vxorẽ, & ſic præſumitur errare, ſitque de hæreſi aut conuictus aut plurimum ſuſpectus, & tunc dicunt poſſe per inquiſitorem puniri, adderem tamen ex hoc palam non neceſſario inferri hęreſis ſuſpitionem niſi paratus ſit illum errorem velle defendere, atq; licitum eſſe quod fecit probare. Quod idem concludẽdum eſſet de eo qui cum duabus matrimonium cõtraxit, Illudq; conſumauit, quod .ſ. de hæreſi non posſit condemnari. fatendum tamen inquiſitorẽ ſtante tali caſu dubio poſſe contra iſtos procedere inquirendo, quomodo de Sacramento matrimonij ſentiant quibus repertis fidelibus recteque ſentientibus, nulla poterit hæreſis pęna intentari, quamuis alia pæna puniendi veniant per ſuum iudicem non tamen vt hæretici, ſic limitantur notata per Dominum de Sancto Geminiano in c. Accuſatus de hæret. in 6. §. ſane.

Quia tamen plerunq; dubitare contingit de in

canta-

cantationibus quibuſdam & demonium inuocanti bus,an ſint puniendi per territoriorum præfectos, an primo vero per Eccleſiam, huius dubij ſolutio pendet exinde,an hæretici dicãtur eiuſmodi,quod incantationis genus cum multis modis fieri poſſet,dicendum eſt,nam aliqui inuocant demones ex imperio quod in eos habent virtute diuina, & iſta inuocatio impetratiua, ceſſante omni adoratione honore,vel fumigatione non eſt hęreſis, de qua loquitur Oldradus in Conſilio 220 alia eſt inuocatio quę fit cum adoratione vel Sacrifitio Diabolo, factis precibus nepharijs, & hoc ſine dubio hęreticũ eſt, quia ſcriptum eſt vnum ſolum Deum adorabis & illi ſoli ſerules: quia ergo honor exinde Deo ſoli debitus,tribuitur Diabolo, vt hæretici ſunt cenſendi,ſi enim alium quaſi Deum adorare hæreticũ eſt, & hoc non eſt propter perſonam, ſed propter vitiũ ergo vbi erit maius vitium ſ. in adoratione Diaboli,maius etiam erit peccatum. Alia denique eſt inuocatio,quæ fit ſimpliciter nulla facta adoratione, vel ſacrifitio funeſto,tunc illa inuocatio aut fit ad effectum,vt ex demonum reſponſionibus futura præſciamus,& hoc hæreſim ſapit manifeſtam:quia creaturæ attribuitur id quod proprium eſt creatoris,iuxta illud Eſaiæ 41. Annuntiate quæ fatura ſunt non futurum, & ſciemus quoniam Dij eſtis vos, quando vero prędicto modo Dæmones inuocantur ad habendum pręiudiciariam mulierum,hoc quia proprium eſt Dęmonis .ſ. tentare licet hoc facere ſit turpe,& mortale peccatum non tamen cenſetur ſapere hæreſim.

Ex quibus diſtinctionibus haberi poterit iuditiũ quando,vt contra hæreticos in talibus procedendũ ſit,nec ne. Alphonſus de Caſtro lib. 1. de iuſta hæretico-

ticorum punitione c. 16. diſputando de incantatiō-nibus, ac inuocationibus, quas faciunt iſtæ Camiæ & ſtriges, concludit hoc eſſe omnino hæreticum, quibus iungi poterunt, quæ Dominicus Sotus de Iuſtitia, & iure lib. 8. Quæſt. tertia articulo 2. dicit adnotandum eſt, Demones in odio Dei quod primo actu conceperunt adeo eſſe obſtinatos & obturatos vt quidquid uel faciant, vel meditentur ex alio odio dimanet, & ad Deum ipſum infeſtandum procedat. Quocirca (id quod conſideratè meditandum eſt) odia quæ in vos exercent non in noſtrum tantum malum intendunt, ſed vt Deum offendant, & iniurijs proſequantur, eumque eo fine, & propoſito fruſtentur, quo nos creauit: videlicet ne gloria ſua nomenq; amplificetur, quapropter profeſsio noſtra eſt aduerſus illos tanquam aduerſus acerrimos hoſtes noſtros perpetuum gerere bellum, Qui ſuper fontem baptiſmi illis indicimus nomina noſtra dantes in militiam Chriſti aduerſus illos quos ideo abiuramus renuntiantes illis, omnibus pompis eorū atque adeo Sanctisſime pollicitantes nullo nos vnquam eorum fauore, aut auxilio, aut benefitio vti velle.

Sed quid ſi Dæmones inuocentur ad ſanitatem recuperandam, an ea inuocatio hæreſim ſapiat? videtur quod non ex quo dæmones tam bene quam homines intellectus ſubtilitate, & longa rerum experientia cognoſcere poterunt naturalium effectuum impedimenta & ſimiliter cauſas & effectus prædictos occultè impedientes & producentes vt Diuus Thomas contra gentes lib. 3. c. 154. quibus concinunt dicta Sancti Auguſtini in tit. de ciuitate Dei vt refertur 26. q. 5. c. nec mirum, quod Dę mones tanta polleant ſubtilitate atq; ſecundum or

dinem

dinem naturalem quædam operentur quæ homini bus uideãtur miracula, vt Moyſi contigit, vbi verſa erat Virga in Dracones, & aqua in ſanguinem, idẽ Aug.3. Trinitat. & S. Bonauentura 2 ſent. diſt.7. pro quo & ſi nolim videri proteruus, putarem non multum diſtare ab hęreſi, ex eo quod tribuatur Diabolo, quod contrarium eſt ipſius Naturæ, quæ apta eſt ad nocendum; Diabolus enim miniſterio ſuo malus eſt vt voluit Auguſt. ad Simplicianum lib. 2. q. 1. & dicitur ſator malorum, ſunt etiam Dæmones deceptores circumeuntes quem deuorent, vt i. Petri c.5. & S. Auguſt. in Euangelium Ioannis tract. 7. ob quod ſub ſpecie boni malum permitti nõ debet Rom.3. & Auguſt. de Simbolo ad Cathecumenos, Diabolus inimicitia magna omnes proſequitur, quia liberos videt quos tenebat ante captiuos, videt bonos quos ſuis iaculis proſtrauerat vulneratos, & quod plus cœlorum ſedes conſpicit hominibus præparatas. Vnde ipſe propter ſuperbientem regnandi cupiditatem cecidit, quæ ergo hominis veſania eſt, quod confidat Dęmoni. Angelis vero, & altiſſimo nequaquam? Quod egregie deſcribit Auguſt. Ciuitat. lib. 21. c.6. ſi enim hæc inquit immundi Dæmones poſſunt, quanto potentiores ſancti Angeli, quanto potentior his omnibus Deus? Quomodo reſpondebunt Domino dicenti. Ego sũ via veritas & vita? ſi ipſe eſt viuificans omnem animam quomodo aliunde vita requiritur. Vnde illud Dei ego occidam, & ego viuere faciam? Ipſe enim eſt Deus vitæ & mortis.

Idem Auguſt. ſermone 215. de tempore, ſi adhuc (ait) videtis aliquos, aut ad fõtes, aut ad arbores vota reddere & ſicut iam dictum eſt ſortilegas arã, & diuinos vel præcantatores inquirere, filacteria, ẽt

diabolica, & characteres, aut herbas, vel ſuccos ſibi, aut ſuis appendere, duriſſime tanta eorum peccata increpantes dicite, quia quicunq; fecerit hoc malũ perdit Baptiſmi Sacramentum, ſi ergo Baptiſmi Sacramentum perditur, vt quid erit in cauſa, cur in hæreſim iſte inuocans dæmonem non incurrat, cui iam in Baptiſmi lauacro abrenuntiauerat? iam cũ Deo circa Dæmonum conuerſationes renunciationum contractus initus erat, & quod ſemel eiſdem placuit, non debet amplius diſplicere, & iam fides prꝗſtita eſt, quam fallere non licet.

Si vero quis obganniat dic contrarium iterum cũ prædicto Auguſt. ſerm. 46. de temp. Quare aduerſarius tuus eſt qui contraria iubet quæ tu facis, dicit tibi, vnus eſt Deus tuus, vnum Deum cole, tu vis dimiſſo vno Deo tuo tanquam legitimo viro animæ tuæ fornicari per multa Dæmonia, & quod eſt grauius, non quaſi aperte deſerens, ſed tanquam manens in domo viri tui, admittis adulteros .i. tanquã Chriſtianus non admittis Eccleſiam, conſulis mathematicos, aut auruſpices aut maleficos, quaſi de uiri domo non recedens adultera anima, & manens in eius coniugio fornicaris, & idem in qq. nou. & vet. teſtamenti q. 95. ars Matheſeos euitanda, & fugienda eſt, hanc enim aſtutia, & ſubtilitas inuenit Diaboli, quia enim aperte repugnare non audet authori, tergiuerſatione id agit, vt, & Deo iniuriã faciat, & hominem legi inimicum conſtituens mutilet, & ſermone de tempore 241. nullus ex vobis Carragos, vel diuinas vel ſortilegas requirat, nec de qualibet eos, aut cauſa, aut infirmitate interroget.

Hoc idem tenet & ſequitur Dominicus Soto, de iuſtitia & iure ſupra relatus artic. 2. vitam inquit

nulla

nulla res niſi ab alio viuente per generationem habere valet, vel Deo, qui Dominus eſt naturæ id præſtante, plane ergo impium erit huic tam peſtiferæ Dæmonis ſuaſioni adhęrere quã nil niſi æterna damnatio ſequi poteſt, ideo plurimum expedit diligenter in eiuſmodi incantatores aduertere per iudices ordinarios hæreticæ prauitatis: quia exinde plurimum Deo detrahitur & fides Catholica labefactatur.

Non minori animaduerſione digni ſunt ij quorum ſub ouina pelle rapaciſſimi Lupi, deuaſtatio ingruit, qui alios Chriſtianos Catholicosque à vera & ſincera fide peruertunt, & apoſtatare faciunt, ſane tales hæreticos fore nemo dubitabit. Sicq; Eccleſia contra illos vt hæreticos procedere poteſt vt in c. contra Chriſtianos lib. 6. de hæret. & talium receptatores, vt hæretici puniendi. ff. de recep. l. 1. & 2. eoque gtauius quia aliorum errores nõ ſolum defendunt, ſed etiam in errorem inducunt 24. q. 3. c. qui conſentit. & extra de hæret. c. penult. in fine. etiam ſi tales ſeductores eſſent parentes, vel conſanguinei.

Alię ſunt cauſæ eccleſiaſticæ, & ſolum pêr Iudicem eccleſiaſticum terminandæ & puniendæ, de quibus ſimiliter nullo modo ſe poteſt intromittere ſæcularis, & ſi ſe intromittit grauat iuriſdictionem eccleſiaſticam. ſ. cauſa matrimonialis, & natalium, vt patet c. tuam de ord. cognit. & c. lator, qui filij ſint legitimi, & c. ex literis de conſang. & affin. & de dictis cauſis ſæcularis ſe non intromittit, etiam ſi incidat in cauſa principali coram ſæculari, remittitur ad eccleſiaſticum, & interim ſuperſedetur in principali, vt in dictis iuribus. Sed quomodo quotidie in aditione hæreditatum coram Iudice ſæculari in-

tentata deducitur de matrimonio, & legitimatis, & in accuſatione Adulterij ſimili modo deducitur de matrimonio, & dicti Iudices ſæculares incidenter de dicta exceptione cognoſcunt & probationes recipiunt, & pronuntiant non remittendo dictam incidentem quæſtionem ad Iudicem eccleſiaſticum › ex quo quotidie grauant, & eneruãt iurisdictiones epiſcoporum & conſiſtorialium? Neque ſe ſe excuſare poterunt vlla iuris defenſione, aut conſuetudine quæ potius corruptela eſt, & vſurpatio mala, neque quód quæſtio ſit facti & ſic pertineat ad ſæculares, ſi vero iuris ad eccleſiaſticum, quemadmodum Bart. videtur, vt refert Bald. l. quoties. C. de Iudit: hæc enim opinio & vſurpatio de iure communi ſtare nequit, quoniam ſiue de iure, ſiue de facto ſit articulus ex quo cauſa incidens eſt ſpiritualis & canonica, ille articulus eſt neceſſario probandus coram epiſcopo ſecundum regulas Canoniſtarum.

Alia cauſa eſt iurispatronatus, & mere eccleſiaſtica: quia ſpirituali adnexa. c. quanto de Iudit. & ſic de illa ſolus Iudex eccleſiaſticus cognoſcit, ſicut etiam de cauſa adulterij cum agitur ad ſeparationẽ thori, vel matrimonij, tunc ſolus iudex eccleſiaſticus cognoſcit & ſæcularis nequit ſe de illo intromittere. Similiter de crimine Simoniæ ſolus eccleſiaſticus cognoſcit & de periurio, & alijs de quibus videndę ſunt gloſæ in capitulis cum ſit generale, & ex tenore de for: compet: in quibus olim ſolum Iudices eccleſiaſtici ordinariè iudicabant, nunc tamẽ per conſuetudinem à principibus terræ derogatum eſt & in contrarium deductum, quod Princeps nõ permitteret Eccleſiaſticos, vti tali iuriſdictione, vt in cauſis viduarum, & ſimilium, & quantum ad hoc iudices non grauant, ex quo ſecundum forum illorum

rum

rum habent poteſtatem iudicandi, & hæc de cauſis merè ad Iudicem eccleſiaſticum ſpectantibus.

CAPVT XXII.

Quid iuris veniat Eccleſiæ cum Laico in Sacilegio, iuramento, & vſura?

SOlent quædam dici à Doctoribus cauſæ mixti fori vt quod vtrinque de eiſdem diuerſa tamen qualitate ſibi forum vendicent, quarum prima dicitur ſacrilegium commiſſum in perſonam, vel res Eccleſiæ vel alicuius venerabilis loci, vt ſunt ſpiritualia, vel etiam vt contingit in inuadente bona Clericorum qui gaudent eodem priuilegio, vt ſupra. Quemadmodum de conſuetudine obſeruatum dicit Io: Andr: & tenet Ant. de Butrio in c. cum ſit generale. de foro. compet. Quomodo autem committatur ſacrilegium dicitur in 17. q. 4. c. ſacrilegium. Sacrilegium & contra legem eſt ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur prauę voluntatis ſtudijs tentauerit ſuis compendijs retinere & qui Eccleſię facultates alienant c. omnes, & qui confinia Eccleſia frangere tentant. c. ſicut. qui Eccleſiam ſeu eius Sacerdotem inſequitur. c. ſicut, & ſecundo, & multis alijs modis, vt ibidem eadem q. & cauſa, & in hoc vterque Iudex poteſt cognoſcere quamuis ſit Eccleſiaſticum crimen, & hoc in fauorem Eccleſiæ introductum eſt, vt tales ſacrilegi poſſint conueniri ſub quocunque maluerint iudice. Hoc vero ad Eccleſiaſticum tribunal ſic pertinere dignoſcitur c. nulli liceat 12. q. 2. Nulli liceat ignorare, omne

quod

quod Domino conſecratur ſiue fuerit homo, ſiue aĩal, ſiue ager, vel quidquid ſemel fuerit conſecratũ Sanctum Sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet Sacerdotum propter quod in excuſabilis erit omnis homo qui quę à Domino & Eccleſia cui cõpetunt, aufert, vaſtat, & inuadit, vel eripit & vſque ad emendationem Eccleſiæque ſatisfactionem vt ſacrilegus iudicatur, & ſi emendare noluerit excommunicetur, ſic conſtituitur in c. de rebus eadem cauſa & quæſt. & c. de Laicis ibidem, quæſtio facta eſt quæ morientibus Epiſcopis ſiue alijs Clericis res defunctorum inuaſas Eccleſiæ pauperibusq; ſurripiũt cõtra quos commune totius concilij anathema prolatum eſt ipſo Papa huiuſmodi ſententiam promulgante, vbi ſub pœna anathematis prohibetur omnibus & ſingulis, ne inuadant res Epiſcoporum Præſbyterorum, aut aliorum Clericorum decedẽtium, ſed per Archidiaconorum manus, aut ſecundũ mortuorum iuditium pro ipſorum ſalute in eleemoſinas diſpenſentur, aut ſucceſſori, qui futurus eſt reſeruentur.

Magnum in hoc negotio incumbit Principibus, & ſæcularibus Iudicibus iuditium, ne per ſuorum offitialium id temere ſibi vſurpent, cum Ozam Regem illum ex cantactu ſolum aræ in terram proſtratum & deiectum legimus, quid non ſperandum eſt à Deo omnipotenti viuo, & vero ſi res eius & Eccleſiaſticorum per ſordidos ſęcularium præfectorum manus ne dum contractentur, ſed etiam vſurpentur? quales profecto ſe ſe nunquam excuſabunt à ſacrilegij crimine. ob idque merito ad Iudices Eccleſiaſticos remittendi erunt, & niſi ſatisfecerint reijciendi, nec ſolum inaperta, & manifeſta huius perpetratione, ſed etiam vbi dubium fuerit, an rapina,

na, vel ſacrilegium per illos commiſſum ſit Eccle-ſia cognoſcet c. in canonibus 16. quęſt. prima.

Porrò ad ipſos etiam Principes & ſæculares iudices huius criminis vindicationem pertinere reſcripſerunt Archadius & Honorius Imperatores l. ſi quis in hoc. C. de Epiſc. & Cler. ſi quis in hoc genus (inquiunt) Sacrilegij proruperit, vt in Eccleſias Catholicas irruēs Sacerdotibus, & miniſtris vel in ipſo cultu locoque aliquid importet iniuriæ quod geritur à prouinciæ rectoribus animaduertatur atq; ita Prouinciæ moderatôr Sacerdotum & Catholicæ Eccleſiæ miniſtrorum loci quoque ipſius & diuini cnltus iniuriam capitali in conuictos ſeu confeſſos reos ſententia nouerit vindicandum, nec expectet vt Epiſcopus propriæ iniuriæ vltionem depoſcat, cui ſanctitas ignoſcendi gloriam dereliquit, ſitque cunctis laudabile factas atroces Sacerdotibus, aut Miniſtris iniurias, veluti crimē publicum proſequi, ac de talibus regis vltionem merere. Quod ſi multitudo violenta à ciuilis apparitoris executione & adminiculo ordinum, vel ordinatorum poſſeſſorūue non poterit flagitari, quod ſe armis, aut locorum difficultate tueatur, prę ſides prouinciarum etiā militari auxilio per præſentes litteras appetito competentem vindictam tali exceſſui imponere non morentur. Quæ conſtitutio in Eccleſiaſticorum priuilegium cædit omneſque nepharios inſultus contra eoſdem etiam ex præuentione fori compeſcere iubet, non expectato eo quod iniuriarum quærela, ſeu actio ab eiſdem inſtituatur, & in hoc quidē quo ad defenſionem merito competit Principibus & ſęcularibus Iudicibus vt omne nefas longe prohibeatur à nefarijs hominibus quod ex ipſius ſacrilegij criminis conſideratione facile colligi poteſt, ex eo

quod

quod duæ exinde proueniunt pænæ infligendæ, qua rum altera eſt excommunicatio vſq; ad ſatisfactio nem, vt iam ſupra, & c. conqueſtus de for: comp: & ſic ad Iudicem Eccleſiaſticum ſolum refertur. Si autem agimus ad corporalem, & pænam inflictiuã corporis de qua in prędicta conſtitutione l. ſi quis. C. de Epiſc. & Cler. vel ad pænam conſtitutam, in C ſi quis contumax nongentorum ſolidorum, vel triginta librarum argenti. c. quiſquis, vel de illis pę nis quæ habentur in c. quicunq; 17. q. 4. tunc quia in pænis corporalibus, vel pecuniarijs multis, eſt Iudex ſæcularis competens; & non Eccleſiaſticus, pro inde dicitur id crimen ciuile & ſic per Iudicem ſæ-culatem iudicandum. Vnde quo ad huius pænæ executionem notanter dicitur per Baldum in aut. de Clericis, de Epiſc. & Cler. quod ex impoſitione pęnæ dignoſcitur crimen canonicum à Ciuili, vt adulterium quo ad excommunicationem eſt crimẽ Eccleſiaſticum: quia matrimonium eſt res ſpiritua-liter, vt extra de procurator c. Tuæ. quantum vero ad pęnam gladij eſt ciuile. C. de adult. l. Quamuis. Idem dicitur de periurio quod quantum ad pænam eſt ciuile. ff. de crim. ſtellio. C. de periurio.

In genere vero loquendo varijs modis dici pote rit crimen canonicum quod principaliter & ſpecia-liter ſpectat ad iuditium & determinationem Eccle ſiæ, quod eſt vbicumque committitur principaliter in ſacris vel ſacerdotibus, vel in priuilegijs eorum, vt in aut: item nulla communitas C. de Epiſc. & Cler. vbi Fridericus Imperator ſic ſtatuit: item nul la communitas vel perſona publica vel priuata col-lectas, vel exactiones, angarias, vel per angarias Ec cleſiis, vel alijs pijs locis aut Eccleſiaſticis perſonis imponant, aut inuadere Eccleſiaſtica bona preſu-

mant,

mant, quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia vel imperio emendare contempſerint triplum refundant, & nihilominus bando imperiali ſubiaceāt, Quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur. Finaliter ſic concludendum, quod crimen canonicum interdum eſt ratione perſonæ in quam committitur, interdum ratione rei in qua committitur, vt quia in rem Eccleſiæ cōmittitur, quandoq; ratione loci in quo, vt quia in Eccleſia delinquitur. Quid vero dicendum ſit in dubio quod ſæpe contingit inter territoriorū prefectos & Iudices eccleſiaſticos dum altercātur adinuicem ſi infra immunitatis terminū aliquis deliquerit nec ne, & ſic gaudeat immunitate. Quis tunc Iudex competens dicetur, & videtur quod ſecularis: quia ſi eſt in caſum exceptuatum videlicet vbi immunitas eſt violata, per malefactorem, certe ille erit ſui fori, & eſt licitum illum ſibi extrahere, vt in c. antiquitus 18. q. 4. vbi derogabitur regulæ quia ſpecies excepta de regula non continetur ſub genere l. ſanctio legum. ff. de penis, & ratio ſuadet: quia ſi Iudex Eccleſiaſticus id faceret, etiam ſi demonſtraretur immunitatem per talem malefactorem violatam eſſe, cognoſcet de homine non ſibi ſubdito, & quem prætextu immunitatis defendere non poſſit, ſi monſtraretur immunitatem inuiolatam permanſiſſe, propter commodū quod habet inflexionis immunitatis, & ſic ex eadē iurisdictione haberi videtur, quod non poſſit dicere an ſit ſua iurisdictio. Accedet fortius teſtimonium partis probantis non fuiſſe violatam immunitatem ſicq; Iudex aduerſarius factus cum probe nequit dicere ſuam iurisdictionem, facit pro eo quod habet gloſa in verbo Copia. c. ſtatutum de reſcript. in 6. §. 1. Attamen Innocentius in c. ex parte de

verbo. ſign. pro iu riſdictione Eccleſiæ ſingulariter dicit,& quod Iudex Eccleſiaſticus poſſit, & debeat cognoſcere, ſi enim dubia eſt offenſa,inquit ibidem Innocentius,ſufficere credimus ad relaxandam eandem ſi parendi mandato Eccleſię competens ſatiſ-factio præbeatur videtur ad hoc etiam quod delinquentes infra Eccleſiam vel Cemiterium, vel infra ſpatium triginta paſſuum quo Eccleſia gaudet immunitate,& Iuriſdictione Eccleſiæ, delinquent vt in c.definiuit 17.q.4.vbi datur forma ſuper ijs & Laicis & Clericis,igitur eſt Eccleſiæ cognoſcere vocato adhoc Iudice ſæculari cuius intereſt.

Huicaccedit Cynus l. pręſenti C. de ijs qui ad Eccleſiam confugiunt, ibi, ſecundo quæro. vbi dicit quod dicto caſu Iudex Eccleſiaſticus puniet delinquentem,quamuis aliter in autentica ſi quis. C.ad l. Iulian. de adult. & aſſignat rationem quia delinquit in territorio Eccleſiæ, & quod ipſa abſtractio de Eccleſia, ſiue delinquat infra Eccleſiam vel eius ſpatium ſiue extra,non pertineat ad Iudicem Laicū, ſed ad Eccleſiaſticū, Clerici autem volentes extrahere, & trudere Curiæ puniuntur pæna appoſita in dicto cap.definiuit, non tamen datur authoritas Iudici ſæculari aliquo caſu abſtrahere, eſt ergo differentia inter committentes extra terminos Eccleſię, vt infra: quia delinquentes extra trahuntur per Sacerdotes Eccleſiæ ſine alia cognitione cum cautione &c. delinquentes infra, primo facta cognitione per Iudicem Eccleſiaſticum,ſecundum Cynum ibi,ita quod puniuntur per Iudicem ſuum ſuo caſu, & per Eccleſiaſticum etiam de Sacrilegio,quod eſt mirabile quod Iudex Eccleſiaſticus tradat aliquem ſine cautione puniendum ſicut in caſu hæreſis. c. communicamus extra dehęret. Quare dico quod

abſtra-

abſtractio habeat quidem fieri per Eccleſiaſticum Iudicem Laico tradētem, ſed cognitio ſi delinquet infra immunitatem vel extra, vterque Iudex de illis qualitatibus poterit ſe informare,& cognoſcere, vnus ad effectum puniendi ſacrilegium, contra immunitatem infligentem, & iſte eſt caſus Eccleſiaſticus, alius ad effectū condemnandi de crimine principaliter commiſſo & ſic quilibet pro ſuo intereſſe poteſt cognoſcere.

Verum durum nimis videtur pro vno eodemq; crimine duplici pæna affici, quippe quod lege cautum eſt, ne quis duabus legibus reus fiat. verum tamen eſt, & lex illa intelligitur quando eſt ſimplex crimen, quando vero ratione qualitatis diuerſę offenſio committitur, vterq; Iudex punire poterit, allegatur ad hoc auth. de ſanct. Epiſc.§. ſi vero crimē proinde notandum ſecundum Bald. in l. 1. C. de ſum.trin.in 10.corolario, quod pæna temporalis nō tollit ſpiritualem nec è contra. Vnde licet quis acceperit pænam ſpiritualem de delicto non minus punietur etiam in palatio, quemadmodum idem Bald. demonſtrat monens vbi ſupra q. de illo, qui commiſit incæſtum, vel adulterium cum conſanguinea & nupta, quod crimen pertinet ad Eccleſiā, ſaltem quo ad Eccleſiaſticam pænam, vt dixit idem Bald. in autent. Clericus, de Epiſc. & Cl. Modo Epiſcopus condemnauit illum ad perpetuum carcerē, poteſtas vult eum decapitare, Quæritur vtrum poſſit, & dicit quod videtur de non: quia condemnatio Epiſcopi eſt terminus pænæ. Incontrarium allegat dicens, quod quamuis ſit terminus pænæ quo ad iurisdictionem Epiſcopalem, tamen temporaliter maior pæna debet imponi & ideo iudex ſęcularis ſuo iure poteſt vti.

Ex his videre potes quid Iudex eccleſiaſticus & ſæcularis facere debeant, ne quotidianæ vt ſit contentiones oriantur, & iurisdictionum adinuicem violationes.

De Iuramento ſequitur, quid ſentiendum, cuius occaſione multi paſſim fuint exceſſus, tam apud Iudices ſæculares, quam eccleſiaſticos, cum ſuper re, quandoque leui aut etiam de iure prohibita, pænis ad hoc reſcindendum aut implendum rei adiguntur, proinde conſulto id declarandum erit.

Notandum ergo primo iuramenti cauſam non eſſe mere fori ſpiritualis, etiam quo ad vinculum iuramenti, quoniam de illo vterque cognoſcit, & diſcernit ſecundum regulas iuris Canonici, & huius poteſt eſſe ratio quia periurium directè reſpicit irreuerentiam Dei quæ propriè eſt religioni contrarium, meritoque per Iudices coercenda, vt c. Rex dicit 24. q. 5. ſi autem de iuramento agatur in foro pœnitentiali, tunc de illo ſolum cognoſcit eccleſia, & eſt crimen eccleſiaſticum: quia ex quo Iudex ſæcularis non habet poteſtatem clauium eccleſiæ, vt poſſit abſoluere in foro pœnitentiali, vel ligare, ſic neq; cognoſcere de hoc. ſi vero agatur de iuramento ad pęnam periurij pro vt lex Ciuilis, vel lex patrię illum puniret, tunc ad illam pœnam conuenietur iudex ſæcularis.

Quia vero vt ſupra poſui multi hodie abuſus cōmittuntur in hoc iuramento, ponendam eſt illud, quod communiter accidit, dum ſub grauiſſimis pænis aliquando multa prohibentur à ſæcularibus Iudicibus, ſi quis iuramēto interpoſito contraueniat, an tunc per eoſdem Laicos iudices puniri poſſit ratione iuramenti, & abſolui, aut quid tandem in tali caſu faciendam foret? vt v. g. prohibet Senatus

res minorum non poſſe alienari niſi ex decreto iudicis, aut mulierem nubere non poſſe ſine ſcitu ſuorum amicorum, & conſanguineorũ, ponamus quod contraueniat mulier iuramento præſtito, Quid iuris, an coram Iudice ſęculari, vel Eccleſiaſtico agendum erit ex iuramento & ad illius obſeruationem, vel reſciſſionem?

Multorum ſunt hac de re inter ſe variantes ſententiæ vt eſt Barth. in l. ſi quis pro eo. ff. de fide iuſſor: dicens quod aut lex dirigit prohibitionem in perſonam, vt puta prohibendo ne mulier, vel minor alienet quod ſtatuit, & prohibet iuramentum non obligare, quia ex quo dirigit prohibitionem ad perſonam agit prohibere perſonam, ideo in quantum vertitur in uetitum à lege incurrit peccatum inobedientiæ, & ex conſequenti ſe inuinculat, & iuramẽtum vt nutriens peccatum non eſt obſeruabile abſque præiuditio ſalutis æternæ, & ſic non obligat ſecundum eum, ſi vero lex loquitur in rem, vt res dotalis vel res minoris non alienetur & ſimilia: quia intentio non fuit ligare perſonam, ſed ſolum in quantum agit, intentio fuit annullare actum, vnde contractus inualidatur à lege, nihilominus iuramentum obligat quia poteſt ſeruari ſine interitu ſalutis æternæ, & dicit quod hoc caſu validabitur contractus, vt in auth. Sacramenta pub. C. ſi aduerſus venditionem, & quod teneret tunc contractus, probat, quia alias ſi ex contractu ſolueret, cum ille non haberet ius retinendi, poſſent repeti, iuxta caput debitores, de iureiurando, quod eſſet contra auth. Sacramenta puberum. Item quia rem teneret ſine cauſa: quia iuramentum ordinatur ad obligandum Deo tantum, & non parti. Anthonius de Butrio in c. cum contingat, de iur. dicit quod ſi ſtatutum Ci-

uita-

uitatis haberet fundamentum ſolius fori ipſius qui iurauit, quod iuramentum ſemper obligat, etiam ſi in conſequentias remotas adſit in prohibitione fauor publicus. ſ. quod liberi procreentur, vel ciues diuites maneant, & non de pauperentur: quia in quantum quod præceptum dirigitur ad perſonam, putat facere perſonæ præceptum, quod ſapit naturam conſilij. ff. mandati. l. 1. quia pręcepta intelligũtur ſecundum naturam materiæ, & dicit non obſtare, quod contrahens cum iſto ſic iurante ligetur ad peccatum quia talia iuramenta ſunt ſeruanda, niſi lex ſtatuens, in prohibendo, habeat reſpectum ad aliud quam ad forum, & fragilitatem iurantis, dũ tamen doli ſit capax iurans, de tutorib. puer. c. 1. quam multis proſequitur rationibus & iuribus. Ioãnes de Imola, dum facit repetitionem dictæ. l. ſi quis pro eo. ff. de fideiuſſor. dicit quod lex ciuilis in dubio non videtur velle obligare ad peccatum; quia non conſiderat, neque animam, neque bonũ, vel malum animæ, ſed potius bonum ciuile, tendẽs ad conſeruationem ſocietatis humanæ, cuius è contrario finis eſt iuris Canonici, & ideo dicit quod licet lex ciuilis dirigat prohibitionẽ ad perſonam, nõ videtur velle illaqueare perſonam ad peccatum, ſed potius inducere nullitatem actus, & hoc ſatis videtur probari in l. non dubium C. de legibus, imo vbi etiam conſtaret expreſſe de intentione ſtatuti quod intenderet peccatum, non poteſt, & eſſet nulla, quia poteſtas ligandi animam tanquam rem ſpiritualem non poteſt eſſe penes Laicum. Nam illa ſola data eſt Diuo Petro & ſucceſſoribus eius. Vnde licet Imperator habeat vel Iudex ſæcularis poteſtatem imponendi pęnam carceris non tamen habet pęnam gehennæ c. qui reſiſtit 11. q. 3.

Ea vero quæ in contrariū adducta ſunt per alios facile ſolui videntur, vt quod obediendum ſit ſuperiori, ſub interminatione mortis, ſi intelligatur de morte æterna, & ſic de illa quæ oritur ex peccato mortali, debet intelligi Principi.i. prælato, vbi voluit ſic gloſa in c.2.de maior. & obed. vel ſi intelligatur de morte temporali, tunc non obſtat quia tanta poteſt eſſe in obedientia & in tāto negotio quod poterit damnari ad mortem non obediens Principi ſæculari. fatetur etiā Io.de Imola, quod ſi præceptum Iudicis ſæcularis eſſet iuſtum & ſubditus eſſet inobediens, poſſet tunc implorare auxilium Iudicis Eccleſiaſtici per ea quæ habentur.c.1.de off.ord. & ſi talis ſubditus tunc monitus per Eccleſiaſticū perſeueraret in contumacia poſſet excommunicari: quia tunc peccaret non obediendo Iudici Eccleſiaſtico, & ſic poteſt intelligi illud in c.2. de maior. qui non obedierit Principi morte moriatur. Similiter, & illud quod aliqui citant pro confirmatione in contrarium ad Roman.13.qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, & qui hoc faciunt damnationem ſibi acquirunt, poteſtati.i.ſuperiori habenti poteſtatem ex ordinatione diuina: quia omnis poteſtas à Deo eſt, vt alias diximus, & quod comminatur non obedienti damnationem, poteſt exponi .i.propter in obedientiam, poteſt damnari, intellige ad pænam temporalem, quæ congruit iudici ſæculari, non autem ad pænam ſpiritualem. Quare ex ſic dictis putat dicendum quod licet ſtatutū, vel lex dirigat prohibitionem ad perſonam, nō per hoc ſequitur quod iuramētum non habeat ligare, quod vt dixi in dubio eſſe de mente legis, vel ſtatuti illaqueare aliquem ad peccatum, ſed ad pœnam nullitatis actus. Fatetur inſuper quod ſi ſtatutum emanaue-

nauerit in materia in qua ſecundum ius diuinum, vel canonicum tranſgreſſio obligaret ad peccatum, tunc etiam incurrit peccatum contrafaciens, ſed nō vi ſtatuti, ſed legis diuinæ, vel Canonis, & dicit no tandam prædictam conſiderationem: quia dicit illam nouam, & non per alios tactam, & addit quod licet ſecundum legem diuinam & canonicam obediendum ſit iuſto præcepto ſuperioris illud eſt verum quo ad hoc ſ. vt ſuperior iuſte poſſit punire ſub ditum inobedientem per ſuas pænas temporales, non autem quod peccet exinde contraueniens, illudque, vel maxime procedere quando præceptum erraret in materia de cuius natura eſſet quod tranſgreſſio induceret peccatum, facit ſecundum eum quod notat Bald. lege non dubium C. de legib. in 17. opin. vel poteſt intelligi, quando ex contemptu quis faceret contra legem, quando ſcilicet propter elationem & ſuperbiam non vult obedire legi, vel diſpoſitioni legis tunc quia ipſe contemptus per ſe eſt peccatum mortale, ſequitur etiam ipſum peccare non vi ſtatuti, ſed ratione contumaciæ & contem ptus. Pæna vero huius erit ſecundum eandem præ ter nullitatem actus ſi.ſ. pęna ſit ſpetialiter impoſita, ſi vero non ſit ſpetialiter impoſita erit arbitraria, & ex hoc videtur tranſire, & concludere quod licet quis non obediat iuſto præcepto legis poſitiuæ, nō incurrat peccatum niſi contrafaciat ex contemptu, vel niſi emanaret in materia cuius tranſgreſſio ſui natura induceret peccatum.

Quibus ſic ſtantibus dictis in contrarium à Bart. & alijs per reſponſiones ponit, nā & ſi poſito quod prohibitio dirigatur ad perſonam, peccaret contrafaciens, tamen vt ſupra tetigiſſe dicit, non videtur quod peccet ſeruans contractum quem prohibitus

eſt facere: quia ſtatutum vel lex hoc non prohibet, etiam quod ille ſe obliget ad obſeruantiam, ſed ſolum prohibet, ne aliquis contrahat, & ideo videtur quod ſi iurat ſeruare contractum, vel non contrauenire non peccet, ſic iurando, licet peccauerit contraueniendo, facit ſecundum eum quod habetur in c. debitores de Iur. & hæc ſunt vera, quia leges ſæculares, etiam actus, vel perſonarum prohibitiua ex ſola non obſeruantia, non obligant ad peccatum; & in hoc differunt à canonibus: quia canonis trāſgreſſor prohibitionem continens punitur depoſitione c. vlt. 4. diſt. & ſic incurrit mortale, ſed legis Ciuilis tranſgreſſor non ex non parendo, ſed ex contemnendo.

Ex quo vero primum Bart. diſtinctionis membrum, ſic vt patet infirmatum eſt. ſ. quoad perſonā idem dicendum erit de eo quod ſi ſtatutum fieret prohibitiuum quantum ad rem ſecundum Saliceтum in dicta auth. Sacramenta puberum, iccirco dicendum, ſiue fiat prohibitio in rem ſiue in perſonā ceſſantibus alijs qualitatibus ſemper iuramentum erit ſeruandum ex quo poteſt ſeruari ſine diſpendio ſalutis æternæ & Iudex Eccleſiaſticus aditus in viā denuntiationis Euangelicæ, vel alias debitæ coget ad obſeruantiam iuramenti & mandabit obſeruandum.

Nunquid vero talis ita ſoluens poterit repetere iterum, vt voluit Fridericus de Senis in Con. 272. iuxta caput debitores de Iur. vel quod petatur relaxatio iuramenti, ex quo lege prohibente contrahi, eſt præſtitum, dico quod in caſu vbi lex expreſſe non reprobat iuramentum ſed annullat contractū minorum, vel mulierum, vt ſupra poſuimus, ſine certa ſolemnitate factum, vel indiſtincte. Diſtin-

guendum eſſe, aut iurans talem contractum petit re laxationem iuramenti, vel poſt ſolutionem, vel repetere, eo pretextu: quia contra formam legis prohibentis contractum, aut eo quod contra formam legis, & quia in ipſo contractu, ſeu diſtractu interuenit iniquitas, vel dolus re ipſa quę ex perſpicuis coniecturis vult probare per legem, l. Dolum C. de dolo, vel deceptionem, vel quia contractus ſit factus, cum veriſimiliter conſumpturo, & euidenter conſtaret vt dicitur: primo caſu dicas quod non poteſt petere relaxationem, neq; repetere tanquam ſine cauſa exiſtentem pecuniam pænes illum, cui iuratum eſt ſolutum legis vigore: quia recipiens iuramentum, & pecuniam non turpiter recipit: quia ſuum, vel ſibi debitum recipit: Nec obſtat quod contra legem, & ſic cum peccato, vt voluit Barth. quia in hoc non eſt verum peccatum, ſed prout ſupra diximus non ratione ſtatuti, ſed ratione alterius ſubſiſtentis qualitatis, & ſic non poteſt argui turpitudo in recipiente pecuniam, vel iuramentum, & ideo non impletur obligatio iuramenti ad cuius obſeruantiam tenetur ceſſante dolo, & metu, cum ibi arguatur iuris diuini. vt in c. debitores de Iur., & humani iuris turpitudo in recipiente: quia ſuper præſtandis vſuris, ſic ibi ſufficit momentaneum implementum & quia ſine cauſa eſt penes illum datur repetitio & ſic duobus concurrentibus datur repetitio turpitudinis in recipiente, & non præexiſtentia cauſæ: at in noſtro caſu non eſt turpitudo: quia licite recipit ſuum recipiens, vt in cauſa: quia mutui vel contractus, quamuis à lege reprobati, & ideo illius virtute non agit ſed ex obligatione, quia in Deum dirigitur, ex qua ſolutus, eſt aſtrictus ad dandum, & recipiens iuſte recipit, & hæc ſunt maxime

iuri

iuri canonico conſona: quia ex quo poteſt ſeruari iuramentum ſine interitu ſalutis æternæ, & quia niſi maius bonum impediat, vinculum iuramenti nõ diſſoluitur, iuxta caput commiſſum de ſponſ. & in dubio fauendum eſt opinioni quæ fauet iuramento & ſic tenenda opinio quæ vult donationem factã per Patrem Filio in poteſtate conſtituto valere, Bald. in l. fin. C. pro Donato. Si autem iurans vult repetere eò, quia contra formam legis iurauit, & in ipſo contractu vel diſtractu interuenit iniquitas, vel dolus re ipſa, vel deceptio, vel quia eſt factus cum veriſimiliter conſumpturo, & de hoc conſtaret euidenter: quia mutuauit ad ludum, vel illi qui in amore mulierum volebat conſumere, quibus & ſimilibus caſibus intrinſecus accidentibus ex quo datur turpitudo in recipiente habent locũ remedia, quæ voluit Fredericus de Senis, & multis probari poteſt quia caput cum cõtingat de Iur. quod fauet iuramento excludit dolum; qui hic ſtat, ſi ergo eſt dolus dans cauſam contractui, qui iam de per ſe ſecundum legem Regni eſt nullus, merito ſolo implemento ſatisfactum eſt iuramentum, & datur repetitio vt in c. debitores & tali caſu iuramentum, vel nõ eſt ſeruandum vel ſaltem eſt petenda relaxatio eiuſdem, & concedenda, ſicut etiam quando in iuramẽto interuenit metus c. ſi vero de Iur. & ſic concludunt Doctores; quod authentica Sacramenta puberum & c. cum contingat non habent locum, quando apparet de enormi læſione, & tali caſu agere volenti ex iuramento replicabitur de dolo, & quod relaxare habet iuramentum & admittetur exceptio, facit quod habetur in l. Papinianus. §. ſi filium. ff. de in off. teſtam. & c. Paſtoralis in fine de cauſ. & propriet.

Pro concluſione quæritur an ſtatutum ciuile, vel lex poſſit tollere iuramentum, vel diſponere annullando contractum & iuramentum, & an valeat ſuper hoc lex Laicorum, & quia hoc eſt quotidianũ in foro ideo videtur quod non poſſit ſe ſe intromittere, quia iuramentum eſt res ſpiritualis, & de eo non poteſt ſe intromittere Iudex ſæcularis & quia ſcriptũ eſt iurate, & reddite vota veſtra Deo, ideo contra ius diuinum videtur ſi fiat tale ſtatutum per ſæculares, quia obligatio iuramenti dirigitur in Deũ ergo non poterit impediri hæc obligatio per ſæcularem, ſicut neque naturalis obligatio inſtit. de Iur. nat. ciu. & gent. §. Naturali. Nec impedit quod lex ciuilis annullat votum in filio familias ſine patris conſenſu factum, l. 2. §. voto. ff. de pollicit. quia illi legi per ius Canonicum derogatum eſt, in c. ſimiliter 32. q. 2. in gloſ. quia eſt ſuper res ſpiritualium. In contrarium tamen eſt, quia cauſa iuramenti vt initio huius dubij diximus, non eſt merè ſpiritualis ſeu eccleſiaſtica, & ob id ſe merito poterit cauſa ſtante intromittere Iudex ſæcularis, maxime legem condendo: quia leges condere regulatur ad metas iuriſdictionis Iudicis ſtatuentis ſecundum Bald. in repet. c. 1. de reſcript. Nec ideo inferior habet imperium in legem ſuperioris, quia dum ſtatutum fit, fit ſecundum fororum diſpoſitiones, & conſuetudines, quæ quandoq; legi derogant. Item pars ex pacto poteſt parti dimittere iuramentum quando concernit partis intereſſe l. ſi libertus non aluerit ff. de bon. liber. ſi ergo hoc poteſt pactum, ergo à fortiori poteſt ſtatutum. Præterea Baldus hoc dubium ponit in ſpecie l. pactum. C. de collat. & alijs multis in locis, vbi dicit quod ſtatutum poſſit prohibere ne valeat iuramentum vt ne mulier contrahat

ſine

ſine conſenſu ſuorum conſanguineorum, ſi contraxerit non obligabitur etiam iuramento interueniente.

Quamobrem dico quod reprobare iuramenta indiſtinctè non eſt Iudicis Laici, ob iura, & rationes ſupra allegatas, quia eſt contra leges iuris diuini, & canonici & quia iuramenta quæ poſſunt ſeruari ſine interitu ſalutis ſunt ſeruanda, & ſic ſi eſſet, via multis aperiretur fraudibus, & deceptionibus, quæ fierent ſi Laici liberarent à iuramento, ſine cauſa, quia non liberarent ab obligatione, quæ in Deum dirigitur, ſi vero reprobant iuramenta ex iuſta cauſa ſuper aliquo contractu puta quia multitudo contractuum frequentatur in patria per quos mulieres, & minores ſemper lęduntur, quæ perſonæ facillimè ſeducuntur, quandoque minis quandoque blãditijs, ſeu adulationibus, & pollicitationibus, & talibus caſibus, ſtatuta, vel leges cauſam annexam habentes in ipſa prohibitione valent, & non poteſt agi virtute iuramenti, tum quia ſtatutum eſt factũ per ſuperiorem, & ex iuſta cauſa, vt eſt parentum, tum quia tali caſu Iudex ſęcularis habet poteſtatem Apoſtolicam vel Papæ ſuper remiſſione iuramenti, & ita intellige gloſam l. adigere. ff. de iurepatro. neque refert quod leges diſponẽtes ſuper vota ſint reprobatæ per ius Eccleſiaſticum per gloſ. in c. ſi mulier 32. q. 2. in gloſ. pen. & vlt. quia illa gloſa nõ tenetur imo Innoc. & Hoſt. & Io: And. in c. ſcriptura de voto, tenent quod dicta lex ſecunda §. de voto. ff. de pollicit. habeat locum de iure Canonico, & quod obſtante patriæ poteſtate etiam pubes patre nolente & prohibente non obligatur voto, & ſic videtur, quod poſſit lex de voto & iuramento diſponere. Nec mirum quod legis reſiſtentia impe-

diat naturalem obligationem, & ſic iuramentalem quia inter ſimplicem loquelam, & iuramentũ Deus nullam facit differentiam. Nam licet diſpoſitio voti, vel eius commutatio ſtet in arbitrio ſuperioris, tamen ad tollendam obligationem quæ in Deum dirigitur neceſſario habet ſubijci cauſæ, & ſic quamuis Iudex ſæcularis poſſit uice Apoſtolici reprobare iuramentum hoc tamen limitandum eſt cauſa ſuadente, & nota hoc, quod tali caſu cum ſtatutũ, vel lex ex cauſa reprobat iuramentum, ſi ex tali iuramẽto agatur coram eccleſiaſtico poterit peti relaxatio, & de illa obijci vt voluit Fridericus in Conſilio 272. & hæc de hoc dubio. Sequitur de vſura.

Vſuras prohibitas nemo dubitat tam in veteri, quam in noua lege. ſolum ergo hoc loco dicendũ eſt, quid ſit eius Iudex dum exigitur vſura, vel dum diſputatur an contractus ſit vſurarius, quæ quia quotidiana ſunt & facile à ſæcularibus abripiuntur quia amicabile crimen eſt, & libenter quisq; ſtudet pecunijs colligendis, ideo etiam ſæpe ſæpius Iuditium Eccleſiaſticum intercipitur, ne dicatur vſurarius, & inualidus contractus; ne ve ad reſtitutionem cogantur per leges & Principes, itaque varijs modis quæri poteſt iuditium in vſuris, primo ſi ex ſtatuto, vel l. Iudicis ſęcularis eſſet vſura reprobata, vel pæna impoſita pro vſurarijs, vt in quibuſdam bene cõſtitutis regnis fieri ſolet, eo caſu quo pæna adiecta eſt vt in milite fęnerante, & etiam tota iurisdictio iudici ſæculari, tunc non eſt dubium quod ſęcularis ſuum Laicum diſtringere, & pæna fori poteſt caſtigare: quia eius intereſt ſuos ſubditos habere bonos. l. congruit de off. præſid.

Eccleſia vero vel Iudex eccleſiaſticus ad pænam canonicam de qua in c. quia in omnibus extra de

vſur.

vſur. & c. quanquam lib. 6. de vſur. Non eſt dubium illum poſſe punire & hac ratione dicit Anthonius Butrio c. cum ſit generali. de for. comp. quod ideo vſura poteſt dici mixti fori quod quandocunq; dubitatur ad ſubſtantiam vſurarum, an ſit crimen vſurarium, vel non, & tunc ſuper hoc non cognoſcit ſæcularis: quia hæc eſt determinatio pro cauſa, & ideo non determinat Iudex ſæcularis, & hoc dicit ſe putare niſi notorie conſtaret ſententia, eſſe vel non eſſe, quia licet non conditionaliter, poſſet tamen exceptionem appoſitam admittere, vel repellere.

Maius vero dubium eſt quando quæritur de ſoluto, vel de ſola ſubſtantia contractus, an ſit contractus ſimulatus vel non, & ſic non negatur vſura, nec de illa dubitatur, & tunc cognoſcere poteſt Laicus. Item ſi petitur reſtitutio vſurę poterit de hoc pari modo corā iudice ſæculari, & ad hoc excipi ex quo non negatur vſura, vel ſolummodo ſolutum eſſe, vel non eſſe, Notat Archid. 14. q. 4. c. quid dicam, & putat coguoſcere poſſe Iudicem ſęcularem ſi quæſtio coram eo verteretur, vt rationem agendo, vel excipiendo habeat de vſura, & hoc ea rarione: quia in tali caſu forus ciuilis cedit canonico, vt notatur in regula poſſeſſor. de reg. iur. in 6. & lite non cæpta erit electio actoris, alias lite cepta Iudex cognoſcet coram quo incidit, nec fit remiſſio. per quæ putat quod ſi petatur pignus, quaſi fructus debeant in ſortem compenſari, quod ſi eſt tantum quæſtio de quantitate fructuum, nec negatur vſura, poterit hoc ſæcularis expedire. Item ſi petatur pignus, & creditor dicat quod fructus habet extantes & reſtituere intendit, ſed vult quod debitū ſibi reſtituatur ante, vel quia pactum eſt factum de fructibus non repetēdis, antequam ſoluatur debitum, vt in c. ad noſtram

de Iur. ſed ſi dicatur licitum ex pacto fructus lucrari, hoc cognoſcet Eccleſia, ſatis tamen poſſet Iudex ſæcularis hanc exceptionem, vt notorie falſam reijcere, non adhibita cognitione ſuper ea; item ſi vellet fructus in alio intereſſe, debere in ſortem computari, non negando ipſos ceſſante intereſſe debere in ſortem compenſari, ſatis putat, per hanc doctrinam poſſe ſæcularem contra laicum de hoc cognoſcere, & idem ſi velit petere vſuram, vt intereſſe, nō vt vſuram, vel quia petit vſuras pretij, non ſoluti, ex quo oportuit eum vſuras recipere; & tantum ſoluit, quia tunc non petit ratione vſuræ, quod intelligo niſi per partem reuocetur in dubium an hęc petitio nutriat peccatum, & ſic intelligit Lapus alleg. 62. & 63. Quandocunq; ergo diſputatur de vſura, vel quia repetitur, ſi tamen quæſtio ſit vſurarum, vt vſuræ, hæc quæſtio non poterit tractari coram Laico, ad hoc eſt gloſa ſingularis in Clem. diſpendioſam de iur. & c. ex literis, quæ dicit quod cauſa vſuræ eſt ſpiritualis, & gloſa in c. Cum ſit generale de for. compet. quod crimen eſt Eccleſiaſticum vſura, & Lapus allegat 75. dicit, quod vbicunq; petuntur vſuræ vel quoquo modo tanguntur, cognoſcit Eccleſiaſticus ſolus hoc ideo quia negari non poteſt, quin dicta cauſa ſit ſpiritualis vel ſaltem quaſi ſpiritualis & ſic annexa, igitur ſolus cognoſcet, neq; alio reſpectu (dicit) poteſt dici hæc cauſa ſpiritualis niſi quia nutrit peccatum, res enim ipſa ſubiecta. ſ. vſura ſoluta temporalis eſt & in quantum curia ſęcularis adiretur pro turpiter quęſito, etiam in quo nutriretur peccatum, vel daretur conſenſus peccati, dummodo non diſputaretur de peccato, per hoc nō tolleretur forus ſæcularis vt patet de condit. in rebus. ff. per totum, de furt, & vi bonorum raptorum.

tum. de dolo metus cauſa per totum.

Si vero quæſtio incidenter fiat de vſura æque ad Iudicem Eccleſiaſticum ſecundum Bald. in l. quoties. C. de Iud. pertinebit, & gloſa tenet in c. cum ſit generale de for. comp. & hoc teneas, & ſic ſolus Iudex principaliter & incidenter cognoſcet, quæ omnia cum temperamento ſunt accipienda, quod ſi Iudex ſæcularis aditus contra Laicum, vt vſuram reſtituat, vel pignoris computet fructus in ſortem iunctis regulis iuris communis in foro alicuius Prouinciæ. ſ. vbi crimen eſt mixtum, & vterq; Iudex expedire poteſt pro ſua pœna, & ſi de facto negetur vſura, & ſic reſultet iuris altercatio nihilominus Iudex ſecularis ſeruatis regulis, ſi velit poteſt declarare vſuram, & ſic reſtituendam, etiam de exceptione ad Eccleſiam pertinente, quo ad cognitionem, ſi de illa notorie conſtet, poteſt, & debet habere rationem, facit pro hoc gloſa. c. cum veniſſent de iud. nec poteſt dici quod hæc cauſa ſit mera Eccleſiaſtica, nec quod ſæcularis ſit prohibitus iudicare, niſi vbi de contrario pronuntiaret, nutriretque peccatum propter vſurarum prohibitionem, ergo videtur quod Laicus Iudex tam ſuper facto, quam ſuper iure, vſura data lege Regni cognoſcere, & pronuntiare poſſet. Verum vbi eſſet caſus dubius, nondū deciſus per regulas iuris Canonici, & ventilaretur de eo quæſtio, tunc ſi Iudex ſæcularis vellet dicere non eſſe vſuram, vel nollet ex ſuo ſenſu id declarare, maleſaceret, quia ratione peccati hoc pertinet ad Eccleſiaſticum Iudicem proinde merito veniret decidendum hoc dubium per Eccleſiam, & hæc de illis iuriſdictionibus & priuilegijs Eccleſiæ & Clericorum. Reſtant duo adhuc examinanda de decimis & iure patronatus, in quibus maiorem for

te Princeps habet facultatem & occaſionem Eccleſiæ iuſtitiam adminiſtrandi, proinde iſtis deciſis veniemus ad ea pro quibus Princeps & Iudices iuſtitiam ſecularibus habent adminiſtrare.

CAPVT XXIII.

Quid iuris Eccleſiæ veniat in Decimis.

PRO decimarum exſolutione plures extant in iuditijs intra Eccleſiaſticos cum Laicis contentiones, eoque frequentiores quo facilius in illis labi homines contingit, dum Eccleſiis eas, vel non deberi, vel ob ſacerdotum ignauiã, quandoque non perſolui aſſerunt; totq; fraudes in illis perſoluendis accidunt, quod plurima pars decimarum ab ipſis Laicis occupata planeq; præſcripta poſſideatur, qui omnes ſi nouiſſent eius originem & fundationis authorem proculdubio ſibi ab iſtis præcauerent atque comminationes horrendas in Eccleſiam Dei effugerent, eſt enim hæc materia non ſolum tractatu difficillima; ſed obtinentibus periculoſiſſima propter conſtitutionem in Clem. cupientes de pœnis & c. 1. de decim. lib. 6. vbi non licet quippiam dogmatizare per quæ quis abſtrahatur à decimarum ſolutione, pęna excõmunicationis prædicatoribus imminente, authorem vero agnouerint ipſum Deum omnipotentem, cuius in honorem Abrahamum decimas obtuliſſe legimus Melchiſedech Sacerdoti. Gen. 14. Item Iacob promiſit Deo quod cunctarũ, quæ ſibi daturus erat Deus ſolueret decimam. Gen. 28. & Exodi legitur 22. Decimus & primitias non

,, tardabis inferre. Leuit. 27. Omnes decimę terræ
,, ſiue de fructibus, ſiue de pomis arborum Domini
,, ſunt oues boues, & capræ, quæ ſub virga paſtoris
,, ſunt tranſeunt. quid quid in decimam venitſan-
,, ctificabitur Domino & non eligetur, neque bonũ,
,, neque malum, neque altero commutabitur.

Sic Ieſus Chriſtus filius illius Dei viui vnigenitus & naturalis comminatus eſt illis qui inique & fraudulenter decimati fuerint Matth. 22. Vę vo-
,, bis qui decimatis mentam, & anetum, &c. & relin-
,, quitis quę grauiora ſunt, legem miſericordiam Iu-
,, ditium & fidem hęc oportuit facere, & illa non o-
mittere. Sic Innocentius in rub. de decim: reprę-hendẽs theologos quod minus dixerint decimas de iure diuino inſtitutas, de quo infra, ad hoc Sanctus Hieronymus elegantiſſimè & doctiſſimè probat, ſu
,, per Malachiæ 3. c. Reuertimini inquit ad me, &
,, ego reuertar ad vos dicit Dominus exercituum, &
,, dixiſtis in quo reuertemur ſi affligit homo Deum,
,, vos confligiſtis me, & dixiſtis in quo affligimus te?
,, In decimis & primitijs, & ideo in penuria vos ma-
,, ledicti eſtis, & me confligitis tota gens, & ibidem
poſt pauca proſequens Prophetam: Quia mihi
,, non reddidiſtis decimas & primitias, idcirco in
,, penuria, & fame maledicti eſtis, & me vos ſupplan-
,, taſtis ſiue defraudaſtis, ecce annus repletus eſt; &
,, nihil in meos theſauros, ſed in veſtra horrea com-
,, portaſtis & pro decimis & primitijs, quæ parua e-
,, rant vt à vobis darentur vbertatem poſſeſſionum ve
,, ſtarum, & omnem frugum abundantiam perdi-
,, diſtis.

Sanctus Auguſt. in ſerm. de vita Clericorum; & refertur à Graciano 17. q. 4. c. Quicunque. Quicunque vult inquit exhęredato filio hæredem facere Ec

cleſias, alterum quærat qui ſuſcipiat non Auguſtimo Deo propitio neminem inueniet qui laudabit factum ſancti Aurelij Chartag. Epiſc. & poſt pauca, ecce quod aliquando oblata iure & laudabiliter redduntur, verum tamen no hoc exemplo recedenti, ſua reddenda monſtrantur aliud eſt enim in profeſſione ſuæ vitæ perſiſtere, aliud à propoſito ſui ordinis diſcedere, ſi ſanctus Aurelius degenti in laica habitu oblata reddidit, quia poſt oblationem filios accepit, non ideo in apoſtaſiam euntibus ſua reddenda ſunt, quibus vtilius neceſſaria ſubtraherẽtur, vt coacti redirent ad ordinẽ à quo receſſerant, ſed ſicvt inimicis, & ſecularibus iubemut neceſſaria ſubminiſtrare ſicut ab Apoſtolo monemur, tempus redimere, vt expeditius orationi vacemus, ſic ne eccleſia ſcandalum patiatur, ne diſcedens in deteriora præcipitetur, ne in pernitiem monachorum, aut incẽdium monaſterij occaſione ſuorum exardeſcat laudabilius ſibi ſua non redduntur, ſed auferri ſinũtur, quam ab illo iſta inferantur.

Manifeſtum eſt quantum miſelli Parochi, quandoque patiantur inediarum, & difficultatis, dum ipſis ea negantur, quæ ſibi iure diuino competunt, atque ideo, quia ſibi, quæ à Deo pro eorum ſuſtentatione Eccleſijs & laicis oblata ſunt denegantur, mirum non eſt, ſi multi apoſtatæ fiant, & diſcedant ab eo, quod ſanctè Deo reddere olim conſueuerunt, tunc verificatur prophetia Malachiæ ſupra introducta quod ob diſtractionẽ iſtarum decimarũ Deus vbertatem omnium frugum & bonorum in rapinã permittit, atque quandoque ipſas eccleſias dirui planeque collabi patitur. Hęc enim clericorum, & eccleſiarum miniſtrorum prouiſio quam fuerit neceſſaria, optime patebit per diſcurſum, ęquum enim

eſt

eſt vt quicunque alicui reipub. in re neceſſaria operas ſuas adminiſtrant, & inſeruiũt, ius etiam habeãt, & poteſtatem ab eadem republ. ſtipendium percipiendi, imo & exigendi, adminiſtratio autem diuini cultus reipub. neceſſaria fuit, imo vero plus quã ſecularium magiſtratuum, quoniam diuino iure tẽporalia ſpiritualibus inſeruiunt. Vnde cum Dominus iure optimo Eccleſias & miniſtros inſtituit in quorum ſubſtentatione tanquam rerum Dominus imperare populo potuit, quam ipſe iuſtam cenſeret bonorum ſuorum portionem, & hoc ipſum ius naturale docet, primo corinth. 9. Sacroſanctũ Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 12. adhortatur etiam omnes & ſingulos pro Chriſtiana charitate debitoque erga paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi collatis Epiſcopis & Parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, large ſubuenire, ad Dei laudem, atq; paſtorum ſuorum, qui pro eis vigilant, dignitatem tuendam, non grauentur. Tantum abeſt, quod ex decimis debitis aliquid detrahendum ſit. Neque ſolum ad honeſtam Sacerdotum ſuſtentationem ipſę decimæ à Deo inſtitutæ ſunt, ſed etiam in recognitionem ſupremi illius dominij, & in hoc includit quid morale, quaſi per diſcurſum per rectũ rationis dictamen compoſitum recognoſcere vniuerſalitatem Domini & per diuinam inſpirationem & proprietatem ipſius; hac conſideratione ratio humana dictat quod iſta recognitio conuenientiſſime fiat per decimas, partis ſeparationem, & dationem, ideo ratione huius, tam debiti, & conuenientis ſigni, decimæ manent à Deo inſtitutæ, quod idem Concil. Triden. vt ſupra citatum clarè docet. Vnde colligunt quidam, canonicę monitum non ſoluentem integraliter decimas, peccare mortaliter, quia

transſ-

tranſgreſſor eſt diuinæ & humanæ legis, & Iudici contumax reperitur, vnde excommunicari poteſt c. ex parte de decim. & c. quicunq; 16. q. 7. at ait S. Ambroſius, quicunq; recognouerit in ſe, quod fideliter non dederit decimas ſuas, non emendet, quod minus fecit, quid eſt fideliter dare, niſi vt nec peius nec minus aliquādo offerat de grano, aut de vino, aut de fructibus herbarum, aut de pecoribus, aut de Horto, aut de negotio, aut de ipſa venatione ſua, clarius de hoc conſtitutum eſt in Concil. Trid. vbi ſupra, Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus, cuiuſcunq; gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas ad quas de iure tenentur in poſterum Cathedrali aut quibuſcunque alijs Eccleſiis vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſoluant. Qui verò eas aut ſubtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur. Neq; iuuat illorum ſuperſtitioſum figmentum qui dicunt decimarum ſolutionem quidem à Deo præceptam in veteri lege. Nunc autem aduueniente gratia, & lege gratiæ non obligare. Pro quo ſciendum quod quatuor olim erant genera decimarum iuxta adnotationem Hoſtien. in c. à nobis de decimis, recitans opinionem Hugonis de ſancto Victore ſecundum tria tempora, naturæ, legis, & gratiæ, vbi dicit quod decimæ ſecundum primum tempus gratię erant de conſilio, & non de præcepto: quia nullibi reperitur quod Deus ante legem ſcriptam præcepit decimam ſolui, in 2. vero tempore erant in præcepto, & in tertio in libertate hominis, hoc ponit dictus Hugo de Sacram. parte 7. lib. 1. cap. 4. & formalia verba ipſius citando ſunt hæc: Ante legem paruulos conſilio erudit, poſtea ſub le-

ge pręcepti tentauit, nouiſſime ſub gratia perfectos ſub libertate ſpiritus ambulare permittit, & ſubdit ibi, nunquam enim legimus quod ante legem ſcriptam Deus homini dixerit qui decimam non dederit,&c. dicit ſecundo quod erant quatuor genera, & ommiſſis tribus quartum accipimus & ſuper hoc fundatur Eccleſiæ determinatio de decimis,primũ genus legis veteris decimarum fuit quod populus dabat leuiticis ſecũdum quod leuitis ſacerdotibus, tertium quod vnusquisq; ſperabat in horreis ſuis ad comedendum in veſtibulo templi. Quartum quod pauperibus erogabant, vt patet in dicto. cap. 1. de Decim.

Vnde licet translata lege etiam translatum ſit Sacerdotium quantum.ſ.ad ritum colendi,tñ quia in Sacerdotio nouæ legis manet onus miniſtri propter quod eſt neceſſaria communicatio bonorum ſpiritualium per excellentiam Sacramentorũ quæ fiunt ſaltem quantum ad ſubſtãtiam præcepti,ideo remanet iſtud præceptum de decimis ſoluendis, vt morale, vel quaſi, in corde enim cuiuslibet hominis ſcriptum eſt,quod communicanti & ſeminanti ſpiritualia communicentur & miniſtrentur temporalia,& firmetur, vt iudiciale quantum ad taxationem decimę paratę & decimationem, & quantum ad Eccleſias quibus ex debito eſt reddendum,& poſito quod diceremus præceptum non eſſe morale vere,vel quaſi ad minus morale, & diſciplinæ :i. legis per quam habet vita humana regi innitendo inſtitutioni diuinę & humanæ eſt,ergo morale diſciplinæ,& quod plus eſt euangelicæ Matth. 24. & Lucę 11. Archid. in Roſario in c.decimæ 16.q.1. alio modo diſtinguit præcepta veteris teſtamẽti quod aliã fuerint ceremonialia, & talia tempore legis gratiæ

adue-

aduenienre,vt ſonant ad corticem non ſunt ſeruanda, quia euacuata ſunt aduentu Chriſti,& licet ipſe non dicat de his tamen ſcribitur c. translato de conſtit. Quædam erant moralia, & hæc omnia ſeruāda ſunt,quędam iuditialia,& talia ſi non obligant tempore gratiæ, ſeruari tamen poſſunt ſine peccato, & ad eorum obſeruantiam obligamur ſi ſunt ſtatuta authoritate eorum quorum eſt leges condere vt puta ſi Princeps aliquis ſtatueret, vt qui furatus fuerit ouem reddat quatuor oues, vt legitur Exod.23.cui ſubditi tenentur obedire. Inſuper addit quod præceptum decimarum partim erat morale,partim iuditiale,partim ceremoniale,morale in quantum dabatur ad ſuſtentationem miniſtrorum Malachiæ 3. offerte omnem decimationem, partim iudiciale nam tribus leuitæ dum miniſtri captam, & mancipatam poſſeſſionem non habebant vnde mandauit Dominus eis decimas prouentuum dari,vt honorabilius uiuant & ſic erat iuditiale, quod pertinebat ad æqualitatem ſeruandam inter homines ſecundū conditionem iſtius populi licet ex ſequenti aliud figuraret ſicut & omnia facta illorum, & poſt multa concludit, quod decimatio præceptum eſt à lege Canonica ſecundum humanitatem quandam, ideo nō minus populus legis nouæ gratiæ exhibeat, quam veteris miniſtris circumciſi, cum populus legis nouæ ad maiora obligatur ſecundum illud Matth.5. niſi iuſtitia veſtra abundauerit &c. quam ſint miniſtri veteris teſtamenti.

Io: Andreas in gloſa ordinaria c. primo de decim. in 6. recitat multas opiniones Theologorum dicens quod vt refert Petrus Lombardus qui fuit Magiſter Sententiarū aliqui Theologi dicūt quod pręceptorum aliqua ſunt moralia, & hæc ſunt ad li-

teram ſeruanda, vt non occides, quædam ceremonialia, & hęc non ſeruantur ad literam vt de purificatione poſt partum, quædam miſtica & hæc ſunt ſacrifitiorũ præcepta, quorum non verba, ſed mẽs ſeruanda eſt, & ſic dicunt in decimis vt .ſ. ſint miſtica vel partim moralia, vt ſufficient aliqua dari pro decima vigore conſuetudinis puta centeſimam vel vlteriorem partem, ſed hoc ibidem refutat Io. And. probans integraliter dandas cap. in aliquibus de decimis.

Alij dicunt decimas non eſſe hodie dandas, quia olim vſi erant dari Clericis, qui nil aliud habebant, vt hodie Clerici habent patrimonialia prędia vnde eis decimæ non debentur, & hæc falſa eſt ſententia ex Conc. Trident. vtſupra. Alij dicunt quod decimæ ſecundum loci conſuetudines ſint dandæ atq; quod non ſoluere non ſit peccatum, quod etiã non ſuſtinetur, iuxta illud Exod. 22. decimas & primitias non tardabis offerre, conſequenter dicit glo. quod Hoſtienſ. in c. in aliquibus de decimis dicit quod prædiales debentur lege Diuina perſonales non, ideo in primis non admittitur conſuetudo, at vero in ſecundo bene.

An vero perſonales ſint de iure diuino prout videtur Hoſt. in ſua ſumma tit. de decimis. §. 7. quod negat Dominicus Sotus lib. 9. de iuſt. & iure q. 4. art. 1. in reſponſione ad vltimum. Vnde hoc loco ordinatiſſime ſuccedit quæſtio illa, cum vti diximus decimæ ſint de præcepto diuino nunc aliquo modo immutari poſſit iſtud præceptum vel priuilegio Papæ aut conſuetudine loci, vel regni, vt non dentur eiuſmodi decimæ? D. Thomas quidem negat ibidem vbi Sotus, reſpondens in Italia in illiſque terris vbi decimæ non ſoluuntur ob id ſolum inco-

las à culpa eripi quod Eccleſiæ miniſtri indulgere illis cenſentur, non petendo ſicut Paulus ſe feciſſe teſtatur prima Corinth. 9. nam poſt quam ibi demõſtrauit ſe poteſtatem habuiſſe ſuſtentamina ab illis petendi ſubdit non eſſe vſum eadem poteſtate ne quod offendiculum daret Euangelio Chriſti.

Altius autẽ hæc res ordienda eſt, & primum quidem conſiderandum an de poteſtate Papæ id vllo modo fieri poſſit, quod tam ſuper iure percipiendi decimas quam ad fructuum perceptionem diſpenſet perpetuo aliènando & maxime in Laicos, pro quo ſcias quod in hac quæſtione duplex poteſt eſſe conſideratio alienationis; vna eſt omiſſiua, ex patientia, & tollerantia magni temporis, vt quia Laici non ſoluunt decimas & Papa ſic tolleret, alia eſt alienatio authoritate expreſſa, quantum ad primũ plures ſunt opiniones, nam in perſonalibus tenuit Hoſtien. quod prætextu antiquæ conſuetudinis excuſentur non ſoluentes, ſi enim ſcientia & tollerantia Papæ vel alterius nos non excuſaret non eſſet dicendum niſi quod omnes damnaremur, quod abſit; Verum iſta opinio vt ſupra refutata, ſic pro nunc ſuſtineri nequit, & in hoc omnes Canoniſtæ conſentiunt, quod non excuſantur prætextu conſuetudinis, & melius dicendum quod .ſ. vbi Generalis conſuetudo patriæ moribus recepta vel ipſa generali conſuetudine abolita Eccleſia id tollerante nõ eſt dubium quin excuſentur à peccato per ea quæ notantur in c. 1. de pace & tregua, nam ſcientia, & patientia apoſtolica multum operatur etiam in ijs quæ per ſubditos alias legitimè non poſſidentur, maximè tanti temporis cuius contrarij memoria non exiſtit facit lex. 1. §. fin. ff. de aqua quot. & eſtiua, & cum in perſonalibus ſit vniuerſalis quaſi in

mundo

mundo conſuetudo, quod non prçſtentur, videntur excuſari non ſoluentes: proinde licet conſuetudo non valeat in prçdialibus tamen ex cauſa generali & antiqua conſuetudine, & ſcientia, & patientia Pontificis non eſt dubium illos non ſoluentes excuſari, & hæc omnia tollerantur ſi Eccleſia aliud nihil accepit à ſubditis ratione decimarum, ſic enim ſi factum fuiſſet authoritate Papæ non poſſent petere decimas. Aliàs poſſeſſiones, vel alia bona nequeunt dari Clericis pro liberandis alijs terris Laicorum à decimarum ſolutione; quia ſuper ijs non valet permutatio, neque tranſactio c. fin. de rer. permut. & c. 1. de tranſact. & ſic talis conſuetudo eo prætextu non poſſet introduci niſi interueniente authoritate Summi Pontificis vt ibi tenet. Io. And. de rer. permut. c. fin.

Quod vero attinet ad expreſſam alienationem, quæ fit per Papam de iure percipiendi decimas, & earum fructus Laico, multa videntur obſtare quo minus fieri poſſit, cum enim debitæ ſint iure diuino videtur illud indiſpenſabile, & incommutabile per Papam, imo potius illud ius debet cuſtodire, & defendere vſq; ad ſanguinem 25. q. 1. c. ſunt quidã. Alij dicunt quod fieri poſſet, & contra ius naturale diſpenſari remittendo alicui decimas ſpiritualiter non tamen conſtitutione poſſit facere, quç omnino tolleret iſtud præceptum, quia ius naturale immutabile permanet, alij explicant hoc ius quod non poſſit dare in ſimul ſed in indiuiduis, ideſt non poteſt tolli, ſed in quibuſdam remitti ſicut illud ius naturale quod omnes ſint liberi immutatum eſt in quibuſdam, ſed non in totum, hoc enim eſſet impoſſibile quod omnes eſſent ſerui, vel liberi, Alij dicunt quod etiam omnibus Laicis hoc poſſet concedere,

decimas ad tempus &c. cauſa: quia hoc non eſt ex toto tollere, ſed diſtinguere: nec obſtat ſi dicatur, quod contra ea quæ ſunt præcepti non diſpenſat dicunt enim quod ſit ſpetiale in hoc pręcepto.

Ex quo dicendum exiſtimo quod Papa tanquam generalis adminiſtrator cum libera bonorum Eccleſiæ & Clericorum locum Dei tenens in terris, poteſt etiam Laicis, nedum fructus decimarum, ſed ipſum ius decimandi concedere, & perpetuo cauſa ſuadente, ad quod intelligendum ſimile habes de matrimonio, nam licet matrimonium ſit inuentũ in Paradiſo terreſtri per Deum, vt quod Deus coniunxit homo non ſeparet, tum Eccleſia hanc legem modificauit quando coniunctio eſt facta verbis cũ carnis commixtione, alias verbis etiam de præsẽti Eccleſia diſponit, & tollit illam legem: quia per ingreſſum religionis fit ſeparatio vt patet in c. ex publica de conuerſ. coniug. quanto plus in iſto pręcepto in quo verſatur intereſſe Eccleſiarum, & Clericorum in quo Eccleſia habet omnimodam diſpoſitionem, vt videre eſt, hinc inde, quando plures religiones priuilegiauit de decimis non ſoluendis quod ſi pręceptum fuiſſet morale, minime potuiſſet, fuit ergo morale, & diuinum inuentione, nunc autem eſt diuinum, & Canonicum diſpenſabile, tamen cauſa ſubſiſtente: nec dubium eſt ita factas conceſſiones regibus & Principibus Catholicis habuiſſe iuſtam cauſam, vt ſ. Eccleſias conſtruerent, & in fidei immunitatibus eaſdem defenderent, maxime eo etiam prouiſo quod Clerici ex his conceſſionibus non ſunt fraudati debita ſua portione, maxime etiam ob id quod multi reges & Principes ex eiuſmodi ſibi factis conceſſionibus à ſummis Pontificibus ex magna abundantia iterum èlargiti ſunt bo-

na temporalia Eccleſiaſticis, & etiam duas partes decimationum remiſerunt, & ſic vbi aliquis foret ſtimulus debet etiam à bonis mentibus procul eſſe quia quamuis Innocentius in rub. de decim: concludat quod propter bona temporalia Clericorum non debent Laici retrahere ſe à decimarum prȩſtatione vt ipſe tenet ſuper rub. tamen præcedente titulo Apoſtolici, & ijs quæ in decimarum compenſatione, & alijs quæ pro dotatione Eccleſiæ data ſunt, ſatis bene ipſis Clericis poteſt citari, quod ſcribitur num. 28. circa finem quod contenti eſſe debẽt de dictis duabus partibus & alijs quæ pro dotatione Eccleſiȩ data ſunt, & dabuntur & quotidie per fideles erogantur.

His ſic ſtabilitis duo colligimus ad vſum noſtrum neceſſaria quorum alterum eſt, quod decimæ neque ius ipſarum vlli Prȩlatorum, vel Epiſcoporum liceat ſine expreſſa Summi Pontificis authoritate Laicis hominibus infeudare, cuius contrarium Sole meridiano clarius enitet, dum experimur quotidie in foro, & curia lites inſtruere ob non ſolutam inde penſionem annuam & id quidem ab ipſis Eccleſiaſticis & religioſis quibus cum nobilibus terrȩ multa ſȩpe fit contentio apud ſæculares propterea quod illi non penſionem annuam ob relictas decimas monaſterio perſoluerunt, idq; tanto ſceleſtius quod non Catholicis id muneris exhibeatur ſed aduerſarijs & fidei noſtræ inimicis, cum Paulus nos doceat in proximis domeſticis fidei benefaciendum eſſe. Quid vero inde emolumenti accedat monaſterijs & Religioſorum conuentibus vndiq; apertum eſt, quod inde pleno iure hæreditario eiuſmodi oblationes, & decimæ poſſideantur ab hæreticis, nec vnquam aut magna cum aduerſitate ad priſti-

num ius reducuntur. Accedit quod elapſo triginta, vel quadraginta annorum ſpatio ſibi iure, & bona fide præſcriptas exiſtiment, cum tamen id totũ contra Sanctorum Patrum, & Conciliorum decreta ſit pro quo videndum eſt c. Durum de decim: vbi neque ex regum titulis præſtat cauſa præſcribendi decimas, cauſa ibi eſt in §. nos igitur quia alijs conferre non poſſunt id quod ipſi nequeunt poſſidere: Patet in primis prohibitio iſta ex c. quamuis per totum de decim: vbi ait Alexander tertius, quamuis graue nimis, & diuini dignum animaduerſione iuditij habeatur quod Laici quidam, quod Sacerdotũ eſt in Eccleſiaſticis rebus vſurpant, maiorem tamẽ incurrunt formidinem quod fomitem ſui erroris videntur in ipſo Clero aliquoties inuenire, cum quidam Prælatorum Eccleſię decimas, & Eccleſias diſponere eis indulgent, & eos in deuia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad vitam vitæ fuerãt reuocandi, & c. ſtatuimus, vt ſi quis alicui Laico in ſæculo remanenti Eccleſiam, decimam oblationem que conceſſerit à ſtatu ſuo ſicut arbor quæ inutiliter terram occupat excidatur, & donec emendet dolore ſuo iaceat ruinæ proſtratus, & ibi glo: dicit quod ideo olim dabantur decimæ in feudum laicis: quia defendebant Eccleſias ab hęreticis & alijs oppreſſionibus poſtea vero, cum cauſa ceſſauit non fuerunt amplius conceſſæ, liceret mihi forſan excurrere longius, quantum moleſtiarum quibuſdam bonis prælatis & Epiſcopis cum talibus euenit, niſi ſcirẽ eorum prædeceſſorum conniuentia, & negligentia eneruatas Eccleſias & fundationes: & iterum idem Pontifex c. adhæc de decim: dicit quoniam ſanctuarium Dei iure hæreditario poſſideri non debet iuribus carere decernas, & Laicum niſi decimam ipſam

ipſi

ipſi Eccleſiæ liberè reſignauerit vinculo excommu nicationis aſtringas, ad idem vide c. prohibemus de decim. & c. Decimas. 16. q. 7.

Alterum incommodum demonſtrat quotidiana experientia quo decimæ vel plane non ſoluuntur Clericis, vel diminutæ, vel longum poſt tempus, & id ſolum quod deterius eſt in frumentis, pro quo eſt cap. Cum homines de decim: vbi Alexander tertius, poſt quam intellexerit quod de frugibus paſſim no ūem partibus ſibi retentis decimæ Eccleſiæ cuius parochiani ſunt ſine diminutione non reddantur, & antequam id faciant ſeruientibus & mercenarijs ſuis de frugibus nō decimatis debita totius āni pro ſeruitijs ſuis impendantur mandat quatenus ij cogantur; vt decimam ſtatim fructibus collectis perſoluant, atq; de ſubtractis & retentis digna ſatisfactione exhibere procurent ſic loquitur ibidem c. non eſt in poteſtate. & c. Tua nobis, eodem. Sic defraudantibus decimas & elocatoribus prædiorū imponitur ibidem in c. in Aliquibus vt prædia dēt eclenda talibus à quibus ſine contradictione Eccleſia poſſit decimam partem habere ſed quid ſi longius producimus Sacrorum Canonum iuſſiones & prohibitiones cum minus curentur in multis Germaniæ partibus quam alienationes decimarum, aliorumq; prædiorum Eccleſiaſticorum, quod pluries meis inſonuit auribus, verum de his oportunius alio in loco.

Principes ergo cum teneantur de iure diuino hęreditatem, & patrimonium Chriſti defendere, ſuarum partium erit eiuſmodi defectus inquirere, & nolentibus vel negligentibus Epiſcopis & Prælatis exercere ſuam in defectu Canonum iuriſdictionem pro quo non eſt quod ſibi metuant vltionem diuinam

nam ſed niſi id ſtrenue fecerint, vel per ſuos offitiales fideliter executi fuerint, vltionem diuinam in caput ſuum habituri.

Sed poſito quod eiuſmodi decimæ ſint euictæ à Clericis, nunquid poterunt de nouo infendari? Cōmunior ſententia tenet quod non, ſic voluit Caldarinus in Conſil. 1. tit. de decim: cuius opinionem veriorem, & tutiorem vult Ioannes ab Imola c. 2. de feud. & præpoſitus c. 1. §. ſciendum de feud. cognit. quibus addi poteſt limitatio quod fieri poſſit noua infeudatio, quando decimæ ad Eccleſiam rediiſſent, non de per ſe, ſed acceſſorie & cum vniuerſitate Caſtri alicuius, tunc enim poſſent cum vniuerſitate caſtri de nouo concedi, vt dicitur de iure patronatus c. ex literis, præſertim cum Eccleſia decimas retinuerit, vt Domina caſtri, non vt Eccleſia. Verius tamen eſt ſtante omnimoda prohibitione Concil. Lataren. nec illud de iure patronatus facit contra quia id ſpirituale non eſt, ſed ſpirituali annexum & ideo cum vniuerſitate vendi poteſt c. de iure patronatus, & poteſt poſſideri à Laico non tamen ſic eſt in decimis quæ ſpiritualia ſunt, & voluit Fridericus de Senis. Conc. 245. in fine tit. de ord. cognit. Ad id quod Eccleſia vt Domina feudi poſſideat decimas dicitur non ideo inferri poſſe quod de nouo cum Laicis poſſint infeudari, cū etiam per Laicos, aliis Laicis vendi nequeant. c. prohibemus de decim. Ad hoc facit quod ex tali infeudatione multæ fraudes contingant Eccleſiis grauesq; lites, dū ſucceſſu temporis earum poſſeſſores falſum titulum allegantes negent decimationes dicentes ſe emiſſe, & obtinuiſſe ſimul cum caſtro, quia ſicut caſtrum eſt temporale ſic & decimæ: Acceſſorium enim ſequitur naturā principalis, feudum enim cum ſit quod

dam

dam vniuerſale non ſequitur quia feudum caſtri eſt ſæculare, etiam decimę quia multa continētur ſub genere quæ non ſub ſpetie, vnde ſequitur quod decimæ feudalia non ſint. Abbas Panormitanus in c. cum ſeculum de iure patronatus: nec acceſſorium ſequitur naturam principalis vbi militat diuerſa ratio, vt in hoc caſu: quia feudalia de nouo ſemper infeudari poſſunt ſi ſunt ſolita infeudari, non item decimæ.

Aſt vero quandoquidem id ratio nobis ſuadet, videamus quis ſit competens iudex decimarum iuriumq; earumdem. Duplici ratione videtur Iudex eſſe Eccleſiaſticus, primo ſic probat gloſa in c. ex tenore de for: comp. vbi dicit cauſam decimarum ad Eccleſiam pertinere ſicque Eccleſiaſticum eſſe; ſecundo quia adhoc omnes Laici compelli poſſunt ex communicatione c. Tua de decimis in 6. imo ad re bellantes, & negantes poteſt Eccleſia inuocare brachium ſæculare c. Poſtulaſti de hom: Diſtinguendū videtur in hoc genere decimarum ſicut in ſuperioribus omnibus factum eſt, quod quando eſt quæſtio de iure decimandi, vt puta aliquis dicit ſe ad illarū ſolutionem non teneri ex priuilegio, compoſitione vel alias, & ſic ius decimæ reuocatur in dubium, & tunc dicunt Doctores, hanc cauſam eſſe ſpiritualem & per Iudicem Eccleſiaſticum terminandam c. tuā de ord. cognit. quemadmodum dictum fuit in vſura & iuramento. Si autem agatur ad fructus perce ptionem decimarum, qui locari poſſunt, & vendi Laico c. veſtra de locato. & quia in illis cadit permu tatio, & ſic iſto caſu requiritur ſolum compulſio Laicorum, quæ in facto conſiſtit, & tunc Laicus erit Iudex competens.

Nota tamen vnum ſecundum aliquos, non mul-

tum eſſe peccatum, duos teneri Iudices Eccleſiam contra Laicos, ſuper decimis, cum hoc Eccleſiarum fauorem reſpiciat, vnde merito ex hoc quæri ſolet an Clerici teneantur ad decimas de ſuis prædijs, & poſſeſſionibus, & ſi non dant à quo adhoc compelli poſſint, Nec ſolum decimationes hoc loco tangi debent, ſed omnia illorum prædia quorum intuitu vocantur ad Curias & Iudices ſæculares. Videndum quo iure, in primis diſtinguendo tractat hanc quæſtionem Dominicus Soto lib. 9. de iuſtitia, & iure quæſt. 4. art. 4. quod de decimis illis, quas Clerici pro ſuis ſpiritualibus muneribus recipiunt, & de Eccleſiæ fundis, quorum fructibus, Clericali iure viuunt nullas tenentur dare decimas, de alijs vero prędijs non quo Clerici ſunt, ſed qua ratione ſæculari iure, vel hæreditario, vel emptionis, vel quo vis alio iuſto titulo terras poſſident decimarum ſunt debitores: Quamuis ſuper hoc ſecundo quibuſdam religioſis Ciſtenſienſibus ſint conceſſa priuilegia, & hoſpitalarijs per Alexandrum tertium vt de talibus prædijs nihil teneantur dare, ſi proprijs laboribus illa colerent, & Adrianus vt patet c. ex parte extra de decimis, præter hos nulli alij exempti leguntur, in quibus etiam proderit loci conſuetudinem attendere.

Vbi ergo talis eſt conſuetudo regni vel patriæ quod tam Clerici quam Laici conuenti ſuper hęreditatibus, vel poſſeſſionibus, videtur reſpondendũ ibi eſſe, quod tunc ſubſint quo ad hoc, quoniam à principio omnia fuerunt forte ſub Principis Imperio, & ratio ſuadere poteſt, quod illa quæ tranſeunt ad Eccleſiam cum honore tranſeant etiam cum onere, & quia Princeps terræ dicitur, ſibi etiam exinde aliquid competere debet, & quia redditus annui in

ter

ter nobilia computantur, in Clement. Exiui de verbo. ſign. propter quos Clerici ratione temporaliũ ſunt Dominis temporalibus obnoxij, vndecima q. 1. §. ſi quę cauſæ. Verum aliud eſt loqui de decimis prouenientibus in Clericos ab ipſa Eccleſia, & nunquam affectis regio, vel Principis titulo, ſed proprio iure habuerunt Clerici, aliud etiam eſt de decimis prouenientibus ex ſingulari gratia, & donatione Principis in ipſam Eccleſiam, ratione ſecundi membri poterit ſibi forte Princeps ex conſuetudine, aliquod ius vſurpare, vt de ipſis aliquo modo ſe ſe interponat, modo fiat in fauorem Eccleſiæ, & non ad denigrationem, melius tamen meo iuditio faceret ſi eiuſmodi cauſas ad Epiſcopos ordinarios remitteret, quemadmodum feciſſe legimus Conſtantinum cui cum multæ oblatę fuiſſent querelæ contra Epiſcopos & alios Clericos, ipſe conuocans Epiſcopos & in eorum conſpectu libellos quos acceperat incendit dicens vos Dij eſtis à vero Deo conſtituti ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite: quia dignũ non eſt, vt nos dijudicemus Deos.

Accedit & illud quod cum Eccleſiæ donatũ reuocari non poſſit, neque debeat in vſum alium peruerti quod ad honorem Dei conuerſum eſt, ideo conſultius facit ſi eiuſmodi decimalium cauſarum reſolutiones exemplo Coſtantini Magni ad Iudices Eccleſiaſticos remittat, quando ergo ad Curiam vocantur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Religioſi præſidentes in adminiſtratione poſſidentes vaſſallos in regno Principis non reſpectu ſuarum perſonarum conueniunt, ſed ratione communis reip. ſalutis pacis & trãquillitatis Rex enim ſeu Princeps tanquam Laicus; cum non ſit illorum Iudex competens etiam ex prorogata iuriſdictione c. Nullus

de for.comp. Minus de eorum perſona Iuditium ferre poterit, & quomodo de his per quos diuina miniſtrantur iudicare præſumunt penitus ignoratur c. deniq; *96*. diſt. imo grauiter Princeps delinquet Iuriſdictionem Dei vſurpando, aut cauſas Epiſcoporum ac Curiam ſæcularem pertrahi patiendo. Neque valet quod obijcitur à multis, quod prædicti Epiſcopi & Prçlati vocantur ad ſæculares Iudices occaſione vaſſallorum, & bonorum ſçcularium quç ſimul cum alijs prouincialibus in regno poſſident hoc inquam non valet, quomodo enim tunc bona Clericorum gaudebunt priuilegio Clericorum de quibus hactenus & adhuc agere proſequimur, cum bona acceſſoria ſint ad perſonam, & propter perſonam ſeu hominem creata. l. in pecudum. ff. de vſur. & acceſſorium naturam ſequi conueniat principalis potiſſimum, cum nulla diuerſitatis ratio intercedat vt in bonis Clericorum, quç affectata ſunt titulo & benefitio Clericorum. l. cum principalis. ff. de Reg. Iur. & c. Acceſſorium eodem in *6*. etiam quo ad forum, vt videmus in vxore filijs & ſeruientibus C. de Epiſc. & Cler. l. 2. & de Iud. l. Quoties. quod vero mutatione perſonæ mutetur etiam forus non ſolum quantum ad ipſam perſonam gaudentem fori illius priuilegio, ſed etiam quantum ad bona & res, manifeſtiſſimum fit ex æquitate illius tituli. C. ne potentioribus liceat, ergo cum bona, & iuriſdictio ſint in Eccleſiam tranſlata, eius forum & conditionem neceſſario conſequentur.

Neque dum hçc dicimus negantur communiter reddi ſolita Principi & Cæſari quia perſonæ licet Eccleſiaſticæ poſſidentes feudum, debent tractari circa feudalia aliaq; bona ſæcularia tanquam Laici, & inde eſt quod Eccleſia etiam tenetur ad omnia

iura tributa & perpetua onera, & vniformiter rebus ſuis affixa patet hoc per glo: in c.1.in verbo bonorum de immun: Eccl.in 6.& voluit Bald.l.ad inſtructiones C.de Sacroſan. Eccleſ. Bart.in l. placet. in repet.num.59.vbi Iaſon nu.17.C de ſacroſ.Eccl. at vero occaſione illorum in ius vocari coram non competente Iudice eſt naturam inuertere vniuerſi, vt videre eſt volenti per totum 11. q.1.fere in omnibus capitulis. Itaq; concludendo dicimus Principem non ſolum eſſe debitorem in ſæcularibus ſed etiam Eccleſiæ, præcipuè ad defenſionem, & cõſeruationem priuilegiorum, viciſſimq; Eccleſiam eundem cognoſcere tanquam Catholicum & fideliſſimum patronum vt accidit in iure patronatus Eccleſiarum, de quo nunc nobis agendum.

CAPVT XXIV.

Quid iuris ſit Eccleſiæ de Iure patronatus cum Laico.

DIgnata eſt ſemper mater Eccleſia Catholica clariſſimorum Imperatorum, Prætorum, ac veterum Iuriſconſultorum leges & conſtitutiones ſuis proſequi fauoribus ac poſteritati perpetuis conſecrare monumentis, cuius ſanctæ ęmulationis expreſſum veſtigium agnoſcimus in hac iuris parte quæ ius patronatus proſequitur & tractat, quod titulorum digeſti & Codicis de iure patronatus inſcriptorum ſuis quoque ſacrorum Canonum decretis illuſtrauit materias, vt ſic quod olim fauoris & gratitudinis à ſanctiſſimis Romanę Eccleſiæ Pontificibus, prædictis Imperatoribus alijsq; Regibus & Principibus

pibus ob ſingularem in Eccleſiam Dei feruorem & Zelum elargitum eſt, ipſi adhuc memores beneſitiorum priſtinæq; deuotionis idipſum exuſcitarent in alijs Laicorum animis fidisq; pectoribus. Solet enim grata animi ſignificatio illud operari, vt ſe mutuis beneſitiorum argumentis inſtruat pariterque quod accepit parib. recompenſet offitijs, idq; iure naturali habetur, quod dictat benefacienti debere benefacere, vnde & illud tritum demanauit elogium, ius patronatus in remunerationem benefactorum Eccleſię Laicis ſupererogatum, vt qui alias in bonis Eccleſiaſticis, nullum ius habebant, nec ſe de illis intromittere poterant, poſt dotationem, vel ditationem, aut fundationem Eccleſiarum, ipſi adhuc earundem exiſterent patroni, & defenſores hacque gratuita conceſſione factũ eſt, quod Catholici Principes viriq; illuſtres inuitati fuerint ad fundandas Eccleſias, cœnobia, & capellas, pro vt cœptum fuit à Coſtantino, Theodoſio, & alijs in hunc vſq; diem, neque abſurdum, tale quodpiam priuilegium concedi à Pontificibus Regum Principumq; familijs, quod ſe ſe intromittant curentq; nominationes fieri quandoq; Prælatorum, & Epiſcoporum electiones, vt decernit Concil. Trid. ſeſſ. 25. vbi ſupra c. 9. de reformat. Illud enim quod prohibetur Principibus & Laicis intereſſe electionibus, vt in c. nullus Laicorum 63. diſt. & c. Valentin. & c. porro ibidem irritaq; fit electio, ſeu Eccleſiarum prouiſio à Principibus facta c. omnis electio, eadem diſtinctione, & c. cum terra de electione, longe aliter accipiendũ eſt, cum hic nos loquamur de priuilegio, & conceſſione iuris concordatorum, quæ concordata facta ſunt propter cauſam exuberantem, quæ non ceſſat ſicut priuilegium conceſſum extitit: Non enim ex

mera

mera liberalitate, aut coactione ſimilia priuilegia Regibus, vt v. g. Franciæ, alijsq; conceſſa legimus ſed ex cauſa benemeritorum præcedentium adhuc durantium quod.ſ.propter tuitionem Romanæ Ecclesiæ, & eiuſdem protectionem conceſſum fuit. Quis enim ignorat quantas olim paſſa eſt Eccleſia Romana infeſtationes præſſuras, & perſecutiones, vbi non ſolum fides ipſa periclitata, ſed eiuſdẽ etiã ſanctiſſimi cultores & propagatores profligati, qui poſtmodum ab Imperatoribus, Regibus Catholicis fidei, ſuæque Sedi Apoſt. reſtituti ſunt.

Clemens huius nominis Septimus rei veritatem teſtificari poſſet, prætereo Leonem, Adrianum, & alios quamplures reſtitutos, vnde in vim tantæ liberalitatis & adiutorij merito ſibi nomen & fidei, & Catholicæ Eccleſiæ patroni attributum eſt. Teſtatur hoc caput Reatina, & c. nobis diſt. 63. melius & fortius ibidem capitulum Adrianus in quo Adrianus Papa Romam venire Carolum Regem Francię ad defendendas res Eccleſiæ poſtulauit. Carolus vero Romam veniens Papiam obſedit ibique relicto exercitu in ſancta Reſurrectione ab Adriano Papa honorificè ſuſceptus eſt, poſt Sanctam Reſurrectionem reuerſus Papiam, cœpit Deſiderium Regem, deinde Romam reuerſus conſtituit ibi ſynodũ cum Adriano Papa, in Patriarchatu Lateranenſi in Eccleſia Sancti Saluatoris, quæ Synodus celebrata eſt, à 153. Epiſcopis, Religioſis, & Abbatibus, Adrianus verò Papa cum vniuerſa Synodo tradiderunt Carolo ius & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque patriciatus ei conceſſerunt. Inſuper Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulas Prouincias ab eo inueſtituram accipere definiuit, vt niſi à Rege laudetur,

detur, & inueſtiatur Epiſcopus à nemine conſecretur, & quicunque contra hoc decretum ageret anathematis vinculo eum innodauit, & niſi reſipiſceret, bona eius publicari præcepit.

Nec obſtat contra hunc decretalē quod dici poſſit diſpoſitionem illius iuris antiquiſſimam reuocatam fuiſſe, quia priuilegium fuit conceſſum à Papa, & toto Concilio repræſentante vniuerſalem eccleſiam, & ſic non perſonæ ſed dignitati, quæ dignitas non moritur. Nec etiam quod per aliquem Principem, aut Regem huiuſmodi priuilegio fuerit renuntiatum: quia illud non potuit facere in præiuditium ſucceſſorum, quia non ſibi ipſi .ſ. Regi Franciæ, ſed dignitati conceſſum extitit, quod nuper à Leone Papa & inde ex communi Lataren. Concilij concluſione, ac demum per Clementem confirmatum fuiſſe omnibus patet.

Vnde nulla valet hac in re oppoſitio. Verum ſimilia ex concordantibus reperiuntur priuilegia, in Serenisſima Archiducum Auſtriæ familia, vbi intra Serenisſimum Archiducem Ferdinandum pluriū Cathedralium eccleſiarum, abbatiarum, & aliarum prælaturarum denominationes & approbationes conquieſcunt, neque de inferioribus quidem dignitatibus abſque ſuo præſcitu, aut vicedomini ipſius præſentia per omnes prouincias fieri poteſt prouiſio, idq; eo ſolum, non, vt canonum inde authoritati detractum quidquam velit, ſed vt omnia pacifice & tranquille in prouincijs peragātur, talesq; præficiantur quorum perſpecta ſit Principi vita fides, genus & religio. Reliqui patronatus omnes in beneficijs tàm ſæcularibus quàm regularibus ſeu parochialibus vel dignitatibus, aut quibuſcunq; alijs beneficijs, in cathedrali vel collegiata eccleſia, ſeu facultates

cultates & priuilegia conceſſa, tàm in vim patronatus quam alio quocunq; iure nominandi, eligendi, pręſentandi ad ea, cum dicant: exceptis patronatibus ſuper cathedralibus Eccleſiis competentibus, & exceptis alijs, quæ ad Imperatorem & Reges, ſeu regna poſſidentes, aliosq; ſublimes ac ſupremos Principes Iura Imperij in dominijs ſuis habentes, poſſident. Atq; hanc Principum iſtorum prærogatiuam ſi quisquam patrocinium (vel aduo catiam) vocarit, meo quidem iuditio haud inepte dicet, plurimum namque ex hoc patrocinio ſalutis accedit Eccleſiis & Religioni, vnde ipſi Principes, Regesq; ſęculares merito patres nutritij dicun tur quod ſuo quaſi ſinu ad inſtar parturientis fœtus confoueant, nutriant, tueantur, & alant, quod fit attendendo, vt omnia rite, & decenter in prouincijs agantur.

Nec aliud ſibi patroni Eccleſiarum vendicare de bent quam patrocinium earundem, quoniam patro nus à patrocinando dicitur vel contra, nec quidquã intereſt vtrum alterum dicatur ab altero, & patronus eſt qui defenſionem pręſtat perſonis aut rebus inde dicitur patronus ideſt defenſor, idcirco etiam à pręcipuo effectu dicitur ius patronatus, quamuis honorem habeat in præſentando, quo quidem honore hoc infelici tempore priuantur, quippe quod contempta potiori patronotum parte, ipſisq; non curantibus nominis ſignificantiam, dilapidatores Eccleſiarum rerumq; eccleſiaſticarum non cohibẽtur, dum ipſi patroni ſeſe in fructuum perceptionẽ ingerunt, contra nouiſſimi Concilij Trid. decretũ ſeſſ. 25. cap. 9. de reform. ad medium; vbi ſic loqui tur: Patroni autem beneficiorum cuiuſcunq; ordi nis & dignitatis, etiamſi communitates, vniuerſitá-

tes, collegia quæcunq; Clericorum vel laicorũ exiſtant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuẽtionum quorumcumq; beneficiorum, etiamſi verè de iure patronatus ipſorum ex fundatione, & donatione eſſent, nullatenus, nullaue cauſa vel occaſione ſe ingerant, ſed illos liberè rectori ſeu beneficiato, non obſtante etiam qnacunq; conſuetudine, diſtribuendos dimittant. Eſt autem ius patronatus, ius competens alicui in Eccleſia ad præſentationem Rectoris honorificum &c. ſeu ſecundum Io: And. eſt ius honorificum oneroſum, & vtile alicui competens in Ecceleſia, & pro eo, quod Diœceſani conſenſu illã fundauit, donauit, vel conſtruxit, ipſe vel is à quo cauſam habet. Circa quam deſcriptionem plurimum litigant ſcribentes, verum ad uoſtrũ propoſitum ſufficiat hoc vnicum addere, an iſtud ius competens laicis ex fundatione dotatione ſeu conſtructione ſit ſpirituale vel temporale ſeu mixtum quoddam, & ſi ſpirituale quomodo laicis conuenire poſſit?

Pro quo ſciendum principaliter quod nomẽ ſpirituale multis modis accipi poteſt ſecundum Abbar: in c. conſulere de Simonia. quædam enim ſunt ſpiritualia ſecundum eſſentiam ſuam, & iſtorum aliqua ſunt incorporalia, alia corporalia. Incorporalia vt virtutes, dona Dei & ſimilia, corporalia vt reliquiæ ſanctorum, quędam ſunt ſpiritualia per cauſam, vt ſunt Sacramenta nouæ legis, per quæ conſequimur gratiam, & ſic ſunt cauſa gratiæ, quædam ſunt ſpiritualia per ſtatutum, vt religio, quędam dependent à poteſtate ſpirituali vt eſt abſolutio peccatorum, quædam ſunt ſpiritualia ratione offitij, exẽplum in his quæ competunt Clerico ratione ordinis, vt pulſare campanas, claudere oſtia templi, quę

dam

dam ſunt ſpiritualia, quia ſunt deputata ad vſum ſpiritualem, vt ſacra vaſa, veſtes Sacerdotales, & hæc dicuntur annexa ſpiritualibus, & in hoc genere ſpiritualium videtur compræhendi poſſe ius patronatus. Archidiaconus in c. 1. 1. q. 1. dicit quod ſicut anima viuit ſecundum ſe ipſam, corpus autem viuit ex vnione animæ, ita etiam quædam ſunt ſpiritualia ſecundum ſe ipſa vt Sacramenta, quædam autem ex eo quod ſpiritualibus adhærent.

Secundo notandum quod non omne id quod tendit ad finem rei ſpiritualis dicitur ſpirituale, exemplum datur in libris Eccleſiaſticis, qui ordinãtur ad finem animæ & rei ſpiritualis non tamen sũt ſpirituales neque ſacri quemadmodum formaliter dicit Abbas. Panor. c. quanto coll. 3. de iud.

Quibus ſic prænotatis dico ius patronatus non eſſe mere ſpirituale, nec mere temporale, neque mixtum aliquod ex his, ſed annexũ ſpirituali, cuius ratio iſta à Doctoribus aſſignatur: quia facit præparamentum ad ius ſpirituale; ideſt ad inſtitutionem obtinendam, aliosq; effectus conſequendo, de quibus ſupra in definitione. Baldus in c. Quanto. de Iud. aliam ſubijcit rationem quod ideo .ſ. dicatur annexum ſpirituali quia adheret eccleſiæ, quem ẽt videtur ſequi Felinus ibi col. 2. & iſta mihi magis placet, aliam aſſignat glo: in c. piæ mentis 16. q. 7. .ſ. quod dicatur annexum: quia partim ſpirituale eſt partimque temporale, & ſic aliquod mixtum, ſed quia id iuribus non cauetur fruſtra effingitur, quodque melius dicatur annexum quam mixtum firmat Cardin. Florent. in hac eadem rub. q. 2. qualiter vero huius iuris capaces fiant Laici pluribus non eſt opus reſpondere, quantumuis dicatur in c. quanto de Iud. quod iuris patronatus cauſa ita coniuncta

ſit & connexa ſpiritualibus quod non niſi eccleſiaſtico iuditio valeat definiri. Verum ſoluunt hanc obiectionem Doctores quod licet Laicus ius patr. quaſi poſſideat, non tamen per hoc infertur quod Iudex Laicus de hoc cognoſcere poſſit, quia priuilegium ſibi conceſſum vt poſſit ius patr. quaſi poſſidere ideo factum eſt, vt inducantur ad conſtruendas & dotandas eccleſias, ſi vero ſit exorbitans à regulis iuris, non debet extendi ad alios caſus, maximè in præiuditium Eccleſiæ argumento c. ſane de priuil. Vnde conceſſio facta Laicis de iurepat. intelligitur ratione poſſeſſionis vel actuum conſecutiuorum ad ius poſſidendum pro vt eſſet tranſmittere ad hæredes, & cum vniuerſitate alienare, vel alijs modis pro vt per gloſam in c. piæ mentis 16. q. 7. & vt loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. de refor. non autē intelligitur conceſſum Laicis quantum ad alios effectus .ſ. vt poſſint de eo iudicare, vel aliter de eo ſe intromittere, & propterea dicunt quod in Laicum non poteſt de iure patr. compromitti; ita videtur concludere Abb. in c. examinata de conſumat. vtilij, vel inuti: & eſt textus in c. præterea de tranſact. & probatur ſupradicta ſolutio: quia in iſtis caſibus non militat ratio, quare iuspat. conceſſum eſt Laicis vt ſupra. Nec omnibus indifferenter Laicis id iuris permittitur, licet cuilibet bonum facere licitum ſit, non tamen exinde omnes ſibi iuspat. vendicant, niſi forte remoto illo impedimento, & Eccleſiam fundare, & ius patronatus conſequenter ſibi ex conſenſu ſui ordinarij adſciſſere valeat, ſicut videmus quod excommunicatus non poſſit exercere ius pat. ante abſolntionem licet habeat illud, etiam illa durante, ſed abſolutione interueniente, tunc recuperat adminiſtrationem c. decernimus de ſent. exc.

in 6. & ibi Gemin. vbi dicitur quod poteſt teſtari, & inſtituere & fundare eccleſias. §. Generale, auth. vt cum de Apell. cognoſ. & Hoſtien. in tit. de ſent. excom. §. quid ſit eius effectus, ad idem facit quod ſciſmaticus, qui redijt ad vnionem Eccleſiæ poteſt eligi in Epiſcopum, pro vt eſt in capitulo quia diligentia tua de elect. cuius ratio eſſe poterit à priori, quod Deus nullum peccatorem deſpiciat &c. Nihilominus tamen in Eccleſia militanti propter notorium aliquod peccatum inhabilitatem talis contrahit, quod non poſſit eligi niſi cum diſpenſatione, vt ibidem, ergo eodem etiam modo, & fortiori poterit ipſis competere Ius pat. cum hoc non ita reperiatur eis interdictum, per talia crimina, ſicuti adminiſtratio diuinorum quod multum facit à cõtrario c. fin. de temp. ordin. quod vult poſt peractam pœnitentiam integre, vel ex parte præter reum ſanguinis poſſe adminiſtrare, quando non ſunt notoria crimina, vel in iuditio comprobata, ergo ſi eſſent notoria, & facta pœnitentia poſſent tales adminiſtrare, & ſic poſſet eis ius patr. competere; pro hac ſententia etiam ſtat, quod excommunicati, vel alias ſuſpẽſi poſt abſolutionem omnia ſua iura recuperant per cap. Nos ſanctorum 15. q. 6. & c. Beatus, in fine 3. q. 4. quod ſpecialiter meminit Io: Andr. ibi dum de hæretico reuerſo ad fidem Catholicam ait illum iterum iuspat. recipere, quod probat per cap. Domino ſancto. diſt. 50. & maxime ibi circa finem, vbi ſic habetur. Quicunque igitur pro criminibus ſuis dignè Deo pœnitentiam obtulerint authoritate Gregorij, & Auguſtini, & Hieronymi, & Iſidori gradum priſtinæ dignitatis recipere poſſunt, quæ autem non odio criminis ſed timore vilitatis, vel ambitione dignitatis, vel honoris falſas Deo pœnitentias offerũt

in

in priſtinum honoris gradum reparari minimè poterunt.

Quod præclare dictum noſtro ſæculo plurimum inſecuret multorumque iniuſte detinentium iura pat. animos demulceret permoueretq; ad reſtitutionem, ſi Sacrorum Canonum authoritas vigeret apud illos, ex quo enim à priſtina religionis & fidei Catholicæ integritate defecerunt verſique ſunt in alienum deprauatæ opinionis ſenſum vtique quod antiquis in familijs ſuis prędeceſſoribus ab Eccleſia conceſſum fuit moderni gaudere nequeunt dũ non conſiſtunt in conceſsionis cauſa principaliter mouente & vrgente, quæ erat fides Catholica, cuius defenſionis ergo, & ſinceritatis impartitum fuit nobilibus iſtis iuspat. & patrocinium deferendi, nunc vero quod pertinaciter reſiſtunt Catholicis epiſcopis pro illo iure litigantibus atq; in priſtinum reducere volentibus aliud nihil agunt, quam quod temere hoc quod ipſis nullo iure competere poteſt, vſurpãt, ſe ſeq; alienis immiſcent negotijs vt mirum non ſit ſi Sereniſſimus Princeps omnia iſtorũ acta, factaq; improbet impediatq; quo minus effectum ſortiantur ſunt enim contra omnem iuris regulam, & naturæ æquitatem atque Sanctorum Patrum decreta, illudq; paſsim tractant canoniſtæ quod videlicet patronus ſi labatur in hæreſim perdat omne ius quod habebat in eccleſiam adiuncta diſtinctione, an. ſ. lata fuerit contra ipſum ſententia vel non exiſtentem in hæreſi, & primo caſu non recuperat ſecundo vero ſic.

11 Verum melius dicendũ videtur quod vbicunq; præceſsit bonorum publicatio ab homine vel à iure non recuperat quis bona per pœnitentiam quia cõmiſſum ſemel non retractatur c. vergentis de hæret.

&

& l.commiſſam.ff. de pub. niſi Princeps de gratia eum reſtitueret ad priſtina bona, ſi autem publicatio bonorum non eſt facta, ſed ſolum perdidit quis exercitium ſuorum iurium vt in excommunicato & ſciſmatico, tunc iſti integre recuperant bona ſua ex quo redeunt ad vnitatem. Teſtatur id Pauinus in tract. de ſed. vacant. in 2. p. in 5. q. in vlt. col. & glo. 1. q. 1. in cap. hanc regulam, §. nemo in hæreſi. aliter tamen eſt cum patronis hęreticis qui ne dum exercitium iuris, ſed omnem poſſeſſionem eiuſdem perdunt ex hoc quod hęretici facti ſunt, teſtatur id Gayc. c. fin. de elect. lib. 6. in 4. col. & expreſſius poſt medium 44. col. quod. ſ. ſint priuati omni iure pat. tanquam committentes crimen læſæ maieſtatis, & Paulus de Cittadinis in 14. p. in verſ. c. perditur, dicit quod Iuspat. perditur ſi patronus efficitur hæreticus cum per tale crimen hęreſis ſint bona ſua omnia ipſo iure confiſcata. c. cum ſęculum verſ. bona hæreticorum de hęret. lib. 6. & adducit ibi rationem quod ſicut hæreticus non poteſt à principio ædificare vel dotare Eccleſiam vt acquirat iuspat. l. Manicheos. C. de hęret. ita dicendum eſt ipſum priuatum iure pat. per ſuprauenientiam hæreſis, cum eædem rationes in eo militentur, at vero ſi reuerſus fuerit ad fidem Catholicam talis hæreticus patronus recuperat ius priſtinum, idem de Cittadinis dicit eſſe de hac re controuerſiam & adducit opinionem gloſ. in cap. maximum & cap. quia diligentia de elect. & ſic dicit recuperare, niſi ſit lata ſententia contra talem hæreticum. Dominus Rocchus in tractatu de iure pat. in verbo competens in q. 10. dicit quod ſi patronus labatur in hæreſim amittit Iuspat. & ex hoc non poteſt acquirere, allegat Archid. in cap. quicunque fidelium 16. q. 7. imo tanto magis debet priua-

ri illo iure, ne conſequatur ius ab Eccleſia qua ſe indignum reddidit ab eademq; temerario auſu receſſit, quia fruſtra implorat legis auxilium qui committit in legem. l. Auxilium. ff. de minor. ideo Iudæus tanquam abſciſſus ab Eccleſia delinquens non ſeruatur in Eccleſia c. inter alia & ibi Abb. in 2. col. ver. 1. igitur quæro, de imm: eccle. An vero recuperet ius pat. reuerſus ad eccleſiam, tenendum eſt iuditiũ Abbatis in c. quia diligentia de electione: quia ex quo ipſo iure hæreticus eſt priuatus omnibus ſuis bonis & ſic iure pat. acquiſitum eſt illud ius Eccleſiæ, & ex conuerſione illius non poteſt illud ius tolli Eccleſiæ, cum res ſemel libera facta non recipiat ſeruitutem maxime eccleſię, quia rei ſacræ ſeruitus imponi non poteſt. l. ſeruitutes. §. vlt. ff. communia prædio: & voluit glo: in c. piæ mentis 16. q. 7. nam ius pat. eſt quædam ſeruitus vt notatur in c. ſignificauit de teſtibus & quod Eccleſia facta libera non poteſt effici patronata c. quicunq; 16. q. 7. & l. vltima. ff. de vſu & habit. vbi Dominus rei non poteſt vſum rei immutare etiam in melius, inuito vſufructuario, neque per Papam ius tertio quæſitum tolli poteſt c. ſuper eo de off. deleg. quanto minus comertio hæret. poterit Eccleſiæ præiuditium generare, cum in fauorem Eccleſiæ ſemper ſtatuendum & ſentiendum ſit; in odium vero hæreticorum iudicandum.

Viſo nunc quid ius pat. vnde originem habeat, & quomodo ad Laicos pertineat, ſequenter conſiderandum eſt ſecundum membrum, ob quod ponitur cap. vigeſimum quintum.

CAPVT

CAPVT XXV.

Quibus modis acquiratur Iuspatronatus?

HOſtien: in ſumma quinq; ponit modos ſeu cauſas, ex quibus Iuspatronatus procedit; ſc: fundationem Eccleſię, dotationem, ditationem, dationem fundi, reędificationem, quos nos ordine breuiter recenſebimus.

Prima itaq; cauſa ſeu modus, ex quo oritur Iuspatronatus, eſt fundatio Eccleſiæ, cũ enim Iuspat. Eccleſiæ cauſetur ab ipſa Eccleſia, & Eccleſia non poteſt ſine fundatione ſtare, neceſſaria ſanè ipſius Eccleſiæ cauſa erit fundatio, & per conſequens Iurispat. vt dicitur in c. frigentius 16. q. 7. quod qui cõſtruxit vel fundauit Eccleſiam, ad illum etiam pertinebit, illam prouidere & tueri, & proceſſionis aditum ad illam habere. Verbum autem fundare dupliciter accipiendum eſt, nam fundare dicitur aliquando pro eo qui dat fundum ad fundandum, & ei acquiritur Iuspat. aliquando dicitur pro eo, qui facit ędificare, cui ſimiliter illud Ius acquiritur; proprie verò fundare dicitur, qui ſuis proprijs ſumptibus conſtruit Eccleſiam, ſic Panor. in Rub. ead. c. monaſterium 16. q. 7. Vnde quia variè accipitur vocabulum fundatio, non immerito videndum erit, quę & qualis fundatio faciat ſatis, & ex quibus bonis illam et fieri debeat. nam volenti incipere, & poſtea pœnitenti, nihil acquiritur ex tali propoſitò, Ius enim patronatus acquiritur ex fundatione & conſtructione Eccleſiæ, quæ exſtructa dici non po-

teſt, dum aliquid ſuper eſt conſtruendum, ſicut nemo aſcendiſſe arborem vel domum dici poteſt, qui de præſenti aſcendit, nec qui vult ædificare dicitur ædificaſſe, neq; qui vult eligere dicitur elegiſſe glo. in l. ſerui electione. ff. de legat. 1. ſed ſic eſt quod omnia Iura loquentia & concedentia Iurapatr. ex conſtructione vel fundatione, loquuntur in præterito, fundauit, vel fundaſſe, vt in c. piç mentis, & c. frigentius 16. q. 7. quod verbum de ſui natura actus perfectionem importat, non inceptiouem tantum, notatur in l. ſiquis verſ. quod ſi dum proponitur ff. de Iurisdict. om. Iud. ideo ſtatutum puniens, qui Balbum, v. g. exportauit de ciuitate, non puniet exportantem, quia adhuc non perfecit, vt ſtatutum loquitur, pro vt tenet idem Bal. in l. ſiquis non dicam rapere. C. de Epiſc. & Cler. Ergo neq; tali inceptori erit Ius acquiſitum, etiamſi habuerit voluntatem perficiendi, & non perfeciſſet, & alteri iſtam voluntatem exequendi mandatum non reliquiſſet, ſed paſſus fuiſſet alterum perficere, non acquiritur Ius pat. quia voluntas in his quç ſunt facti, vt ædificare, ſiſtat per mille annos in cogitatione, non habetur pro facto, notatur in c. 1. extra, de eo qui mitti in poſſeſ. Si autem per alium ordinaſſet perfici impeditus morte vel alio modo, quia per eum non ſtetit, quo minus conſtruxit, is tunc conſtruere dicitur, l. vter ex fratribus. ff. de condit. inſtit. tunc huic indubitate acquiritur Ius vel hæredibus ſuis, qui enim per alium quid fecit, per ſeipſum facere videtur, regula qui per alium de reg. iur. in 6. alias non.

Nec refert quod bona voluntas cum charitate ſit Deo accepta, & pro facto habeatur apud Deum, vbi non impletur per impoſſibilitatē, non tamen apud homines habetur pro facto, niſi ſequatur effectus,

vt volo dare eleemoſynas vel ire ad Sanctum Iacobum, iſta enim requirunt actum, & ideo non ſufficit ſola voluntas, pleniſſime per Archid. in c. qui bona §. qui ergo, 16. q. 1. in alijs vero vbi ſola voluntas ſufficit, non requiritur factum de neceſſitate, vt in offendendo Deum, qui ſola hominis voluntate affligitur, & grauius ex facto, cum ſola voluntas pœnitentia poſſit amoueri, factum autem non, ideo dico quod non ſufficit velle incipere conſtruere, ſed oportet, quod ſit cōſtruxiſſe & perfeciſſe, ad id quod Iuspat. acquiratur. Pari modo dicendum videtur, de eo qui reędificat, ſeu reſtaurat Eccleſiam deſtructam ex conſenſu Epiſcopi, cum alias reſtaurare nō poſſit, cum Hoſt. in tit. de Eccleſiis edif. in fine videtur diſtinguere inter facere, & reficere, an acquiratur reſtaurāti, an vero illi, qui primo ædificauit, quo in caſu tenet Hoſt. in tit. de iure pat. quod acquiritur ius reædificanti §. 1. aut: vt nullus fab: orat: do: col. 5. verſ. ſi autem non ſufficiat, vbi vult Imperator quod aliquis poteſt etiam ſtantē vetuſtiſſimam Eccleſiam accipere ruinæ periculum habentem, & cum Epiſcopi conſenſu illam reparare, vel reædificare, & dicetur fundator, vel ædificator illius Eccleſię, & per illum textum tenet ibi Angelus quod acquiratur reædificanti Iuspat. nec mouere debent aliorum in contrarium dicta, volentium quod iſta reędificata Eccleſia ſit eadem cum prima ideo ſeruitus imponi non poteſt, vt eſt iuspat: quia dico hoc eſſe verum, vbi ex eadem materia eſſet in totum refecta; vel quādo in aliqua parte tantum reficeretur, diceretur eadem, ſecus vbi tota diruta reædificatur: quia Eccleſia diruta non amplius eſt Eccleſia, ſicut mortuus homo non eſt homo, ita ergo dicitur deducere ad eſſe naturaliter ille qui reficit ſicut qui

à principio facit. Verum tamen eſſe puto quod hoc ſaluetur neceſſarium fore, vt reædificare volens, interroget primum fundatorem, ſeu patronum ſi velit ipſe reficere, quo loco tunc cæteris omnibus eſt pręferendus, quod ſentire videtur glo. 1. in fine in c. quoniam de Iurepat. Vt ergo Iuspatr. acquiratur per fundationem oportet quod ſit facta iuris ordine ſeruato. ſ. cum authoritate Diocœſani, cum aliter Eccleſia fundari non poſſit, niſi ipſe Diocœſanus veniat, vel mittat, & crucem figat, & orationes ad Deum fundat, atrium deſignando c. Nemo. de conſec. diſt. 1. §. illud autem, alias ſi ſecus facta fuerit fundatio poteſt Epiſcopus ad placitum talem Eccleſiã reuocare. c. cum olim de priuil.

Neque ſolus iſte conſenſus Epiſcopi ſufficit ſed oportet etiam quod ædificare volens dotem pro eadem Eccleſia aſſignet ſufficientem, & competentem, quæ eſt ſecunda cauſa vnde iuspat. exoritur, dicitur autem dos illud ipſum quod à muliere datur, vel eius patre marito propter onera matrimonij vt perpetuo idem dum viuunt ſint penes eum. l. 1. §. profectitia. l. etiam, l. ſi & Nuptura. ff. de iur. dot. & hæc dos dicitur proprium matrimonium mulieris l. tertia. ff. de minor: quæ definitio etiam eſt ſecundum Azonem in tit: de iure dot: quam reprobat Barth. in rub. ff. ſoluto matrimonio quia etiam ſine datione conſtituitur dos, ideo definit Barth. quod eſt ius incorporale complens in ſe quod à muliere, vel èius patre datur, vel pro dato vel tradito habetur, & ſic eſt vniuerſale nomẽ, ſicut hæreditas, quod valde vtiliter dicit Barth. Dicitur autem dos à dando: quia communiter datur licet aliquid pro dote remittatur, ſed remittere etiam eſt dare dicta leg. ſi ei. & ad hoc vt ſit dos neceſſario requiritur quod ſit

matri-

matrimonium l.3.ff.de iure dot. alioquim non dicitur dos ſecundum iſtam ſignificationem, vnde ſicut dos datur marito propter onera matrimonij & incumbentia, ita datur Eccleſiæ ad cuſtodiendam illam luminariaque, & ſimilia præſeruando & quia non dicitur dos ſine matrimonio, ideo dico quod Eccleſia dicitur dotari eo quod Eccleſia eſt ſponſa quę Sacerdoti Chriſti locum repræſentanti coniungitur vxor & ſponſa, quam Sacerdos caſte habere cogitur & ſyncere tractare, & ſicut vna mulier non poteſt duobus eſſe nupta maritis, ita vna Eccleſia vni Sacerdoti coniungenda eſt, Eccleſia enim Chriſti vxor eſſe debet non ſcortum ideoq; videmus vnum Epiſcopum, vni Eccleſiæ Cathedrali præeſſe, & vnum Parochum, vni Parochiali niſi vbi magnā exiſtit cauſa, & neceſſitas quod duos inſimul ſuſtineat. c.1.de Paroc.

Sicut autem non omnis ſufficit fundatio, vt ſupra ſic etiam non omnis dos, oportet enim eū, qui vult dotare ita dotem conſtituere, vt ſecundum quod contendit fundare etiam dotet, neque etiam ex qualibet dotatione acquiritur Iuspat. ſic non ex qualibet fundatione ideo dico ſi quis fundat monaſteriū ad minus cogitur id dotare pro perſonis idoneis vt .ſ. ſint Præsbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Cantores, & Lectores glo. in c. cum ſicut. de conſec: Eccleſ: auth: vt determinatus ſit numerus Clericorum col. 1. ſi vero collegiatam Eccleſiam, tunc debet dotare pro numero collegiatorum quem intendit, & ſecundum qualitatem Collegij 21.q.1.c.1.& ibi glo. in verbo neceſſitatis. vult quod debeat haberi conſideratio in dotatione Eccleſiæ quo ad onera Epiſcopalia, & quo ad hoſpitalitatem, vt poſſint hoſpites recipere.

Panorm. in dicto cap. cum ſicut dicit non eſſe onerandos patronos in ipſa dotatione, ne expenſarũ magnitudine deterreantur à fundatione, vel dotatione. Si autem ſimplicem Eccleſiam quis fundat tunc pro Præsbytero cum Clerico ſaltem debet dotare c. placuit 1. q. 2. aut fundat quis cappellaniam, & tunc tanta dos aſſignanda eſt quæ ſufficiat ad victum presbyteri in ea inſtituendi, & Clerici in diuinis offitijs coadiutoris eiuſdem c. placuit 1. quæſt. 2. alias poterit aſſignari competentia ſecundum arbitrium Epiſcopi. §. ſiquis autem in aut. de Eccleſ. tit. videtur enim hoc totum pendere ab Epiſcopo, quoniam ſi minus dotata fuerit ſufficienter, non poteſt inſtitutus in ea quærelam mouere contra eundem Epiſcopum, ſed aliunde ſibi in neceſſarijs prouidere vt ex artiſitio honeſto, aut ex induſtria docendo, aut ſcribendo, iuxta tex. in c. Clericus 1. diſt. 91. glo. in eadem diſt. in verbo qui autem, dum tamen non ex hoc ſubtrahatur à diuinis offitijs : ex quo videtur minus religioſus illorum zelus, qui plurium in Eccleſia Dei de nouo munerum excogitare nituntur fundationes, vt tot tantarumq; miſſarum aliorumq; Dei offitiorum, cum non conſiderent pro ijs vt rite & decenter peragantur neceſſarios eſſe miniſtros & executores, qui ſine ſufficienti & decenti ſuſtentatione, talibus ſimilibusq; operam dare nequeunt, quare videmus ex tanta inconſideratione ne dum nouas fũdationes negligi ſed antiquiſſimas piorum fidelium voluntates ſanctasq; fundationes prætermitti, ſicut ergo pium, & religioſum eſt cultum Dei amplificare, ita decens eſt minimeq; ommittendum, ea omnia, quæ pro illo conſeruando requiruntur efficere, & prouidere. Neque licitum eſt votum illud redimere illicitis quibuſdam pactioni-

bus

bus & ſolutionibus vt paſſim contingere videmus, quod aliud non eſt, quam diſcooperire vnum altare, vt aliud cooperiatur quod prohibitum eſt in l. fi.§. ſiquis & ibi Bald. notat. C. communia de leg.

Ob id ſicut non ex omni re fundari liet, ſic nec ex quibuslibet bonis indiſtincte dos Eccleſiæ aſſignari debet ea enim quæ manent reſtitutioni obnoxia ad dotis naturam conferri nequeunt, aut quæ illicito titulo accipiuntur, aut repetuntur ab alio, Eccleſiæ dotem non important, eodem enim planè modo conſtituitur dos Eccleſiæ atq; mulieri ideoque ſicut maritus tenetur pro dote mulieri ſic prælatus Eccleſiæ, eo .ſ. caſu ſi per negligentiam prælati ſtaret quo minus rectè dotaretur Eccleſia, ita etiam eccleſia dicitur Chriſti ſponſa, ſicut ſponſa ſui ſponſi ergo eodem modo debet poſſe conſtitui dos in matrimonio ſpirituali ſicut in carnali, eſtque de ſimilibus ad ſimilia bonum argumentum leg. nō poſſunt cum ibi notatis. ff. de leg. & in dubio illud attendendum eſt, quod dotibus fauet. c. Nuper, de dot. inter vir: & Mul: rect: poſt diuort: ſed fauorabile eſt vt quomodocunq; poteſt dos conſtituatur Eccleſiæ, quamuis ſub vno termino tantum conſtituatur, & cum certum ſit quod varijs modis ijsque licitis mulieri dos conſtituatur ergo etiam oportet quod Eccleſiæ, cum magis fauendum ſit Eccleſiæ quā ſæcularibus l. ſunt perſonæ. ff. de relig. & ſump. fune: ad hæc eadem priuilegia competunt doti eccleſiaſticæ, quæ doti mulierum propter omnimodā inter ſe ſimilitndinem, imo plura competere debēt priuilegia eccleſiæ doti quam mulieris, quorū plura leguntur in ſpeculo tit. de dot reſt. poſt diuo: & l. Aſſiduis C. qui pot. in pig.

At vero ſicut non ex omni re dotare licitum eſ-

ſe

ſe diximus, ſic neq; fundare, adeo quod ſi fuerit fundatio ſic facta, iuspat: illi non erit quæſitum, quia de illicite quæſitis, vt vſura & ſimili illicito lucro, non poteſt fieri elemoſina, multo minus aliud opus ſtrui vt eſt fundare ditare, vel dotare aut conſtruere Eccleſias; quia iſta omnia comprehenduntur ſub appellatione elemoſinę, sm̃ D. Bonauent. in 4. diſt. 15 part 2. art. 1. q 4. vbi elemoſina communiſſime accipitur ſecundum omne opus miſericordiæ impenſum ſiue proximo, ſiue ſibi, communiter vero accipitur ſecundum quod omne opus pietatis proximè impenſum importat, ſiue corporale, ſine ſpirituale proprie ſecundum quod importat omne opus pietatis ad releuandam pauperis indigentiam.

Quod vero de talibus male acquiſitis, non poſſit fieri elemoſina, nec aliquod opus pium probatur in c. non putandum 1. q. 1. vbi aſſignãtur tres rationes prima quia hoſtiæ impiorum ſunt Deo abhominabiles, ſecunda quia Deus iuſtis laboribus adorandus eſt. Tertia quia affert ſacrifitium de ſubſtantia pauperis perinde eſt, ac ſi filium victimet, & hoc vult ibi glo. ſecunda, quod de male quæſitis quorum dominium translatum eſt, ſed datur repetitio, vt in vſura non poterit fieri elemoſina, nec ædificare eccleſia ex talibus bonis. Idem tenet glo: Notabilis 14. q. 5. in ſumma, diſtinguendo, an detur repetio, vt in vſura, nam non fiet elemoſina de illis reſtituendis c. debitores de Iur: Idem eſt in ſimoniacè acceptis c. veniens de Simo. Idem in bonis inuentis nõ habitis pro derelictis, abſconditis ab inuentoribus, quia tunc dicitur furtum. c. ſi quid 14. q. 5. Quid aũt in theſauro gloſa ibi diſtinguit verbo. item & hoc ſcias, quod ſi quis inuenit theſaurum in loco proprio ſtatim inuentoris eſt, ſi autem in loco alieno,

& caſu fortuito cum inuentus, dimidius ſit inuentoris, & dimidius ſit Domini loci, ſi vero ſtudioſe quæſiuit, & inuenit eum in loco alterius, totus erit Domini loci, ſi vero in ſacro. vel religioſo loco, caſu fortuito totus eſt inuentoris, & ſic C. de theſ. leg. Nemo lib. 10. idem eſt in nummis datis Iudici etiam propter iuſtum iuditium obtinendum. c. non licet 11.q.3. multo minus propter iniuſtum, de quibus datur repetitio cap. non ſunt 14.q.5.

Quid vero de male quæſitis quorum dominium translatum eſt; nec datur repetitio vt in datis meretrici vel ſimili, an ex illis poſſit conſtrui Eccleſia? credo ego meliori iuditio reſeruato quod ſic, eſt glo. in c. non putandum 1.q..11. quæ vult meretrices poſſe facere elemoſinam ex ſuo meretricio eo quod translatum eſt domnium, nec datur repetitio l. Idem, & ſi §. quo. ff. de condit. ob turp. cau: Idem tenet glo: in ſumma 24.q.5. quia poteſt fieri elemoſina de omnibus bonis, quæ ſunt in dominio dantis, nec reſtitutioni ſunt obnoxia, vt concludit Archid. poſt glo. in dicto c. non putandū, neq; obſtat quod dicitur in dicto c. non putandum quia hoſtiæ impiorum ſunt Deo abominabiles, cum alijs ibi adiunctis rationibus, quia loquuntur, quādo quis talia illicitè acquiſiuit & ad rationem tenetur, tunc non licet de talibus facere elemoſinas, vel aliud aliquod opus pium cum talia bona non dicantur ſua ex quo reſtituenda ſunt. Vnde meretrix licet illicite acquirat tamen acquiſitum poteſt retinere, nec id repetitur dicto §. ſed quod meret: ſicut non licuit triginta denarios mittere in corbonam, quia precium ſanguinis erat, at vero exinde licuit emere agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Mat. 17.

Si autem fundatio ſeu dotatio facta ſit de fructi-

bus rerum male quęſitarum, an ſit idem quod de ipſis rebus ſentiendum, dico idem quod de ipſis rebus: quia fructus ſuccedunt in locum earum ideo ne cex ſructibus poterit fūdari prout videmus fieri in vſura, vbi, quidquid ex vſura capitur ita cadit in reſtitutionem, ſicut & ipſa vſura & hoc quando ex pretio dictæ rei malè quæſitæ lucratur, ſi autem ex pretio quid recipit, nomine vſurarum aliquid lucraretur ex induſtria ſua tunc ex tali lucro poſſet conſtruere eccleſiam quia illud quod quis lucratur eſt pecunia vſuraria, videtur lucrari ex ſua induſtria, cum pecunia non ſit apta parere fructum ſecus ſi ex fructibus prouenientibus ex vſura lucraretur, nec huic obſtat lex qui vaſ. §. in fine .ff. de fur: vbi numus collectus ex re furtiua, non dicitur furtiuus & ſic pretium male acquiſitum rerum, non ſequitur vicarium rei à qua procedit, vnde deberet poſſe fieri conſtructio Eccleſiarum de illis, quia ſolui illud poteſt, vt procedat, quo ad vitium furti, cum contra ipſum furem poſſit agi ad rem condictione furtiua, toto titulo ff. de condit. furt. & ad rei æſtimationē, ad quadruplum, §. pen. inſtit. de obligat. quę ex delicto pro: cum ergo non ſit in furem translatum dominium rei furtiuæ, neque pretij rei, ideo etiam ſit quod ex tali pecunia Eccleſiam conſtruere prohibitum ſit cum neque elemoſinam exinde facere quis poſſit. Tertia cauſa ex qua oritur Iuspat. eſt ditatio vt quando quis ditat Eccleſiam iam dotatam puto eum poſſe dici habere Iuspat: cum dotantibus ſi cū eorum conſenſu hoc fieret, nec aliquid ſpetialiter in Eccleſia fundaret, ſic vt vnicum Iuspat: acquireretur pluribus à principio inæqualiter dotantibus Panor: in c. ad audientiam de Eccleſ. ædifi. notat aut ditat aliquis Eccleſiam ſpetialiter puta altare vel

capellam fundando, vel nouam pręben dam in dicta Eccleſia, tunc in ſola ditatione acquiritur iuspat. Quod intelligo quando dotans, vel ditans, vel fundans, ſibi vult Iuspat. reſeruare, vel poſteris, tunc poteſt, alias ſi ſimpliciter quis fundaret ditaret, vel dotaret, non puto quod ſibi acquireretur Iuspat: ſed ordinatio quando nõ eſſet intra limites alicuius Eccleſiæ, neq; per hoc efficeretur patronus ipſe Epiſcopus: quia licet ad eum ius Epiſcopale ſpectet tamẽ Eccleſia erit libera, & hoc tenet Archidiaconus in c. nullum 16. q. 7. nec populus pręſentabit ſecundum eum, cum non reperiatur factum, ſi autem talis Eccleſia eſſet poſita intra limites alterius, tunc rector Eccleſiæ habebit præſentare, quaſi ex fundo dato ad fundandum, acquiratur ſibi Iuspat.

Quarta cauſa eſt reparatio vel ædificatio Eccleſiarum vnde Iuspat. oritur Hoſt. vt ſupra tit. de Iur. pat. §. ex quibus, vult quod ita acquiritur Iuspat. ex reparatione, ſicut ex ædificatione, eo quia ita dicitur ędificator ille, qui reparat ſicut qui de nouo ædificat §. 1. auth. vt nullus fab. or. docet ipſe Barth. ibi expreſſe. hæc cauſa dubia valdè in ſe videtur, ſiquidem, cum ex reparatione etiam Iuspat. acquiratur videtur inferẽdum priorem ædificatorem ius ſuum vel perdidiſſe, vel ſimul cum ſecundo reparatore retinere, quare videndus eſt Barth. in dicto §. .i. illius aut: vt nullus, qui incidenter loquens ponit notata per cap. etiam de iur. pat. ſed quia nullum eſt caput quod incipiat etiam, forte voluit dicere cap. quod incipit eam te in quo nihil dicitur, magis tamen facere videtur glo. in c. Nobis eadem in verbo in capella, vbi per quinque rationes tenet quod capella non poteſt fieri Eccleſia collegiata inuito patrono primo per cap. Monaſterium 16. q. 6. Secundo quia

ſic vt Iuspat. nõ poteſt directo auferri à patrono, ſic nec indirectè per glo: in verbo. effectum c. tuæ de procur. 3. quia ſua intereſt ne hoc fiat cum eo vergente ad inopiam debeat ab ipſo ali. Quarto ne Laici retrahantur à prouiſione eccleſiarum. Quinto quia ſicut non poteſt Dominus vſum rei mutare in melius vſufructuario inuito etiam dato quod capella poſſit fieri eccleſia collegiata, non tamen deberet perdere Iuspat. & ſic deberet poſſe præſentare Rectorem, ergo eodem modo deberemus dicere de reædificatione, quod non deſinat primus eſſe patronus dato quod alius reædificet, niſi primus vellet ad hoc conſentire, tunc ſine iuris proteſtatione tranſiret ius eligendi ad collegium, ſic in quæſtione tranſiret ius præſentandi ad reędificantem, & etiã quod non deſinat primus patronus, videtur facere regula id quod noſtrum ff. de reg. iur. vbi nobis ius acquiſitum non poteſt auferri ſine noſtra voluntate, cum ergo ex ruina, nil poſſit imputari primo patrono, videtur quod deſinat eſſe patronus, nec obſtat quod huic reędificanti de nouo acquiratur Iuspat. quia nihil impedit quin pluribus acquiratur Iuspat. in ſolidum ex diuerſis cauſis, ſicut de pluribus fundantibus in c. ad audientiam de eccleſ. ædif.

Quod vero non poſſit fieri capella, eccleſia collegiata inuito patrono primo tenet Hoſt. in c. ſuggeſtum de Iurepat. & videtur comm: Melius vero ſic diſtinguendo dicimus, aut primus eſt patronus ex fundatione ſola, vel datione fundi ad fundandum & tunc acquiritur Iuspat. reædificanti tantum, aut eſt primus ex fundatione, & dotatione patronus & tunc etiam acquiritur reædificanti Iuspat. ſimul cũ primo quia negare non poſſumus, quin data dos nõ tranſeat in loco qui denique remanet religioſus, &

tranſit cum onere ſuo, ita in ſimili tenuit ſpecul. in tit. de Iurepat. in fine vbi vult quod ſi monaſterium aliquod deſolatum vniatur alteri monaſterio vt in c. 3. de ſtatu monachorum, quod patronus primi monaſterij ex ſola fundatione, vel fundi datione non erit ideo patronus in ſecundo, ſecus ſi eſſet patronus ex datione, quia tūc remanebit patronus in monaſterio in quo debet celebrare, c. & temporis qualitas 16. quæſt. 1. & ſic teneo quod in iſta quæſt. non remaneat patronus niſi ex dotatione eccleſiæ, qui fuit in eccleſia patronus, antequam reędificaretur, & ſic tenet. glo. in c. quoniam de Iurepat.

Quinta cauſa eſt ex præſcriptione de qua in cap. 27. alij modi ab alijs referuntur, vt eſt ex priuilegio ſingulariter conceſſo à Summo Pontifice, ſiquidem enim Pontifex vt Chriſti Vicarius benefitia creauit diſtinxitq; miniſtros, in eiſdem inſtituit & præfecit, dubium non eſt eundem ex plenaria ſua poteſtate ipſis Laicis, alias incapacibus præſentandi ad benefitia huiuſmodi licentiam & facultatem conceſſiſſe, neque minus id fieri debuit, quam aliud ſiquidem collationem priuilegio conceſſit Excellentiſſ. Regibus Galliæ vt ſupra ad initium cap. primi de iure pat. proculdubio id etiam Laicis concedere potuit plus enim eſt collatio quam præſentatio nam plenum ius tribuitur per collationem, & collatio importat, ſeu compræhendit præſentationem inſtitutionem, electionem atq; confirmationem vt per ſcribentes in c. cum illis de prębend. lib. 6. Conſequitur & alio modo. ſ. conſuetudine Iuspat. & præſcriptione, quod enim lex poteſt ſcripta, hoc valet efficere conſuetudo. Verum quia hęc conſuetudo concurrit cum præſcriptione ideo de illa ibi dicemus.

Pro quibus omnibus ſubiungendum eſt ſacri

Con-

Concilij Trid. patrum ſeſſ. 14. de reform. c. 12. decretum: Nemo etiam cuiuſuis dignitatis Eccleſiaſticæ vel ſæcularis quacunq; ratione, niſi Eccleſiã, beneficium, aut capellam de nouo fundauerit & cõſtruxerit, ſeu iam erectam quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis proprijs & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, ius patronatus impetrare aut obtinere poſſit aut debeat. In caſu autem fundationis aut dotationis huiuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſeruetur.

CAPVT XXVI.

Quid vtilitatis ſecum adferat Ius patronatus quidue oneris?

ETſi multum ſemper tributum fuerit patronis Eccleſiarum, ob ſeruitium pium & vtile quod Eccleſiis impartiti ſunt, ita tamen moderamen adhibendum eſt, vt ſic patroni intelligantur, ne dominari velle videantur, habent ij ſanè primum aditũ ad Eccleſiam eminentioremq; locum accipiant, plurimumq; ipſis defertur ob fauorem Eccleſiæ, nec derelinquendi ſunt in maxima neceſſitate, ſed illis tibunendum ex reſiduis bonis Eccleſiæ, vt ſic & ipſi animentur, & alij excitentur ad benefaciendum Eccleſiis locisq; pijs & religioſis, idq; Iure atq; officio Iudicis competere debet, vt eſt in l. ſiquis à liberis in princ. ff. de liber. agnoſc. ſicut enim naturaliter tenentur parentes filijs prouidere omnia neceſſaria l. 1. ff. de Iuſt. & Iur. ſic viciſſim patronis ab Eccleſia honor Reuerentia & debitum ſubſidium vitę, ex quo caſu emergente ad inopiam redacti ſunt, vel

boua

bona ſua Eccleſiis dando & fundando, depauperati ſunt. ſicq; illis Eccleſia obligatur ad antidora, vt benefacienti benefaciamus, quæ eſt naturalis obligatio l.ſed ſi lege.§.conſuluit.ff. de petit.hæred.non poteſt tamen ſibi aliquem inde ſuper Eccleſia conſtituere cenſum, vel temporale aliud aliquod lucrũ, ſub interminatione excommunicationis niſi tempore fundationis hoc obtinuiſſet à Diœceſano vel Papa, illud enim quod de conſenſu Diœceſani reſeruauit vel annuum vel ſemel tãtum poterit exigere; in plus autem non poterit grauare Eccleſias ſub eadem pœna excommunicationis vt de hoc ſtatuitur in c.præterea de Iur pat.& ibi dixit Panor.quod nec Cereos, nec aliquod aliud ſeruitium poterit ab Eccleſia exigere, multò minus, vt fieri aſſolet, ab alijs poterit aggrauare Eccleſiam canibus vel auibus, putà vt ſibi alatur accipiter vel alia auis ſub excommunicationis pœna, aliqua autem munuſcula leuia poterit accipere ut poma & ſimilia, non tamen cogere. Ad idem quod non poſſit ſeruitium Eccleſię imponere eſt c.tributum 13.q.fin. & clarius in c. filijs 16.q.7. vbi prohibentur patroni aliquam partẽ ſalutaris mercedis recipere, & ſi receperint, ſub excommunicationis pœna & magna confuſione cogũtur reſtituere, & per Hoſtien. in c. non minus, &c. aduerſus de immunit. Eccleſiæ, ipſo iure incurrunt excommunicationem quando ſcilicet moniti non deſiſtunt.

At verò peior eſt eorum patronorum affectio in Eccleſias quã ſibi non tuitionem illius vſurpant, ſed dominium & proprietatem euincunt in Eccleſias, dum inſtituunt & deſtituunt, bonaq; Eccleſiarum ſuo libito diſpenſant cuiuſmodi illorum cura ſuper uacanea eſt, & non ſalutaris, prò vt debent habere

erga

erga Eccleſiam, ſic eſt textus in c. filijs 16. q. 7. Vnde ſecundum Canones ipſi patroni non dicuntur concedere Eccleſiam patronatam Clerico, neq; etiam poſſunt, ſed ſolum præſentare c. conſuluit. de Iure pat. quod verum eſt & locum habet ſiuè patronus ſit Laicus, ſiue Clericus c. fin. vbi dicitur, ex vi Iuris patronatus non conceſſio ſed præſentatio ad patronum pertinere.

Clariſſima huius rei eſt conſtitutio in Sacro Concil. Trid. ſeſſ. 14. de reform. cap. 13. dicentis: Non liceat præterea patrono cuiuſuis priuilegij prętextu aliquem ad beneficia ſui iuris patronatus, niſi Epiſcopo loci ordinario, ad quem prouiſio ſeu inſtitutio ipſius beneficij ceſſante priuilegio iure pertineret, quoquo modo præſentare: alias præſentatio ac inſtitutio, forſan ſecutæ, nullæ ſint, & eſſe intelligantur.

Vnde & illud eſt quod patroni non poſſunt donare Eccleſias vel Iuspat. quod habent ſine Epiſcopo c. quod autem, eod. illud autem facere poſſent, ſi domini eſſent directi, vel aliquid proprietatis haberēt in Eccleſiam: quorum ea eſt ratio, quod proprietas eccleſiarum ſoli epiſcopo ſit reſeruata, in cuius territorio ſunt fundi eccleſiæ & omnes baſilicæ, quę per diuerſa loca conſtituuntur, vel conſtructæ ſunt, in ſolius epiſcopi poteſtate conſiſtunt, in cuius territorio ſunt poſitæ. Et quia nulla etiam eccleſiaſtica perſona, quacunq; dignitate ſit decorata, poterit ſine epiſcopi conſenſu eccleſiaſtica beneficia cõferre 16. q. 7. omnes baſilicæ c. nullus. niſi eſſent ſpecialiter emptę eccleſiæ, vt per concordantes & Archid. ibi. Cum ergo proprietas ſit penes epiſcopum, ſaltem quoad adminiſtrationem, apud patronos eſſe non poterit. vulgata lege l. ſi vt certo. ff. cõ

mod.

mod. dicitur enim patronus non dominus, ſed aduocatus, quantumuis honoretur. ſic Bal. in l. fi. col. pen. C. de edic. D. Hadr. tol. dicit patronum non eſſe dominum verè eccleſiæ, ſed abuſiuè dominum appellari.

Paulus vero de Cittadin. in tract. de Iur. patr. in 6. p. in 12. q. ar. 4. dicit. Iuspat. non facere dominū, imo nullum Iuspatronatus illi adferre, ſed ſolummodo ſalutarem ſolicitudinem & curam, per quā cogitur eccleſię prouidere. Vnde videmus (dicit ipſe) patronos non concedere eccleſiam patronatā Clerico, ſed tantum dicuntur præſentare. Pro hoc facit quod dixit Innoc. & ibi Abb. & omnes in c. cum ſuper de cauſ. & propriet. dominium Eccleſiæ non eſſe Rectoris, quanto magis nec ipſa bona, nec ipſa Eccleſia erit ſub dominio patroni. Poteſt tamen largo modo patronus dicere eccleſiam ſuā, ad quod firmandum allegatur Card. in c. ſuggeſtū. de Iur. patr. & per hoc non vitiatur libellus, licet in eo dicat eccleſiam ſuam, vt etiam voluit Abb. in c. pro deorum. de præbēd. & ſi patronus ſit Laicus: ad hoc textus eſt in c. examinata. de Iud. ibi, largo modo dicitur patronatus ius poſſideri, licet ſit incorporeum, & ſic ibi eſt caſus ſecūdum Dom. Anthon. de Roſellir per not. per Bal. in l. ſed & ſi poſſeſſori §. item ſi iurauero. ff. de Iur. quia licet impropriare libelli verbum, vt ſalua ſit intentio libellantis c. cū Eccleſia, de cauſ. poſſ. & prop.

Hinc refert Philip. de Sarra, patronum ratione iurispatronatus quod habet in Eccleſia, poſſe agere rei vendicatione, vendicando ipſam Eccleſiam, ſecundum Abb. d. c. examinata. & ibi Bur. dicere proprie loquendo patronum non habere dominium eccleſię nec poſſeſſionem, quia talia non cadunt in

Laicum. c. cauſam. de præſcriptionibus ſed illum nobilem fuiſſe patronum, quia de cauſa tractatur ad Eccleſiam defendendam & ordinandam ad ſui defenſionem, & hoc poſſe tollerari ſecundum Goffre. & Hoſt. ibi in c. conſiderandum 16.q.7. Dicit inſuper Philippus de Sarra patronum habere quādam quaſi poſſeſſionem reſpectu Iuris & bonorum Eccleſię conſeruandarum, quare patronus poterit vendicare corpus Eccleſiæ quando peralium ſibi auferetur hæc poſſeſſio & libertas, allegat adhoc c. piſanis, de reſtit. ſpol. & 2. hoc dicit, libellum formari poſſe. Vendico talem Eccleſiam, à tali, quia per eam habeo Iuspat. quod dicit eſſe notandum ſecundū Abbat. in d.c. examinata dici præterea Philipp. patronum etiam poſſe inſtare coram Epiſcopo pro reformatione Eccleſiæ ſecundum Gaijs, in repetit. c. fi. de elect. in 6.

Peruerſum vero hominum genus eſt hoc ſæculo, quod omnia in peius minare intendit neq; quod reformetur Eccleſiæ ſtatus ſed quod deformetur cogitat. Videbis certe Eccleſias per Germaniam miſere dilaceratas, ſolamq; lapidum congeriem ſine forma & decoro conſtructam, absq; omni dote deſolatam, nec aliunde hoc euenit quam ex iniuria patronorum & incuria maxima, quæ in eo poſita eſt, quod plus ſibi in bona Eccleſiæ reditusq; vendicant poteſtatis, cupiuntq; magis bona Eccleſiaſtica cenſusq; quam Iura & immunitates Eccleſiarū, & hoc eſt lupo ouem committere. Quomodo egro tales defendent Eccleſiā aut Iura eccleſiaſtica? qui inſidiantur honori Dei & ſanctorum, aut quomodo Patres ſe ſe dicent, & aduocatos ſponſę Chriſti, qui extorres omnis pietatis & religionis, eandem graui ſacrilegio polluunt, raptores magis quam defenſo-

res dixerimus, parricidas plus quam patronos , qui ſuę antiquitatis laudatiſſimarumq; familiarum fundationes memoriasq; conuellunt atq; quod honori Dei cultuiq; diuino dicatum eſt ſacrilego ipſorum vſui & miniſterio nefario applicant, ſtatutum fuit in Concil. Tolet.9.c.1. & in c.filijs 16.q.7.hoc modo: filijs ſeu nepotibus ac honeſtioribus propinquis eius qui conſtruxit vel ditauit Eccleſiam licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam vt ſi Sacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex collectis rebus præuiderint defraudare aut commonitionis honeſtæ conuentione compeſcant aut Epiſcopo vel Iudici corrigenda denuncient, quod ſi talia Epiſcopus agere tentet metropolitano eius hæc inſinuare procurent ſi autem metropolitanus talia gerat regis hæc auribus intimare non differant. Optime quidem patronis Eccleſiarum incumbit ex ſanctorum patrũ authoritate officium vt cum honore quo alios præcedunt in Eccleſiis, earundem ſimul Eccleſiarum honorem & commodum procurent ſicq; ex officio denuncient eos qui bona Eccleſiarum dilapidare minimè vel ſubtrahere velint. at nunc ipſi immemores officij ſui, quod de alijs accuſare debent in ſeipſis arguunt propriasq; conſcientias commaculãt. Sic grauiſſima eccleſia Dei damna ab ipſis patitur qui defenſionem eius ſuſceperant, pro noſtris oculis in infelici hoc ſeculo, dum omnes contra fidem & religionem arma ſumpſiſſe videntur, ſeſe inſolentius in eccleſiæ bona & ſacra ingerere videmus. Nihil tamen minus illorum hominum audacia pollicetur quam ſyncerum ſtudium & vigilem curam pro eccleſiis & fundis eccleſiaſticis, adhoc p̃textu quodam impietati facto, dum leuè quippiam à Sacerdote Catholico perpetratur plenis crepant

buccis, magnamq; eccleſiæ vim illatam clamitant, iilorum furtum collaudantes omnia ſibi licere putant & de rebus eccleſiaſticis ſordidum exercere quæſtum præſumunt, oblationes fidelium ſurripere fidelium fundationes execrari cunctaq; peſſundare, ac inter Laicos diuidere.

Fuit aliquando idem prætextus factus tempore Caroli Martelli patris Pipini, cuius fuit filius Carolus Magnus, is primus inter Reges Franciæ & Principes res eccleſiarum ab eis ſeparauit ac militibus diuiſit quo tempore eius malo exemplo ſolebant Laici homines (vt nunc fit,) inuadere bona Eccleſiaſticorum , Epiſcopatus , & Monaſteria diripere , relinquentes pro ſuſtentatione quantum neceſſarium fuit illis, quid autem ſubſecutum fuerit, declaratur in lib. 1. capitulorum cap. 83. & in c. quia iuxta ſanctorum 16. q. 1. & in vita Sancti Eucherij epiſcopi Aurelianen. iſtius renouationis abuſus cauſa refertur, qui in monaſterio S. Trudonis requieſcit , & hiſtoria S. Rhigoberti Archiepiſcopi Rhemen. quod poſt mortem Caroli Martelli per Angelum reuelata fuit viſio eum in inferno inferiori torqueri ob illam diuiſionem eccleſiarum , & in comprobationem eius aperto eius ſepulchro corpus eius non fuiſſe repertum ſed loco eius dracone͂ exijſſe, inuento interius ſepulchro denigrato. Ferunt viuentem voluiſſe vel promiſiſſe accepta reſtituere, verum nullo effectu ſecuto morte intercæptu͂ & punitum veluti ob ſacrilegiu͂ diuinitus creditur.

Refert Petrus Venerabilis Abbas Elunicecen. lib. 2. de miraculis Comitem Matiſcouen. qui occupauerat tyrannicè res eccleſiarum raptum die ſolenni à dæmone qui in ſorma equitis cum equo nigro aduenit, ingreſſus eius domum oſtio eum eduxit in

vitum, iuſſit equum conſcendere inq; aera ſublimauit, nec vnquam poſtea comparuit : ob quod filius eius Comitis Ouido nomine, cum triginta militibus cluniacum venit, & cum his religionis habitũ ſuſcepit. Narrat Tritemius lib. 1. annal. Francor. Bragobertum regem faſſum eſſe, ſe fuiſſe raptum ante Thronũ Diuinæ Maieſtatis & accuſatum à patronis eccleſiarum quorum bona erant rapta & deſtructa, quod cum non fuiſſet auſus præ conſcientia negore à proprio patrono Diuo Dionyſio fuiſſe defenſum qui precibus ſuis ei pœnitenti tempus obtinuit, & ob id Vauit & fundauit monaſterium in loco dicto de Vinſemburg cum adiacentibus ſyluis.

Quod ſi iſthęc perpenderentur à Chriſtifidelibus proculdubio plurium auerterẽtur corda ab iniquo ſcelere & voluntate praua retinendi bona eccleſiarum, ſunt .n. peccatorum pretia & patrimonium Ieſu Chriſti, quod quicunque appetit Dei ſibi Iudicium duriſſimum aduocat, neq; ibi neq; hic ſibi peccatorum veniam ſperat niſi plenam eccleſiis fecerit reſtitutionem et pijs locis ſatisfactionem, atq; hæc peruerſorum patronorum oritur malignitas ex eo quod ſibi ob Iurispat. titulum omnia facere poſſe autumant cum tamen hic honor non debeat vergere indetrimentum Eccleſiarum; quarum ipſi patroni facti ſunt, hactenus de honore & vtilitate quæ competit veris patronis, deq; extremo excidio ſi minus rectè vſi fuerint offitio & honore iſto.

Sequitur vt dicamus de onere Iurispat. tranſit .n. ſemper honos cum onere. Quale autem ſit illud onus, quod incũbit patronis eccleſiarũ ſtatim dicitur, ſed difficulter adimpletur, ſicq; c. filijs 16. q. 7. dicitur quod ad onus tuendæ & defendendę eccleſiæ tenentur patroni. Vnde dicitur patronus ad-

uocatus

uocatus & defenſor ipſius eccleſiæ, quia eam debet ab omnibus oppreſſionibus defendere, multoq; minus debet ipſe eam opprimere, ibid. in c. decernimus, clarius offitium patronorum detegitur, decernimus ut quamdiu fundatores eccleſiarum in hac vita ſuperſtites fuerint pro eiſdem locis curam habeant ſolicitam, atq; rectores idoneos in eiſdem eccleſiis epiſcopo offerant ordinandos. Vnde ſi nõ fecerint defenſionem poterunt priuari omni com modo ab eccleſia c. tributum 23. q. vlt. glo. in l. defendere.

Quia vero defenſio iſta præcipue conſiſtit vt eccleſię Iura bonaq; & fundi immunes ſint, conſeruenturq;, merito quæri poſſit, cum ad hanc functionem non ſolum laboribus & bona volũtate ſed pluribus expenſis opus ſit, an iſthæc patroni ex ſuis an vero ex alienis teneantur præſtare ſumptibus. Qua in re puto non teneri proprijs expenſis ſed expenſis eccleſię, nemo enim militat ſuis ſtipendijs ſed eccleſiæ in cauſa ſcilicet ipſius eccleſiæ c. cum ex officij de præſcrip. & ad hoc facit l. tutoribus. ff. de adminiſt. tutor. Debet etiam eccleſias ſartas tectas cõ ſeruare, domosq; parochiales firmare, alienataque pro viribus recuperare.

Verum in his muneribus videtur diſſimilis ratio quod .n. ad refectionem eccleſiarum crederem parochos teneri vt eſt textus in c. decernimus 10. q. 1. vbi Epiſcopus viſitando Diœceſes annuatim ſi reperiat baſilicam deſtitutam præcipit illam reparari ordinatori .ſc. Sacerdoti, retenta tertia ex omnibus Epiſcopo ſoluendis c. vnio ead. cauſ. q. 3. quod procedit in parochialibus eccleſiis non autem in cathedralibus de quibus loquitur c. vobis & c. conceſſo, c. quatuor, c. de redditibus 12. q. 2. vbi diſponitur

quod

quod de reditibus & omnibus oblationibus fiant 4. partes, vna cedit epiſcopo, altera pauperibus, tertia Clericis, quarta Peregrinis c. peruenit 18. diſt. gl. expreſſa in d.c. quatuor quæ ex omnibus illis capitulis colligit Clericos compellendos ad reparationem Eccleſiarum non autem Laicos, quam ibi limitat Archid. niſi conſuetudo eſſet in cõtrarium, quia illa eſſet ſeruanda c. ad apoſtolicam extra de ſimon. Verum quia iſta iura videntur inter ſe variare ita quod aliqua loquãtur de tertia aliqua de quarta, & c. 1. & c. de his, de eccleſ. ædifican. & reparan. loquuntur in bonis eccleſię, ideo exiſtimo rem diſtinguendam eſſe. primo enim ſi eccleſia habet portionem ad fabricam tunc eccleſia debet reparari per illum qui recipit illam portionem, ſecundo ſi vero non eſſet talis portio pro fabrica aut non ſufficeret, tunc habentes beneficium in illa eccleſia cogũtur exponere ad rata beneficiorum, ita procedit c. 1. & c. de his. Idem in eccleſia Cathedrali tenetur Epiſcopus & Canonici, alij inferiores non, vt Io. andr. in c. ſi propter tua debita de reſc. in 6. adhoc eſt c. fin. de his quæ fi. à ma. parte cap. vbi tenet Panor. quod ſolus epiſcopus poſſet cõpellere tales canonicos, vt de ſuperfluis dent pro reſtauratione illius eccleſiæ ad ſuperfluum deficiens de portione fabricæ, quod tamen intellige de reſiduis teneri beneficiatos reficere, ideſt, deducto ne egeant. An autem poſſint cogi, tenent communiter doctores argumẽto eorum quæ dixit Bart. in l. 4. §. 1. ff. de re iudic. vbi examinat Bartol. de vniuerſitate condemnata quomodo ſinguli teneantur, deinde intellige conſuetudine circumſcripta, nam ſi eſſet conſuetudo, illa eſſet primo ſeruanda tanquam laudabilis. Tertio quãdo eccleſia aliter haberet, puta quia haberet

ſuos

ſuos reditus ſeparatos pro fabrica, tunc non cogeretur dare Epiſcopus nec Canonici, quartam, niſi in defectum, ſi autem data per Canonicos non ſufficerent tunc crederem alios qui ex eccleſia habent emolumentum vel vtilitatem aliquam quod illi tenerentur contribuere pro tali reparatione, ſicut videmus de clauſtris vel vniuerſitatibus quibus ſunt incorporatæ eccleſiæ, nam poſſũt illas conferre Vicarijs perpetuis certa portione aſſignata, reſiduos vero fructus recipiunt, & pro hoc facit quod dicitur de vſufructuario quod debeat ipſe habere ſarta tecta ait glo. iñ c. 1. de eccleſ. ædifican. ff. de vſufruct. legat. l. vſufructu legat. in quibus tamen diſtinguitur quod vſufructuarius tenetur facere omnes expenſas in reficienda re in qua habet vſumfructum, ſed ſi maiores fecerunt expen. non cauſa fructuum ſed quæ perpetuo poterunt durare illas poterit repetere à patrono ſeu proprietario vt ibi glo. ac doct. 2. facit ad hoc vt qui ſentit emolumentum de aliqua re debet & merito etiam onus ſentire: neq; audiendus eſt qui de ſolo lucro vult eſſe intentus, onera uero vult reſpuere, ſecus eſt in patronis qui non ſentiunt aliq̃ vtilitatẽ. Tertio ſi nec habet eccleſia portionem ad fabrica nec eſt aliqua conſuetudo, tunc recurrendum eſt ad habentes beneficia & commoda ex eccleſia, vt illi teneantur pro rata vt c. 1. & c. de his de eccleſ. ædifican. & ibi Panor. qui debent deſuper extantibus fructibus reparare, ideſt, deducto nè egeant. Si autem tales non poſſent tunc eſſent ſubditi cogendi in quantum poſſent, cum & ipſis eccleſia det commoda ſcilicet percipiendo ſacramenta & diuina quæcunque, ideo vltimo tales erunt grauandi c. ſi epiſcopos in fine de reſcript. in 6. is enim metit temporalia qui ſeminat ſpiritualia,

nec hoc poſſet euitare parocchianus, dato quod velet cedere vſui eccleſiæ, cum hoc non dependet à ſua voluntate, ex quo eſt ſemel Chriſtianus factus c. omnis vtriuſq; ſexus de pæn. & remiſſ.

Quis vero domum canonicam ſeu parochi reficere debeat maior quandoque eſt diſputatio, quia vero domus eſt acceſſoria ad Eccleſiam indiget. n. eccleſia ſacerdotibus miniſtrantibus, atque ſic domibus, in quibus habitent. Vnde qui ad refectionem eccleſiæ tenetur, tenebatur etiam ad domus parochialis, probatur: quia acceſſorium ſequitur naturam principalis c. ſi ſuper gratia de offic. delegat. in 6. & regula acceſſorium de regulis iuris ibid. ergo tenebuntur beneficiati reficere domum, ſi non habeat eccleſia, vel ſi non extet conſuetudo, quod alij vel percipientes vtilitatem ex tali eccleſia ad ratam vtilitatis, quibus omnibus ceſſantibus putarē quod ipſimet parochiani poſſent ad talem refectionem cogi. Si vero & ipſi inopes forent ceſſantibus etiā ſupradictis remedijs breuiter crederē deueniri poſſe ad alienationem bonorum ſuorum ipſius eccleſiæ pro tali reparatione facienda, vel in domo Sacerdotis vel in ipſa eccleſia, clem. 1. de reb. eccleſ. alien. vel non: niſi neceſſitas aut vtilitas prioratus monaſterij vel eccleſiæ hoc expoſcat.

Alia ſunt onera incumbentia patronis, quæ licet ita expreſsè non ponantur, tamen quia verbum prouidere generale eſt, in illo omnia compræhenduntur ſic in c. decernimus 16. q. 7. vbi dicitur quod omnia faciat patronus quæ ſpectant ad vtilitatem eccleſiæ, ſecluſa omni fraude & ſiniſtra machinatione ipſius patroni ſub pæna excommunicationis ipſius. Vnde ex hoc infertur quod patronus plurimum laborare debet ne fundationes piorum neq; conditio

nes illarum fundationum vllo pacto immutentur aut arma ſignaq; eorum transferantur aut immutētur hoc enim pertinet ad defenſionem eccleſiarum & ad ornatum, ex quibus eccleſia locupletior facta eſt, & magis illuſtris, nullo ergo modo liceat hæredi progenitorum ſuorum immunitate aut loco illarum alia inſculpere vel depingere, plurimum enim intereſt verbi gratia Baroni aut Comiti alia arma quam ſua in capellis per eum extructis non ſculpi, nam per talia ſigna eius in eccleſiam cognoſcitur animus & conſeruatur memoria illius familiæ, cultusq; diuinus magis à ſucceſſoribus ſuæ familiæ illuſtratur, aut certe ſi alieni ſunt à religione ad eandē liberaliores redduntur ex inſpectione talium armorū, alioqui ſi cuiuslibet inferioris gradus hominis inſignia ſuper ponerentur, facile neſciretur quis talis eccleſiæ aut huius vel illius altaris fundator exiſteret, ſicq; non conſeruaretur agnationis dignitas quæ cuilibet ſemper debet eſſe ſalua l. 1. §. 1. ff. de lib. agnoſc. per ſigna. n. cognoſcuntur ſignata cap. in nonnullis de Iudæis, & hinc eſt quod armorum alterius impreſſio eſt prohibita in alienis rebus l. 1. C. vt nemini liceat ſigna alienis rebus imponere & l. baſilica C. de operibus public. Poſito etiam quod talis v. g. Comes aut Baro totaq; eius familia extincta eſſet, non tamen debet extingui eius memoria ſed extendi per aſpectum ædificiorum, templorū Dei & ſimilium, & ad hunc finem arcus triumphales & ſtatuæ marmoreæ ſculpebantur in vrbes vt illorum memoria qui glorioſè uixerunt & honores geſſerāt in perpetuum haberetur, facit C. de ſtat. & imagin. l. 1. Hocque tanti eſt fundamenti vt licet per negligentiam patronorum iſthęc abolerentur, deberet Iudicis officio tueri memoria deſunctorum l.

Quin-

Quintus §. pen. de an. leg.

Similiter dicendum eſt de conditionibus fundationum, quod ſi tales reſpiciunt Dei honorem, ſeruitutem Eccleſiæ & ſic eius vtilitatem, vel quandã ſatisfactionem mentis defuncti volentis ſic obſeruari, nullo modo immutari debent, neq; per patronũ neq; per Epiſcopum, neque per alios, tum ratione vtilitatis eccleſiæ, tum etiam ne tollatur pia defuncti voluntas. Si vero eſſent in iſtis fundationibus qualitates concernentes fauorem patroni, puta ſi eſſet talis quæ præiudicaret ordinario maxime ſi eſſet contra vel pręter ius commune quæ opponi poſsũt, iuxta not. in c. cum dilectus de conſuet. tunc illas tollere poſſet patronus cum conſenſu Epiſcopi; & ſine. ſicut & renunciare poſſet Iuripat. ſine conſenſu Epiſcopi, iuxta ea quæ dicit Abb. in c. illud de Iurpat. tum quia ſolum renunciat Iuri ſuo, ſeu in ipſius fauorem per primum fundatorem introducto, tum etiam quia reduceret illas ad ius commune, ad quod de facili reduci debent.

Quod vero attinet ad fundationes miſſarum aliorumq; piorum operum an patronus cum epiſcopo aliquid ibi limitare poſſit, maius dubium eſt. Verũ pro fundamento eſt quod ſtantibus eiſdem reditibus nil diminui poſſit, ex articulis fundatorum à patrono, diminutis vero reditibus dubium non eſt fieri poſſe etiam diminutionem eius quod fundator legauit, non quidem ex parte ipſius epiſcopi, ſed ex parte defectus dotis ſufficientis, & pro hoc facit quod dicit Felin. in c. cum M. Ferrarien. de conſtit. in 3. notab. quod in conſtitutione de certo numero etiam per Papam confirmato intelligitur clauſula niſi reditus Eccleſiæ in tantum excreſcant quod pluribus ſufficiant, ex quo infert Felin. quod aug-

mentatis facultatibus Eccleſię, debet numerus canonicorum augmentari & ſic antiqua conſtitutio tolli, & adhoc adducit textum in authen. ut determinatus ſit numerus Cler. in v. poſtea uero. per quem textum dicit Angelus ibi, primo quod licet fundans eccleſiam taxauerit numerum Clericorum tamen auctis facultatibus debet numerus augeri. Secundo quod ſtatuto tenetur quilibet præbendatus tenere Capellanum pro altari præbendæ & poſtea mutata præbenda eccleſię curatæ debet eius rector etiam tenere Capellanum in dicto altari, ex quo ſibi vnitę ſunt facultates dictæ præbendæ, poſtea infert Ang. ad Gabellam totius communitatis venditam pro tāto pretio, comitatu aucto an augeatur pretium & remittit ſe ad VVilhel. de Cu. in l. item ſi fundi. ff. de vſufru. tandem ibid. dicit Felin. in c. cum M. Ferrarien. in 8. col. veram videri concluſionem sm̄ Dom. Abb. vt non frangatur ipſo iure per c. fin. de verb. ſign. ſed eſſe in poteſtate rumpendi, & ſic fore intelligendam conditionem illam, de qua in illo textu, & per hoc adducit, quia tot ſunt inſtituendi quot ex redditibus eius poſſunt ſuſtentari c. 1. de inſtit. & ſi aliqui ſunt recepti ſupra numerum debet numerus præbendarum augmentari ex ſuper excreſcentia reddituum, non tamen antiquæ præbendę confunduntur ſed de accreſcentibus redditibus ſeu fructibus nouæ creentur præbēdę, pares tamen antiquis vt dicit eſſe not. in dicto c. cum M. Ferrarien. & alibi non ita bene probari ſecundum dom. Abb. ibi. Huic accedit dom. Rochus in tracta. de Iurpat. in v. pro eo quod de diœceſani conſenſu in 12. q. in 2. col. in verſ. aduerte tamen vbi dicit quod creſcentibus facultatibus eccleſiæ augeri debet numerus cler. per primum fundatorem pa-

tronum

tronum acquiſitis, allegat Ang.& Felin: vbi proximè, & ſubdit, & propterea diminutis facultatibus eadem ratione deberet minui numerus Cleric: & hæc eſt vera concluſio.

Sed remanet difficultas. an tam in diminutione quam in augmentatione cum diſpoſitione Epiſcopi debeat interuenire conſenſus patroni pro tempore exiſtentis, & in diminutione omnino dicendum eſt, quod ſic, per c. nos quidem de teſtam.& eadem ratione in augmentatione, in qua militat & alia ratio, intereſſe patroni, in tantum vt augerētur etiam celebrationes miſſarum, ſeruitia & numerus Clericorum, quod pretium diceretur patrono in adiunctis in caſu inopiæ, quod intereſſe etiam intelligūnt doct. poſt glo. in ſimili caſu, quando aliquis intitulatur in eadem eccleſia patronata in c. poſtulaſti de Iurpat. & certe Eccleſia exiſtente ſimplici potius augerent celebrationes quam numerum Cler: quæ deſeruiri poſſent per quoſcunq; de facultatibus ipſius Eccleſiæ quia illæ ſunt vtiliores animabus defunctorum 13.q.2.c.animas fundatorum. Si vero eſſet Eccleſia parochialis quæ haberet magnum augmentum poſſet augeri numerus Cler. His addo quod ſtante neceſſitate vel vtilitate Eccleſiæ quod prædicta fiant, poterit fieri per Epiſcopum etiam ſine conſenſu patroni & nolente vt volunt doctores.

Super quibus aliud incumbit miniſterium patronis reddendæ ſc. rationis de omnibus acceptis & expoſitis, cuius muneris ratio paſſim non attenditur inde etiam fit quod Eccleſiarum fabrica negligatur peſſumq; eant omnia, neq; ſolum patronus Laicus qui tractat temporalia bona Eccleſiæ ſed etiam eccleſiaſtici patroni ſuis ſuperioribus tenentur ad rationem redden. uoluit id Abb. poſt Hoſt. in ca.

cum

cum ad ſedem in fin. 3. col. de reſtit. ſpol. vbi dicit patronos eccleſiaſticos habere vnam prærogatiuã præ Laicis quia poſſunt exigere rationem temporalium eccleſiæ, quod uolunt doct. in c. ex Lateranen. de præben. & Clem. 1. de Iuspat. & ſumma Angelica in v. Iuspatronatus in §. 1. Nec mihi hoc loco diſplicet, bona quarundam prouinciarum conſuetudo qua ſæculares perſonæ exigant rationes à ſindicis eccleſiarum patronatarum neq; permittunt Clericis nauem rerum & obuẽtionum receptionem, propterea quod quandoque minus cautè de illis agatur fiantq; ſumptus inutiles & non neceſſarij, proindè vt adhuc inuigilent diligenter patroni tã Laici quam Eccleſiaſtici ſuper bonis eccleſiarum, principis eſt attendere cuius præcipuum munus eſt Eccleſiarum fideiq; & religionis defenſio, atq; pro Laicis facit Paulus de Cittadinis, de iurpat. 16. p. in 4. art. in 13. q. qui dicit quemlibet patronum poſſe impedire ne reditus patronatę Eccleſię in alios vſus conuertantur quam ad illos ad quos fuerunt deputati tempore fundationis, allegat Abb. in c. ſuggeſtum de Iurpat. quæ licet non ſit vera reditio computorum adminiſtrationis eſt tamen obſeruantia voluntatis fundatoris, ad quam poteſt inſtare patronus. Dom. tamen Rochus in tractat. de Iurpat. in v. onerosum in 63. q. vult patronũ teneri defendere eccleſiã ne bona indebitè dilapidentur, & poſſe denũciare Epiſc. Preſbyterum dilapidantem, vel alias in honeſte viuentem pro vt etiam dixit Abb. in c. nob. de Iurpat. & pro iſta concluſione eſt Abb. in c. nouit in 12. col. cum ſeq. de Iud. referens doctores varios in hoc puncto & bonum eſt dicit eſſe in c. illa de accuſat. in v. dicere, & hoc clare probari ex illo verbo onerosum poſitum in definitione Iurispatronatus.

CA-

CAPVT XXVII.

An præſcriptione aliqua vel priuilegio acquiratur Iuspatronatus?

NEceſſarium putauimus hac de re quærere ad inſtructionem eius quod nunc in regionibus noſtris vſu quotidiano euenit, dum piorum hominũ prædeceſſorumq; noſtrorum fundationes in Catholicam religionem ab alijs temere vſurpantur, inque ius illorum inuolant ſibiq; attribuunt, dicentes ſe eſſe patronos eccleſiarum ſeq; ſuosq; prædeceſſores illas dotaſſe vel inſtituiſſe, aut quod verius iam à tot annis in tali & tali eccleſia præſentaſſe, ex quo quantum religio catholica patiatur, piorumq; nũc viuentium Illuſtriſſimorum Heroum animi deterreantur à fundationibus eccleſiarũ aliorumq; piorum locorum, in aperto eſt, adeo quod niſi ſingulari Dei concurſu denique & zeloſi Principis interuentione eiuſmodi hominum rapacitas & dominandi libido compeſcatur, timendum foret, quod breui tota fides Chriſtiana de medio ſuſtolleretur & pro Eccleſiis monaſterijs & alijs locis pijs ſtabula & horrea erigerentur. Primum autem eorum fundamentum ex hoc adſtruunt quod ex pluribus præſentationibus perperam factis, totq; ac tantis annis in poſſeſſione permanentibus ſibi Ius verum ac genuinum conciliarunt, quaſi vero ex illorum præſentatione ius oriatur aut exinde eccleſiæ vtilitas facta ſit cum potius deſtructio & populi in hæreſim præcipitatio. ſatiusq; fuiſſet pluribus in locis nunquã id auttentaſſe quam quod cum maximo religionis

damno & eccleſiarum populiq; detrimẽto factum reperimus.

Verum ſcio quantum ſibi ex talium actuum frequentatione poſſeſſioneq; illicita attribuant, ideo ad rem vt deueniamus radicemq; abſorbeamus, viden. eſt quænam ad veram alicuius Iuris ac potiſſimum de quo nunc agimus iurispat. poſſesſionem obtinen. requirantur, ita vt licita exinde fiat præſentatio, inſtitutioq; & deſuper confirmatio. Primo itaqne omnes doct. vnanimiter concludere videntur quod ille dicatur in quaſi poſſesſione Iuriſpat. qui ſemel præſentauit cum bona fide ſc. credendo ſe eſſe patronum, vnde ſi talis poſtea ſecundo loco præſentet, præſentatio iſta dicetur facta à quaſi poſſeſſore Iurispat. ſic Abb. Panorm. in c. conſultationibus de Iurpat. in vlt. not. & in verſ. ex his infertur: quo ſic poſito veram habebunt multi nobiles iuſtamq; quaſi Iurispat. poſſeſſionem quia non ſemel ſed pluribus vicibus aduerſæ religionis homines præſentarunt ipſoſque inſtituerunt & confirmarunt de facto. Verum bona fide præſentare nunquã potuerunt neq; ex hoc ſibi Ius aliquod acquirere ſupra Eccleſias, etiam eo admiſſo quod ipſi Eccleſias conſtruxerint ſeu ab eorum familijs dotatę fuerint, ſiquidem ipſi vt nunc non amplius perſiſtunt in ea fide & religione qua laudati ſatis ſuperq; ipſorũ prædeceſſores uixerunt & mortui ſunt: cumq; nec extruere nec dotare hæretici poſſint vt ſupra in cap. 24. ex eo quod non participant cum Eccleſia Catholica, cuius antiſtitum ſacrorum & Epiſcoporum Reuerendiſſimorum conſenſus, ad hoc quod conſtruant dotent & ædificent neceſſario requiritur ipſi vero nil minus quam Epiſcoporum & Clericorum iuſſionibus & monitionibus obſequuntur hinc neq;

bonam

bonam fidem & ex conſequenti neq; quaſi Iuris pat. poſſeſſionem habere & eſſe poſſunt cuiuſmodi bonam fidem etiam explicant doctor Innoc. in c. 2. de in integ. reſtit. ac Calderin. in Con. 13. incip. an requiratur ſub titulo Iurispat. Abbas Panor. & alij in c. cum Eccleſia de cauſa poſſ. & propriet. Secundum eſt quod requiritur ad quaſi poſſesſionē habendam quod præſentatio fuerit admiſſa & confirmata à Catholico Epiſcopo, Florentin. in c. ex literis de Iurepat. in 2. oppoſit. & Abb. Panor. in Cō cil. 54. incip. caſus cōtingentię circa prin. in primo vol. idem concludit in Conc. 106. incip. caſus in pen. col. in 2. vol. vbi dicit quod quãdo ſecuta eſt inſtitutio, ex tunc quis dicitur quaſi in poſſeſſione & non prius, & Bal. in Conſil. ſuo 22. incip. quidam nobilis in fin. in 3. vol. vbi dicit quod ſi quis non eſt admiſſus neq; repulſus vel eſt appoſita conditio, de cuius veritate incerti ſumus, quod per talem præſē tationem non dicitur quis poſſidere, ex quo ſecundo membro nunquam probabunt eiuſmodi præſen tationes hæreticorum confirmatas ab Epiſcopis Catholicis, quippe quod non teneat eiuſmodi confirmatio multoq; minus pręſentatio, non ſolum ſi hæreticum pręſentet, ſed etiam ſi Catholicum Sacerdotem pręſentet Epiſcopo, dubium graue eſt inter doctor: an Epiſcopus eiuſmodi præſentationem confirmare poſſit: neq; obſtat quod excommunicatus eccleſiam ingredi poſſit ad audiendum verbū Dei c. reſponſo de ſent. excom. item ad adorandum in c. nuper, eod. minusq; impedit quod tales eccleſiam extruere & Iuspatronatus tranſmittere poſſint vt videtur tenere Gemin. c. vnico §. fin. in pen. col. eod. lib. 6. dum dicit allegando ſpecul. quod ille qui emit uillam à patrono excommunicato ſtatim po-

terit præſentare, iſtis inquam, non obſtantibus dico excommunicatum non poſſe præſentare, eo quod non poteſt eligere vt decidit Innoc. & alij in c. veritatis, de do. & contum. & Abb. ibi in fine ergo etiam in ſimili videtur, quod non poſſit confirmari, quod tenuit Lapus allegat. ſua 8. incip. præſentans circa med. & ibi dicit quod ſi præſentans vel præſentatus eſt excommunicatus, præſentatio eſt inualida, nullaq; eiuſmodi confirmatio fieri poteſt: aliqui tamen videntur concludere quod præſentatio facta ab hæretico ſeu excommunicato valeat, & addunt rationem, quia cum patronus laicus nihil vel parum Iuris habeat, circa diſpoſitionem beneficij niſi de quadam gratia, vnde totalis diſpoſitio potius dependere cenſebitur à poteſtate Epiſcopi, & ſic inſtitutio Epiſcopi tanquam ſola Ius in beneficio tribuens potius erit attendenda quam præſentatio patroni Laici excommunicati, ſic rota concludit in deciſ. 2. in antiquioribus vbi varias adferunt hac de re opiniones. Tertium requiritur, quod inſtitutus habitus fuerit tanquam Rector vel Capellanus in poſſeſſione Rectoriæ vel Capellaniæ, in quo dubiū etiam non eſt omnes ſic præſentatos intruſos eſſe fureſq; & latrones iuxta ſententiam Chriſti, non.n. per oſtium intrarunt ſed aliunde inrepſerūt, adeoq; cura de ouibus ad illos non ſpectat, ſed veniunt vt mactent perdant & deſtruant, compertum eſt hoc ex infelici omnium hæreticorum progreſſu, quorū finis eſt interitus & extrema confuſio. Quartum eſt adhoc vt aliquis quaſi poſſeſſionem Iurispat. acquirat requiritur ſecundū Calderin. vt ſupra quod ille in cuius præiudicium quaſi poſſeſſio Iurispat. acquiritur, hoc ſciat, & patiatur, & ad hoc allegantur notata per Io: And. in c. bonę de poſtulat. præ-

lat.

lat.& c.conquærentes de offic.ordin.& hoc eſt regulare in omni acquiſitione quaſi poſſeſſionis Iurium incorporalium, licet ſecus ſit in rebus l. fin. C. de preſcript. long. temp. & pulchrè declarat Bal. in l. 1. & 2. in 1.col.verſ. quarto oppono C. de ſeruitutibus & Bart.l.1.§.2.in 3.let.ff. de itinere actuq; priuato. quomodo autem probetur ſcientia & patientia illius de cuius preiudicio tractatur vide Abb. in d.c.cum Eccleſia de cauſa poſſ.& propriet. in 5.col. adhoc vero quod ſcientia & patientia Catholicorū ipſis hæreticis proficiat nunquam probabitur, ſiquidem in omnibus conuentibus tam generalibus quā ſpecialibus, tam Comitijs publicis quam priuatis Congregationibus; ſemper à parte Catholicorum hoc Ius patronatus ſeu collationis quod ſibi aduerſarij vſurparunt impugnatum fuit, indeq; decertatum, quandoq; ad verbera vsque, teſtantur idipsū quærelæ olim Sereniſſimo Archiduci Carolo factæ quando in conuentu Bruggenſi ad Muram eo potiſſimum maxima ſelectaq; pars prouincialium confluxerat, vt id ab ipſo extorquerent, quatenus libere poſſiderent collationes & preſentationes ſuper parochiales Eccleſias, nunquam vero id obtinuerunt, ſiquidem impedimentum habent in ſeipſis, quominus etiam ad conceſſionem principis terræ eiuſdem participes fiant: illud autem eſt hæreſis & peruerſa animi voluntas, quare iſthæc ipſis temeritas & vſurpatio nunquam proderit, neq; inde ſibi quicquam Iuris acquirent, ſiquidem quiete & pacifice id nunquam poſſederunt, quod neceſſario requiritur in acquiſitione alicuius Iuris aut tituli, vt mox forſan dicemus.

Ex quibus ſic infertur, quod quandoquidem hæreticis nulla Iurispat. competit poteſtas ſeu poſſeſ-

ſio, nulla etiam eiſdem fauere debet legis authoritas, quod ſcilicet illud ipſum Ius prout inter Catholicos accidit per præſcriptionem accipiant, quæ præſcriptio non minus bona fide nititur quàm poſſeſſio Iurispat. fundamentum autem eſt vt dixi, carentia ſidei & religionis Catholicæ, quo iacto, an aliqua præſcriptione Iuspat. acquiratur breuiter videamus. In quo negocio duæ ſunt repugnantes ſententiæ, prima eſt Federici de Senis in Conſ. ſuo 234 qui concludit quod præſcribi poſſit, altera eſt Arch. in c. hortamur 71. diſt. qui latiſſimè hanc q. diſputat, & tandem concludit quod Iuspat. indiſtinctè non poſſit pręſcribi per Laicos. Quia tamen contrariũ verius eſt in puncto Iuris, facilè contrarijs reſpondetur. illud enim quod Iuspat. ex gratia Laicis conceſſum; & gratia non debet extẽdi aut in exemplum trahi, & quod temerarium ſit & maxime indignum eſt, aliquem propria authoritate ſibi præſumere, quod Romana Eccleſia ſpecialibus inſpectis beneficijs alicui voluit indulgere c. ſane, de priuil. ſi ergo eſt temerarium & indignum, ergo Iuspat. quod Eccleſia dedit Laicis ex ſpeciali gratia, non debet poſſe pręſcribi à Laicis. Pro cuius reſponſionis certitudine præſuppono fundamentum illud quod ſupra poſui, ſcilicet quod neceſſe ſit, quod interueniat bona fides ex parte pręſcribentis, qua extante dico, quod vbi quis eſt in iſta bona fide tanto tempore cuius rei memoria non habetur contraria, vel per 40. annos, tunc tollitur omne Ius, & acquiritur præſcribenti, nec id dicitur ſibi accipere vel arrogare propria authoritate, quod alicui ex ſpeciali priuilegio conceſſum eſt, ſed aſſumit quod à lege inductum eſt ſcilicet præſcriptionem, quod optimè facere poteſt. toto tit. C. de præſcript. & extra,

eod.

eod.c.ſi virgo 34.q.2.& 3.q.neq; illa gratia facta hominibus extenditur per hominem ſed per legem. ex quo ergo lex induxit præſcriptionem & conſuetudinem de omni iure, ergo & tale Ius debet poſſe per Laicum pręſcribi, cum non ſit mere ſpirituale intelligendo de omni Iurepat. quod habetur in Ecclesia non collegiata, fecit pro hac reſponſione ca. cura, cum gl.2.in fin.de Iurpat.quæ vult quod licet anteceſſores fuerint in mala fide accipiendo Eccleſiam à Laico ſine conſenſu Epiſcopi, tamen ex quo anteceſſores poſſederunt, poſſunt etiam ſucceſſores præſcribere. Simile eſt in c.4. de præſcript. neque obeſt quod dicit Archid. de vſurpatione & de peccato quod eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat ſecundum Ambr. peccatum eſt opus iniquitatis, ſed pręſentans ſine Iurepa. facit talem iniquitatem, ergo non debet poſſe pręſcribere, quia dico, quod talis quidem faciat contra iuſtitiã, ſed ſecundum iuſtitiam & æquitatem in Iure præſcriptam; quæ concedit bonæ fidei poſſeſſori poſſeſſionem, dictis Iuribus, & Laici ſucceſſores poſſunt eſſe tales: ergo infert Archid. quod non præſcribitur aliquo tempore quod cum peccato poſſidetur c.illud 93.diſt. neq; poteſt aliquid ex conſuetudine induci quod obuiat Canonicis & Eccleſiaſticis conſtitutionibus. Dico quod non eſt in peccato, qui eſt in bona fide ideſt, in quaſi poſſeſſione præſentandi, & pręſcribit cum facit actum licitum & à Canonibus permiſſum, toto tit. de præſcript. indeq; tolleratur iſta conſuetudo, eo quod non ſit contraria Iuri Com. quia licet habendo reſpectum ad c. decretum & c. nouerit 10.q.1. Iura antiqua, in quibus diſponitur bona Eccleſiaſtica eſſe in Epiſcopi cura, tamen ex quo per alia Iura noua diſpoſitum eſt Ius

patro-

patronatus eſſe apud Laicos per c. quicunq; c. Frigentius 16. q. 7. ergo etiam videtur quod Laici præſcribendo non faciant contra Iura communia, ſed ſecundum Ius, ideo talis conſuetudo præſcribendi dicitur realis, quamuis etiam aliquando ſit dare cõſuetudinem contra ius commune rationabilẽ, quæ dicatur rationabilis diuerſis reſpectibus, vt eſt Ius commune quod conſtituit quod Epiſcopus tractet negotia cum conſilio capituli c. nouit, extra, de his quæ fi. à præl. & tamen conſuetudo inducitur contra hoc ius commune c. 3. de conſuet. in 6. quæ eſt etiam rationabilis, alia tamen ratione, vt ſc. citius expediantur negocia, & ſic duo contraria poſſunt eſſe vera, diuerſis conſideratis rationibus: ſicut nubere & non nubere. facit etiam ad hanc conſuetudinem tollerandam, quod non requiratur titulus cũ bona fide, ſed hæc ſola ſufficiat vt Gemin. in c. generali, & ibi glo. antiqua præſcript. de elect. qui dicit quod ſine titulo habebit locum iſta præſcriptio, & ponit notabilem limitationem ad c. 1. de preſcrip. in 6. vbi quando aliquid præſcribitur quod eſt contra Ius commune non ſufficit bona fides tantum, ſed requiritur titulus, hoc inquam dicit eſſe verum in actu creato & alicui quæſito perſonæ per Ius commune, ſecus in actu non creato, ſed qui preſcriptione acquiritur qui antea nulli erat tributus, quia licet Ius commune in præſcribendo videatur reſiſtere, tamen quia per perfectam præſcriptionem Ius commune ei aſſiſtit, ideo non requiritur aliquis titulus. hæcq; præſcriptio nõ multum grauat Eccleſiam, quia licet patronum talis eccleſia teneatur alere, quo videtur aggrauari eccleſia, intelligitur id tamen procedere de reſiduis quę alias pauperũ ſunt, cum etiam bona Clericorum ſint pauperum c. quan

do 16.q.1. Deniq; intelligitur iſta præſcriptio in ec cleſiis parochialibus & contra Diœceſanos alioſq; prælatos, non contra Papam, vel eius legatum, quia is eſt ordinarius cunctorum c. cuncta per mundum 2.q.3. & in Eccleſiis collegiatis etiam non valet, niſi in caſibus in Iure expreſſis, & quia eſſet Ius mere ſpirituale, quod Laici neq; præſcribere, neq; exercere poſſunt c. Sacroſancta & c. Meſsana, de electiọn.

C A P V T XXVIII.

Quis ſit Iudex competens Iurispatronatus?

DVbitatur de Iurepat. vt adnexum eſt ſpirituali ... an cauſa eius diſcuti poſſit per Eccleſiaſticum an vero per Laicum; circa quod quidem non eſt valde laboran. quia de illo caſus eſt ad literam in c. quanto de Iud. vbi dicitur: cauſa vero Iurispat. ita coniuncta eſt & connexa ſpiritualibus cauſis, quod niſi Eccleſiaſtico Iuditio valeat definiri, ita conclu dunt omnes Doctor. maxime quos allegat Gaie. in repet. c. fin. de elect. in 6. in 4. col. in prin. vbi præmittit cauſam Iurispat. eſſe fori Eccleſiaſtici, allegando Hoſtien. in ſum. huius tituli in §. fi. incip. in quibus, in verſ. ſi Ius ſcire, vbi ſe remittit addicta per eum in tit. de for. compet. §. 2. & hęc quidem pro iſta dubitatione.

1 Aliud vero conſiderandum venit, quando actio competens ad conſtituendum Iuspat. perſonalis, vel ex promiſſione ad tradendum, ſeu ad erigendũ, vel ad excludendum patronum eſt, quia ſc. remiſit

Ius

Iuspat. in fundatione, an tunc etiam ſit de foro eccleſiaſtico vel ſæculari, in qua inuenio Gaie. vbi ſupra dicentem quod cum tractatur de eccleſiæ liberatione, de exhibendis perſonis qui remiſerant Ius pat. agi poſſe coram Laico, vt in c. ſignificauit de teſtibus, vbi hoc notabile colligit Cardi. cum tamen agitur de priuatione Iurispat. tunc cognoſcere eccleſiaſticum dicto c. quanto de Iud. Idem uoluit Feli. in c. ſignificauit de teſtibus in primo not. & notabiliter dicit Felin. ſecundum Card. licet cauſa Iurispat. ſit adnexa ſpiritualibus, non tamen ſic eſt adnexa cauſa prædicta quando agitur de excludendo patrono à Iurepatronatus quin per Laicum expediri poſſit, & dicit eſſe rationem, quia de patronatu non habet cognoſci ſecundum ipſum, pro quo optime induci poſſunt notata per Bart. in l. titia. ff. ſol. mat. & clarius in l. omni C. de Sacroſan. Eccl. & Io. Andr. in c. tuam, de ordin. cognit. vbi dicunt, quod de quæſtione ſpirituali conſiſtente in Iurepat. an matrimonium fuerit legitimum vel non, laicus cognoſcere non poteſt; ſed de ſpirituali conſiſtente in facto poteſt, puta an talis fuerit deſponſata vel non. Vbi ſecundum Cardin. vbi ſupra in c. ſignificauit de teſtibus notatur illum Iudicem debere examinare teſtes ad perpetuam rei memoriã, quod procedit, quando eccleſia eſſet actrix, quæ diceret ſe liberam, & hoc conſtare facere vellet coram Iudice ſæculari, de cuius foro erant fundatores, ſecus ſi Eccleſia eſſet conuenta à fundatore dicente ſe patronum per textum cap. ſi diligenti de for. comp. & ſic etiam dicendum eſt, quod ſi aliqui prætendant ſe eſſe patronos alicuius Eccleſiæ, & illa eccleſia ſiue eius Rector vellet pro ea intendere Iudicium L. diffamari. ff. de ingenuis & manumiſſis, non deberet

beret agere coram Iudice Laico, & narrare qualiter tales diffamant eccleſiam, dicendo illam eſſe de Iurepat. eorum, cum ſit libera, & licet in hoc eccleſia videatur actrix ea rea, quia præfigendus eſt terminus ipſis diffamantibus infra quem debent agere contra ipſam Eccleſiam pro ipſo Iurepat. & ſic erit Eccleſia rea, vt volunt omnes præſertim Bal. in d.l. diffamari, & tunc Iudex Eccleſiaſticus habet exercere iudicium.

Quantum vero attinet ad actionem perſonalem quæ competit ad conſtituendum Iuspat. ſeu ex prouiſione ad tradendum ſiue ad eligendum illud, quia tunc non regulatur Iuspat. vt alia ſpiritualia, nō eſt de foro eccleſiæ, nec habet idem priuilegium ſecundum But. in d. c. quanto de Iud. in fin. vbi vult ſęcularem poſſe cognoſcere de cauſa actionis perſonalis quæ intentatur pro Iurepat. promiſſo donari. Cuius contrarium aſſerit Abb. in d. c. quanto. Verum non obſtat dictum Abbat. quod .ſ. donatio & promiſſio Iurispat. ſubijciatur iurisdictioni eccleſię eo quod requiratur in eo conſenſus epiſcopi, vt c. vnico de Iurepat. in 6. quia dico illum textum, & ſimiles non loqui in promiſſione de donando, ſed in donatione tantum, niſi dicas quod ſi conſenſus epiſcopi requiritur in donatione, ita etiam in præambulo, videlicet in promiſſione de donando, pro vt videtur velle Dom. Benedict. in c. cum ſæculum, in 4.q. de Iurpat. & probatur, quia rationes quare requiratur conſenſus epiſcopi in donatione Iurispat. quas refert Abb. in c. illud, hoc tit. videntur militare in promiſſione de donando. Pro quo hic notandum diligenter, quod ſi Iuspat. vni donatur ſine conſenſu Epiſcopi, donatio nulla eſt, & ideo donator vacante Eccleſia poterit pręſentare iuxta c. illud

& c. cum Laici, & c. ſuggeſtu hoc eod. tit. & ſic prima donatio eſt, ac ſi facta non fuiſſet, quanto magis nec promiſſio de donando, non tenebit ſine conſenſu Epiſcopi ſed cum conſenſu licet teneret promiſſio, non tamen per hoc facta eſt donatio, & in hoc caſu non negaretur coram vtroq, Iudice promiſſorem poſſe compelli explere eius promiſſionem, & fortius in foro eccleſiaſtico, quam ſæculari, ſed ſi non interuenit conſenſus Epiſcopi, dicerem nullo modo agi poſſe coram eo, cum Ius noſtrum veram donationem ſine conſenſu Epiſcopi non habeat in conſideratione, quanto magis nec promiſſionem de donando, ſimiliter de Iurepat. creando, qui nõ eſt in conſideratione, ſi non eſt creata vel ſundata eccleſia c. nemo de conſec. diſt. 1. vnde in iſtis caſibus recurrendum eſſet ad Iudicem ſæcularem, vt promittentem donare, compellat donare, vel condemnet ad intereſſe, & promittentem Ius creare patronat. compellat ad creandum, vel condemnet ad intereſſe, vt videtur velle Aretinus in conſil. 83. quia multa, quia tamen Iuspat. eſt inæſtimabile, vt notatur in c. Iure, hoc tit. neſcio quomodo poſſit declarari intereſſe, ſicut de patrono promittente præſentare vnum quem non præſentauit, an poſſit contra illum agi de intereſſe, cum præſentatio non recipiat æſtimationem, vnde melius videtur dicendũ, agi poſſe contra tales de dolo, per l. ſed vitio ff. ſi quis actionibus. Poterit vero etiam ſic promittens ædificare Eccleſiam compelli per Iudicem eccleſiaſticum, quia eſt honor publicus, & ſic quilibet admittitur, quod voluit Barbat. in d. c. quanto. in col. 10. quod compellere Laicum ad traditionem Iuris par. actione perſonali non eſt definire cauſam Iuris pat. & per conſequens poterit compellere.

Gra-

Grauior hoc loco reſtat difficultas, an commiſſo ali quo delicto per patronum Laicum, quod mereatur publicationem omnium ſuorum bonorum, in quibus contineatur Iuspat. poſſit Iudex Laicus ſuper hoc decernere, an vero Iudex eccleſiaſticus, ſicque iſtum patronum Laicum priuare Iure ſuo patronatus? Quam quæſtionem principaliter format glo. 1.c.filijs, 16.q.7. quæ quærit de hoc, & dicit, Iudicem Laicum non poſſe priuare patronum Iurepat. per ſe, ſed cum vniuerſitate bene c. ex literis de Iurepat. priuationem vero ſpectare ad Papam ſeu Epiſcopum ſolum, cum illud habeat priuilegio Canonis argumento c. 1. hoc tit. Alia eſt gloſ. in Clemēt. paſtoralis in verbo ſubiectæ, de re Iud. quæ vult; quod per damnationem ſeu cōfiſcationem Iudicis ſæcularis non perdet Iuspat. & hoc colligit ex illo textu, & dicit facere pro votatis in d. c. filijs. Pro quibus gloſſis dicunt aliqui doctores eſſe contrarietatem, tamen reuera non ſunt ſibi contrariæ, ſed volunt Iudicem ſæcularem per damnat. vel confiſcationem non poſſe priuare patronum Laicum Iurepat. gloſ. vero in c. filijs addit alium caſum. ſ. quando confiſcaret villam in qua eſſet Iuspat. aliud vero eſt in ſpecie priuare aliquem Iurepat. & aliud cum vniuerſitate in qua ſubiectum eſt Iuspat. Quare ne in longam hæc res protēdatur ſic breuiter omiſſis doctorum concertationibus reſpondeo quod quando Iudex eccleſiaſticus procedit contra aliquem patronum ſuper priuatione Iurispat. principaliter, nō dubium eſt ipſum hoc facere, vt eſt textus clarius in c. in quibuſdam de pœnis, & c. quanto de Iud. quia ad ipſam ſpectat cognitio cauſę priuationis, ſeu alterius Iurispat. & idem ſi ipſe procederet principaliter ſuper alio delicto, caſu quo poſſet publicare bo-

na alicuius patroni, ſine dubio includeretur Ius pat. vt in Clem. 1. paſtoralis, in §. rurſus, à contrario, de re Iud. quia non diceretur ponere falcem in alienam meſſem ſed in ſuam. Nec erit conſiderandum an veniat acceſſorie vel principaliter Iuspat. & an exprimatur vel non exprimatur, cum ſimus in caſu in quo Iudex habet iurisdictionem cognoſcendi de ipſo Iurepat. etiam principaliter, & in hoc omnes conueniunt, ſolumq; manet illarum dubitatio de Iudice Laico qui caret iurisdictione cognoſcendi de ipſo iurepat. & ideo nullo modo per ſe poſſe tantum confiſcare iuspat. & eius confiſcationem ſeu ſententiam non tenere nec valere, ſecundũ gloſ. in d. c. filijs. 16. q. 7. etiamſi iſtam bonorum omniũ publicationem alicuius patroni propter demerita faceret cum expreſſa & ſpeciali mentione iurispat. vt concludit Abb. in d. c. quanto, in pen. col. ex quo etiam intelligitur quod licet cum vniuerſitate tranſferat Iuspat. tamen ſi in venditione vniuerſitatis exprimatur iuspat. & ſic vniuerſitas vendatur, iuspatronatus, plerumq; ſiue per venditionem ſiue per ſententiam Laici, non erit contentum, quantumcũque exprimat iſtud iuspatr. ideo ſemꝑ vitiatur eius ſententia. quantnm ad iuspat. neq; ſi Iudex ſæcularis per ſuam ſententiam propter delictum aliquod patroni publicaret omnia eius bona, non veniret iuspat. quia hoc ſignum omnium bonorum, non dicitur vniuerſum, multoq; minus veniret ſi publicaret fundum, aut pallatium patroni, in quo eſſet iuspat. Si autem propter infamiam, aut aliud quod uis grauius crimen à Iudice Laico fieret publicatio bonorum omnium, & ſi in illa ſententia iuspat. non veniret, poſſet ſe tamen Epiſcopus deſuper ſummarie informare de iam cognitis, & talem patro-

num

num Laicum priuare Iure ſuo patronatus.

Nec obſtat iuriſdictio quorundam, qui dicunt, quod Epiſcopus non habeat cognitionem criminũ ciuilium in Laicum; quia benè habet cauſalem cognitionẽ, cùm Laicus eſt irretitus tali crimine, quod non poſſet acquirere nec tenere iuspatronatus: infamia enim impedit quem acquirere iuspatronatus.

Deinde eſt hæc ſecunda cognitio Epiſcopi, in cõplementum publicationis factæ per Iudicem Eccleſiaſticum. Vnde non refert, quod hoc ante ſit cognitum, ſicq; denuò cognoſci non debeat, hoc.n. fit, vt perficiatur cognitum & iudicatum per Iudicẽ ſæcularem, quod per eum perfici non poterat ex defectu ſuæ iuriſdictionis, prout etiam Iudex Laicus perficit in Clericum, quod non poteſt perficere Iudex Eccleſiaſticus, arg. c. degradatio, cum ibi not. de pœn. l. b. 6. & operabitur iſta cognitio & perfectio, vt perfectè ſit illæ priuatus omnibus eius bonis & omni eius iure, non tamen vt illud ius acquiratur fiſco, ſed vt eccleſia ſit libera, vt ipſemet But. dicit, .ſ. in vniuerſitate non vera non tranſeat cum illa iuſ pat. in confiſcatione illius, ſed conualidetur per epiſcopum, vt eccleſia ſit libera. Si tamen hæc publicatio non veniret de iure communi facienda, pro inde de iure municipali putarem quod tunc epiſcopis nihil haberet ſupplere in caſu permiſſo, pro vt eſt textus in c Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut: nam ſolennitates vel actus depoſiti per ius municipale non habent locum in iurepat. niſi ille forſan per illam ſententiam emanantem a iure municipali efficeretur plane infamis & bannitus vel publicatus, tunc dedecus eſſet Eccleſiæ retinere iuspat.

Si vero per iudicem Laicum eſt publicatio bonorum alicuius delinquentis in caſu quo poteſt ex de-

licto

licto patroni contra ipſam eccleſiam particularem vel vniuerſalem, & tunc licet in ipſa publicatione non ſit aliquod ſignum vniuerſale, erit tamen priuatus iurepat. ex iurisdiſpoſitione, & licet videatur tranſire illud iuspat. in confiſcationem, tamen non manet penes fiſcum ſed redit ad Eccleſiam, & Eccleſia poterit illud repetere vt ſit libera ſicut in Emphiteuſi Eccleſiaſtica, quæ licet tranſiret in fiſum in publicatione bonorum, tamen eſt in facultate eccleſiæ repetere ipſam Emphiteoſin, & hæc de Iure patronatus defenſione à principibus Chriſtianis facienda, & exercenda quæ ſi ritè perficiantur profecto maxima ſalus in rempub. externam eluceſcet, ſicq; iuſtitiæ ſeſe defenſores præſtabunt ſtrenuos.

Verum non ſatis eſt hanc iuſtitiæ exhibitionem quantum ad Deum & religionem Chriſtianam facere, ſed oportet etiam quod ipſæ Princeps in ſe & erga ſuos ſubditos maximè iuſtitiam & iudicium rectum operetur, ideo qualiter ſeſe ad inferiores comparare debeat, ad calcem huius libri videamus.

CAPVT XXIX.

Quibus alijs modis exhibeatur iuſtitia per Principem in ſubditos?

BEatum dixerimus principem illum qui obediẽtes dictoq; parentes habet vaſallos ciuesq; morigeros, non ſecus atq; optimum temperamentum hominis conſtitutum dicimus, vbi omnes ſibi qualitates ex æquo correſpondent, inde enim vita longęua diuturnaq; progreditur, ſic vbi pax ſalus perpetuaq; reipub. concordia. Sicut porro iſta Reip.

ſalus

ſalus non prouenit niſi iuſte diſpartitis muneribus rectéq; eiſdem adminiſtratis, ſic neq; iſta vita temporalis beata ſaluaq; eritniſi ex ſymmetria iuſtaq; omnium quæ ad vitam hominis ſuſtentandam conducunt applicatione. Multa vero ſunt è contrario quibus facilè vita hominis ad interitum labeſcit planeq; interit, non ſecus atq; in reipub. gubernaculo regendo plurima aduerſantia contingunt, ex quibus in diuerſum rapitur & à recto iuſtitiæ tramite deflectitur, pro ut varia ſunt media regendi Rempub. ex quibus varia etiam niſi rectè applicentur in populo progrediuntur grauamina, quæ princeps apprime præcauere debet in repub. ſoliciteq; attendere vt ſecundum Iuris æquitatem & conſuetudines laudabiles aliasq; in prouincijs vſu receptas conſtitutiones omnia adminiſtrentur, ex quo præcauebit grauamen & iniuſtitiam, communemq; totius reipub. pacem promouebit.

Verum vt ad hæc omnia quantum propoſiti noſtri ratio perfert propius accedamus & quibus caſibus grauamina in populo oriantur oſtendamus, neceſſarium valde eſt Principi vt attendat quomodo & qualiter per Iudices ſuos ſubditis diſtrictualibusq; ſuis iuſtitia ſecundum regionis leges municipaliaq; iura adminiſtretur. pro quo iam ſupradictũ eſt, Iudices iuſtitiam facere & adminiſtrare teneri, quod verbum Iuſtitia vtiq; ſatis late patet, ſicque etiam pluribus iniuſtitia committitur, ſunt enim in quolibet bene conſtituto regno prçter ius ſcriptum & commune (vt eſt Cæſareum & Canonicum) conſuetudines bonæ, cõſtitutiones & ſtatuta, quemad. legimus in Francia, neq; regem neq; illius officiales arctari ad obſeruantiam legum cõmunium. ideoq; Pariſijs vbi eſt ſtudium generale leges prohibitæ

ſunt legi vt in c. ſuper ſpeculato, de priuil. & quod dicit Oldradus conſ. ſuo incip. conſueuit dubitari & eſt 69. quod Hiſpani fecerunt legem quod quicunq; allegaret legem Imperatoris in iudicio, capite puniretur, cuiuſmodi lex hodie in deſuetudinē abijt vel ſaltem non ita ſtrictè obſeruatur vt notatur c. 1. extra de Treuga & pace, merito ergo quæri poſſet vt innuit Oldrad. quomodo tales prouinciales dicantur grauare populum vel facere iniuſtitiā cum non teneantur ad obſeruantiam iuris communis, ſed reſpondetur quod dicantur facere contra iuſtitiam ſi faciant contra legem regni pactam & in contractum iuratam ſeu pragmoticam conſtitutionem vt not. in c. 1. de rerum permut. & hoc dubium non eſt quin grauent, quia illud eſt ius conſtitutū per Principem cum ſua Curia vt in l. 2. de orig. iuris, & commune quo ad regnum ſeu prouinciā ſicq; illius obſeruantia omnes ligat & eſt irreuocabilis. Ex quo lex regni non ſufficeret quia non poſſent omnes caſus legis comprætendi, iudex eo caſu naturalem rationem obſeruare tenebitur, & hoc aliquoties legibus cauetur, quippe quod natura nob. innatum eſt & pro veritate habetur, illudq; vbiq; vigere præſumitur, quod ſi ſecundum hoc iudicium naturale aliquis caſus diſpoſitus non eſſet, ſecundum æquum & bonum, tunc iudex procedere debebit & ſic ſecundum ius poſitiuum & commune, ius vero & ratio conuertuntur l. cum ratio de bon. damnat. idq; ſingulariter adnotauit pro iudicibus Hoſt. in ſua ſum. & tit. de feud. c. apud quem, verſ. ſin autē Vaſallus. Lege vero plane deficiente & Canone, recurrendum eſt ad rationem naturalem & illa pro lege ſeruanda eſt. Quæ ratio naturalis in aliquibus prouincijs ſtat in capite prudentum procerum re-

gni,

gni, ad quorum conſilium Iudices habent iudicare, alioqui grauant & malefaciunt ex illorum priuilegio, vbi vero tale priuilegium non eſſet, foret recurrendum ad principem, qui iura omnia in ſcrinio pectoris habere dicitur c. licet de conſtit. & ideo ad eum tanquam ad fontem rationis de dubio iuris recurrendum eſt, & tunc tali caſu ſolet princeps reſpondere ad propoſita, ita eſt textus in authen. diuin. iuſſio. ſubſcrip. §. 1. col. 8. & Iudex ſic procedēs non degenerat.

Cuius intuitu Sereniſſimus olim Archidux Carolus prudentum ſuorum iuriſperitorum conſilio omnibus ſuis prouincijs plurimum conſuluit, quando cuiuslibet prouinciæ laudabiles conſuetudines dictaq; priuilegia in vnum congerere iuſſit volumen typisq; mandare vt ſic vnicuique quantum & quid oportet in qualibet prouincia ſibi faciendum liceret, innoteſceret, quod vulgo dicitur die Landſ. handfeſt. ſeu, gemeine Landſordnung. in quibus omnia ad iuris communis regulas redacta vſuque multa confirmata ſunt.

Quod ſi præter eiuſmodi principum conſtitutiones adhuc diuerſitas oriatur, vtpote quod non conueniatur de caſu aliquo inter ius Ciuile & Canonicum vtrum ſequendum erit Canonicum ex Ciuile? Exiſtimandum ſane eſt quia maiori nititur authoritate Canonicum ipſeq; leges Imperiales ipſam nō dedignantur, alio præferendum erit, pro quo dicit Ioan. de Imola in l. centurio, de vulgar. & pupill. quod in ambiguis Iuris Ciuilis quæſtionibus eligenda ſemper eſt opinio per ius Canonicum approbata, allegat pro hoc not. c. licet ex ſuſceptis de foro compet. cuius tamen vtriusq; Iuris leges, quando ſumus in terris Imperij Romani, exiſtente diuerſita

te inter illa, quælibet in ſuo foro allegarentur & ſeruarentur, excepto eo quando lex peccatum induceret ſeu foueret c. 1. de noui oper. renunciat. & c. ſana quippe 9. diſt. in §. cum ergo, vbi dicit textus quod ius Canonicum habetur pro Iure diuino & naturali, quem textum ſemper nota, quia eſt Diui Auguſtini.

Committitur etiam iniuſtitia inter Vaſallos ſi fiat executio contra priuilegium iam in contractum tranſitum, cui contrairi neque tolli poteſt, imo licet non tranſierit in contractum quantum ad Iudices inferiores, quia non poſſunt cõtrauenire priuilegio, quod debet perpetuo eſſe manſurum, ſoliusq; principis eſt prærogatiuę eidem ſe opponere, vel in totum reuocare, vt docet regula, decet. de regul. iuris in 6.

Pari modo peccatur contra iuſtitiam ſi principes vel ſui officiales facerent contra bonam terræ conſuet. ex quo tenentur ad illius obſeruantiam, & contrafaciendo grauant partem vt eſt apertiſſimus textus, neque melior credo in Iure c. cum veniſſent, de eo qui null. in poſſ. cauſa rei ſer. ibi habetur, ſi conſuetudinem quam allegãt, laudabilem eſſe conſtiterit, quia ex hoc ſequitur eum rationabiliter appellaſſe, ob id ſicut contra leges ſic etiam contra conſuetudines poſſunt iudices & conſules ſubditos grauare. Hinc dicit Bal. in l. ſiquis non dicam rapere C. de Epiſc. & Cler. quod aſſeſſores debent obſeruare conſuetud. non ſecus atq; ſtatutum, neque minus debet puniri de transgreſſione conſuetudinis quàm legis ſcriptę, dum modo ſit conſuetudo publica & notoria: Qualiter vero ipſa conſuetudo quandoq; cedat legi & foro, Notandum eſt, quod aut ius reſiſtit conſuetudini declarando ipſam reuo-

cabilem, vel ipſam improbando, & tunc tali caſu noua conſuetudo induci non poteſt, pro quo notatur glo. fin. in Clem. ſi vna, de reb. Eccleſię non alienan. Secundo aut ius reſiſtit conſuetudini tantum ad finem, vt priſtinam conſuetudinem tollat, & hoc conſtet, quia non facit mentionem de conſuetudine niſi vt illam tollat quę alias non tolleretur c. 1. de conſtit. in 6. & tunc contra tale ius poſſet introduci noua conſuetudo. Tertio aut ius commune ſimpliciter tollit conſuetudinem, nec apparet de fine, quare lex illam tollat, & tunc aut lex diſponit ſuper ijs quæ ſunt reſeruata in priuilegium principis, & videtur tollere conſuetudinem de nouo creãdam, aut lex non diſponit in ijs quæ in priuilegium principis ſunt reſeruata, & tunc aut cõſuetudo iuuatur de nouo ratione ſeu vtilitate & valet conſuetudo, & ratio eſſe poteſt, quia eo caſu rationabilis eſt conſuetudo, aut non iuuatur noua ratione ſeu vtilitate, & tunc non valet, quia ex quo habet repugnãtiam Iuris, in dubio præſumitur irrationabilis. Aut quarto lex non reuocat conſuetud., nec de ea facit aliquam mentionem, ſed improbat quadam ratione, tunc licet lex non tollat formaliter conſuet. tamen contra illam legem non poteſt noua conſuetudo creari, vt not. in Clem. 1. de elect. in 6. ſuper verbo eligatur, vbi contra illam Clementinam non poteſt noua conſuetudo induci, & tamen ibi nulla fit mentio de cõſuetud. & poteſt eſſe ratio, quia ex quo primo improbat rationem, & conſuetudo irreuocabilis non valet, ſequitur, quod talis conſuetudo tanquam ratione carens, poſtea eſſet inualida, & hoc eſt verum niſi noua aliqua ratione iuuaretur conſuetudo, quod addit But. in c. fi. de conſuet.

Hæc ideo ex alijs collecta adijcere volui, vt vi-

deant Iudices in quibus caſibus fori & conſtitutiones diſponunt conſuetudinem futuram reprobando, & in quibus permittendo, vt à grauaminibus ſe ſe abſtineant. Quomodo vero prædictæ diſtinctiones conſuetudinum & Iuris communis intelligi debeant, niſi viderer ſuſpectus alijs (quod ſemper præcauere ſtudui) exempla poſuiſſem vnde ſolius vltimi membri de hoc exemplum vt intelligatur quomodo grauamen fiat contra conſuetud. Exemplum eſt vbi conſuetudo conſtat quod pro debito domini fiat executio in bonis Vaſallorum, pro hoc iudex requiſitus, non vult ſecundum conſuetud. Curiæ ſuæ facere executionem in Vaſallos & hic grauat. eſt enim non ſolum conſuetudinis ſed etiam ſatis conforme iuri pro quo ſolet allegari textus in l. pro hærede §. ſi quid tamen. ff. de acquir. hæred. quem textum dicit Bal. non eſſe alibi l. 1. C. de operis libertorum, ſed tamen textus iſte, loquitur ſolum de operibus vel iure operarum quæ ſunt in bonis ideo putarim de conſuetudine ſic procedere, & conſequenter iudicem contra facientem grauare, eſt .n. ſtylus cuiusq; Curiæ pro lege ſeruandus.

Præter hos modos iuſtitiam adminiſtrandi alius non inutilis ſed magis neceſſarius inuenitur, qui tunc prędictis omnibus deficientibus maxime locũ habere debet. Hic vero eſt æquitas quæ nunquam debet abeſſe iudicibus cum initio ſuę adminiſtrationis iurent eam obſeruare. Sciendum vero quod ęquitas non differat à iuſtitia, quia æquitas eſt iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata ſecundum Priſcianum, ſed propriè ſumpta iuſtitia & æquitas differunt, imo aliquoties aduerſantur, & ideo vt etiam in his Iudices norint ritè verſari, doctrina hæc neceſſaria eſt, æquitas ergo & iuris rigor conformiter ſe

habent,

habent, & vterq; ſeruatur pro vt caſus ſingularis de ſcribitur in c.diſciplina 45.diſt. vbi dicit S. Gregor. diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur ſi vna ſine altera teneatur, ſed circa ſubditos ineſſe debet rectoribus & iuſtè conſulens miſericordia,& pie ſæuiens diſciplina, hinc eſt quod ſemiuiui illius vulneribus qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt & vinum adhibetur & oleum, vt per vinum mordeã tur vulnera per oleum foueantur; quatenus vnuſquisq; qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis edhibeat, in oleo mollitiem pietatis, miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciendumq; quoddam ex vtraq; temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neq; nimia benignitate ſoluantur. Hoc ſignificabat illa tabernaculi archa in qua cũ tabulis virga ſimul & manna eſt, quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia eſt in boni Rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis ſic,& manna dulcedinis, ſit ergo diſtrictio iuſtitiæ quæ feriat, ſit & conſolatio baculi quæ ſuſtentet, virga .n. (inquit ille) tua ſum & baculus tuus ideo & ea me cõſolata ſunt, hæc .ſ. Gregorius ibi. vbi multis exemplis iſta duo ad inuicem comparantur, tenendum eſt ergo merito quod vbi æquitas & rigor ſimul poſſunt concurrere, quod vtraq; ſeruanda ſit extra de re Iudic.c. Iurgantium controuerſias celeri ſententia terminare & æquitati congruit & rigori.

Hoc autem temperamentum in bona capitis iudicantis diſpoſitione conſiſtit, vt videat quomodo per ſeueritatem vlciſcatur,& quomodo per æquitatem & miſericordiam veniã præbeat. in arbitratijs magis ad æquitatem quàm rigorem declinando c. fin. extra de tranſact. ſicut ſingulariter pro hoc notatur c.non peccatum 23. q.4. vbi reuera cum con-

tagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt, vna conſilia ſeparationis & inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega quia impia & ſuperba ſunt & magis perturbant infirmos bonos quam corrigant animoſos malos, & ibi c. duo, ex ſ. Auguſtino, duo iſta nomina cum dicimus, homo peccator, non vtiq; fruſtra dicuntur quia peccator eſt, corripere quia homo, miſerere, nec omnino liberabis hominem niſi eum perſecutus fueris peccatorem, huic officio nominis inuigilet diſciplina, ſicut cuiq; regenti apta eſt & accõmodata, non ſolum Epiſcopo regendi plebem ſuam ſed etiam pauperi regenti domum ſuam, diuiti regenti familiam ſuam, marito regenti cõiugem ſuã, patri regenti prolem ſuam, Iudici regenti prouinciam ſuam, regi regenti gentem ſuam, & paulo poſt ita nulli homini claudẽda eſt miſericordia ſicut nulli peccatori impunitas relaxanda eſt.

In alijs vero quæ arbitraria non ſunt, & tunc aut æquitus aut rigor, non ſunt ſcripta in lege regni priuilegio vel conſuetudine, nec in communi ratione apud omnes homines quod poſitiuum Ius dicitur tunc ſeruanda eſt æquitas quæ ſola ſufficit ad bene iudicandum l. ſcire oportet. §. ſufficit ff. de excuſat. tutor. & l. placuit C. de Iud. ſi autem alterum illorum ſc. æquitatis & rigoris eſt ſcriptum ſtatur ſcripto, niſi Iudex habeat poteſtatem diſpenſandi, quia tunc adhærendo æquitati, non ſcripto, non grauaret. Si autem æquitas & rigor vtrumq; eſt generale vel vtrumq; eſt ſpeciale, & tunc ſi conſtat quod eſt poſterius, tunc illud præualet c. 1. de conſtit in 6. ſi vero non conſtat quod eſt vltimam tunc vterque ſeruabitur in ſuo caſu vt l. ſanctio legum. ff. de pæn. Si vero vnum eſt generale alterum ſpeciale, quia

ſpecies

ſpecies derogat generi c. generi de reg. iur. in 6. ſeruabitur ſpecies etiam poſterior, vt uides in præſcriptione.

Omnibus autem his ſic poſitis notandum eſt, æquitatem quę in cauſis obſeruanda eſt, & Iudices prę oculis habere debent, intelligi de æquitate Iuris informata, & ideo ſi compromittatur in arbitriũ vt caſus decidatur ſecũdum ęquitatem intelligit de æquitate Iuris informata, adhoc l. bona fides. ff. depoſiti, & hæc ſunt generalia doctorum, in quibus præfertur æquitas rigori & quando debeat æquitas ſeruari & quando vigor. contra quæ ſi faciat iudex grauat, quia iniuſtitiam facit.

Quia vero ſupra poſui æquitatem conſiſtere in arbitrio Iudicis, & non iuris neceſſitati ſubiici, pro cuius ſpecialitate tale ponitur exemplum multitudo ſeu Vniuerſitas aliqua delinquit, quæ de rigore Iuris in ſolutum puniti poteſt, ſed tamen Iudex æquitate penſata vult ſolum principales punire & poteſt non facere citra grauamen extra de tranſact. c. fin. Neq; ſolum hoc Iudex facere poteſt in multitudine committente ſed etiam ſuadente æquitate citra grauamen Iudex iuris limites excedere poteſt, vt in litigantiam animis concordandis. nam quamuis de rigore Iuris quis non poſſit cogi ad concordiam, vt eſt gl. in l. 1. §. & poſt ff. de no. oper. nunt. tamen æquitate ſuadente, quando Iudex videt durius agi inter partes altercantiũ, nam tunc Iudex poteſt, imo debet partem ad concordiam reducere & illas facere concordes, & ſi id facit non grauat textus eſt huius rei in c. placuit 90. diſt. & tali caſu ſi Iudex criminum alicui partium terrorem incutiat vt ad concordiam reducat non grauat, quia æquitas qua mouetur grauamen purgat vt notat Hoſtie. in ſum.

de

de dilat. §. 1. verſ. & non. & ſi Iudex, & ex hac æquitate amplectenda ſi quæſtio ſit inter magnates quia ex illorum quæſtione reſpub. læditur & turbatur, quod illos nobililes & magnates etiam ciuiliter altercantes poteſt cogere ad concordiam Iudex, quia bonus præſes debet laborare ad generalem pacem & concordiam & quietem prouinciæ ſibi decretæ, & vt videas illa poteſt facere iudex inferior ex dictis cauſis ex quadam æquitate etiam contra rigorem à fortiori, ergo idem facere poteſt princeps, & generaliter in his in quibus generalem & liberam habet adminiſtrationem vt not. extra de elect. cum inter R. ſeniorem, vbi poteſt princeps cum altercaretur inter duos de aliqua gratia vel priuilegio de quo totalis diſpoſitio eſſet in eo, ad concordandũ vel componendum partes cogere, citra grauamen vt patet in prædicto cap. Similiter è contrario omiſſa æquitate, Ius transgreditur etiam cauſa ſuadente citra grauamen, exemplum, homo occiſus in Curia præſente officiali in eius neglectum, vel in Eccleſia coram toto populo vel in concione vel in ſeditione & timetur forſan ſcandalum propter populi tumultum, nam ijs caſibus & alijs ſimilibus ſi Iudex omittat facere proceſſum æquitatum ſecundum limites fororum vel conſtitutionum, dum tamen de veritate ſibi in iudicio conſtet, non dicitur ex tali transgreſſione grauare, prout caſus iſte habetur in l. ſi quis filio §. hi autem verſ. quod tamen, de iniuſto rupto, & irrito facto teſt. Hinc dicit Bal. in l. obſeruari §. profeciſci. ff. de off. procon. quod talis officialis ex tali tranſgreſſione non debet ſindicari cũ forte fecerit id per quod multorum ſalus procuratur, quæ omnia cum grano ſalis intelligenda ſunt; Nam Iudex non debet in tantum tranſgredi leges

quod iuſtas defenſiones delati non audiat alias capite punitur l.lex Iulia.§.hodie.ff.ad l. Iul. repetund. vbi dicit Bald. in l. additos C. de Epiſc. aud. quod paria ſunt occidere innocentem ſc. vbique ad iuſtitiam confugit ſeu ad iuſtam defenſionem,& accuſatum non audire,& non mirandum eſt de hoc,defenſio.n. in lite eſt de Iure naturali Clemen.paſt.de re Iud. ideo cauendum eſt Indicibus vt in quocunq; proceſſu defenſiones audiant & iuſtitiam iuxta quarumcunq; pronunciarum & regionum ſtatuta modosq; adminiſtrent, quod quamuis non omnibus ad obuiam ſit,multamq; requirat induſtriam & prudentiam tamen in hac bonus princeps plurimum ſuplenari poterit prudentiam ſuorum conſiliariorum reſponſis,de quibus proximum caput ſequitur.

CAPVT XXX.

Ut Iuſtitia rectè adminiſtretur, opus eſt Principi bonis Conſiliarÿs.

LAudatiſſimus is princeps dicitur,qui omnia per ſe videt,ſed laudaudus & is eſt qui paret recta monenti vt ait Heſiodus in operibus: cum vna mẽs hominis regni, magnæ molis incapax ſit, & non poſſit cuncta negotia complecti, magnis indiget adiutoribus tanquã adminiculis, ſapiens itaq; princeps ſapientum voluntatem commercio & conſilio vt præterita præſentibus accommodet & futuris proſpiciat, omne enim conſilium de altero horum accipitur, totaque vita hominis & omnis ars regiminis aliaq; in his conſiſtit, ſicq; tripartitum conſilium dicebat Plato Dyogenes Laert. lib. 3. in vita Platon.

præteritum tempus exempla ſuppeditant, dum attẽditur, quid, cur, quamq; gens paſſa ſit, vt caueamus, aut quid prudenter egerit vt imitemur, præſens aũt rem ipſam quæ eſt in manibus conſiderare monet, puta imbecilles muros homines timidos, annonæ caritatem &c. futurum proſpicere ſuadet vt neque fiat temere, habeatur bonæ opinionis ratio, vt non eſſe violãdas ſuſpicione legationes, ſic teſtatur Clẽ Alexand. lib. 1. pædagog. c. 60. Conſilia inquit dandi tres ſunt partes, vna quæ fuerit exemplum de præteritis, vt quid hębreis aduenerit quia fornicati ſunt Exod. 30. quia vitulum adorauerunt, altera quæ ex præſenti colligitur vt quæ ſenſu compræhendãtur, vt Deus reſponſum dedit interrogantibus an ipſe eſſet Chriſtus, abite dicite Ioanni, cæci vident, ſurdi audiunt, leproſi mundantur. Tertia ex futuris quęq; ventura ſunt iubet caueri, vt qui peccauerit eijcietur in tenebras exteriores. Eſt autem ipſum conſilium res quædam ſacra vt dicebat Plato lib. 3. de ſapientia, neq; diuinius aliquid eſſe poteſt, de quo quis conſulere queat, quam de ſui inſtitutione, atq; ſuorum in arte gubernatoria. Idem Plato in Alcibiade, c. 1. hominis ars & ſcientia gubernandi reſpub. nulla alia dicitur, quam bonum conſilium, bonum autem conſilium hoc vocatur quod ad meliorem ciuitatis inſtitutionem ſalutemq; ad conſenſionem populi & tranquillitatem pertinet, in omnibus. Itaq; rebus & negocijs priusquam aggrediamus adhibenda eſt præparatio diligens, & maxime in rebus magnis memoriaq; dignis conſilia primũ, deinde acta, poſtea euentus ſperandi ſunt.

Conſilium autem vnum ſolum non admittit, ſed in vnam ſententiam plurium collationem, vnde & nomen compoſitum videtur, ſoluta autem conferri

poſſunt

poſſunt ab vno ſolo expertiſſimo, vel alio quocunq; vel à pluribus. Vnde quidam ſibi conſulere & ſuã cauſam extendere dici poſſunt, & deliberare quæ facturi dicturiuè ſunt, res ipſa experientiaq; docet, quantum ſemper profuit conſultare & conſilium accipere vel conſulere de agendis & faciendis, multarumq; rerũpub. teſtatur idipſum interitus, eo quod vel præcipitantes fuerint vel ſine conſilio recto maximè vero dum agitur de inſtituenda conſeruanda & defendenda republ. vtendũ eſt conſilijs, alioqui, vt dici ſolet quia canis celerius parit, ideo cæcos, & nondum maturos edit catulos, ſic quoq; adminiſtrantibus reſpub. temeritate feſtinationeq; rem geri poſſe opinantibus nullum bonum, nullum conſtans eſſe poterit, hinc dici ſolitum eſt feſtina lente, omne enim ſatis celeriter factum dicitur, quando ſatis bene factum conſtat, ex quo inſinuatur quod induſtriæ celeritas & diligentiæ tarditas ad rem ſimul adhibenda ſint id enim eſt feſtinare lente, quod non præcipitare, ſed paulatim, & ſuis conuenientibus gradibus rem negotiaque ordine ſuo tractare, quod & ſi omnibus perneceſſarium ſit aduertere, potiſſimum tamen rerumpub. rectoribus conuenit, quia grauius in his quæ plures quam quæ paucos lædunt peccatur, peccant autem facile Principes & præpoſiti nimia animi celeritate, quę naturali quodam vitio ſuffultaq; eſt ſuperbia, quæ affectibus & motibus repentinis rapit tranſuerſos Principes, vt ſępius agant ex impetu, & proprio motu præcoces, quam bonorum conſilijs monitionibusque. Vnde ſeipſos illaqueant, & imperij molem in infinita mala præcipitant.

Quemadmodum enim conſilia recta firmãt rempub. ſic omiſſio illorum peſſimos producit effectus

qui ſunt quod populus non diligat Principem, non curet dicta edictaq; illius, nec ſuū quisq; alteri reddat, ſpreta vero Regum, Principumq; maieſtate nulla ſalus Reipub. ſperanda eſt. Viceuerſa ſi Princeps vſus fuerit conſilio, & ſi quædam quandoque mandata ſubditis, & populo videantur acerba & inſolita, ſi tamen ex conſilio fiant, & dilectione erga ſubditos non aſpernantur ab ipſis, ſed pro recte mādatis iuſtisq; habentur, indeq; maior huic Principi accedit maieſtas & populi exinde in ipſum augetur reuerentia, ſimul & timor in ſuum Principem delinquendi, metuimus enim naturaliter illum, qui cum conſilio ſcelera vindicare nouit, viciſſimq; diligimus quem ſcimus iuſte vnicuiq; quod ſuum eſt cum conſilio tribuere.

Quare vt præcedenti capite diximus, & initio primi libri ſalutem Reipub. pendere ex optimis ſtatutis legibus & conſuetudinibus; ſic quoque eandem prouehi & ampliari dicimus bonorum virorum conſilijs quorum leges aliud nihil ſonant, quam conſultationes & conſilia. Conſultatio enim habet boni electionem cuius boni cum vero iuſtoque initium eſt, ideoq; & lex vera iuſtaue dicitur.

Quanto vero copioſiora ſunt conſilia, & crebriora tanto vberius bonum in rempub. perfunditur. Hinc apud Romanos mos fuit, quod Traiani Adrianiq; Imperatorum temporibus pro decidendis cauſis negotijsq; reipub. ipſi Senatores Equitesq; Romanos in concilium adhiberent, & ſententias ex omnium opinione ferrent, cui Alexandro numeroſiſſimum Conſilium fuit, in quo erant Iuriſconſulti non pauciores viginti, vt refert Spartianus in eodem ex quibus numerantur præcipui, Vlpianus & Iulius Paulus, qui vertices legum dicti, Martianus

& Pomponius alijque clariſſimi legum profeſſores ſine quorum conſilio nihil vnquam actum fuit, per ſtat hac de re Theodoſii & Valenti: Cæſarum lex in C. de legib. & conſt. Princ. Octaua, in qua modus ordoque notatur qualiter Principes in concilio ſedere præſentesq; exiſtere, & decernere cum alijs debent, ſic enim habet lex illa humanum eſſe probamus, ſi quid de cetero in publica priuataue cauſa emerſerit neceſſarium, quod formam generalem, & antiquis legibus non inſertam expoſcat, id ab omnibus antea tam proceribus noſtri Palatij, quam glorioſiſſimo cœtu noſtro patres conſcripti tractari, & ſi vniuerſis tam iudicibus quam nobis placuerit, tūc legata dictari, & ſic ea denuò collectis omnibus recenſeri, & cum omnes conſenſerint, tunc demum in ſacro noſtri nominis conſiſtorio recitari vt vniuerſorum conſenſus noſtræ ſerenitatis authoritate firmetur ſcitote igitur patres conſcripti non aliter in poſterum legem à noſtra clementia promulgandam, niſi ſupradicta forma fuerit obſeruata, bene enim cognoſcimus quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum vt ad beatitudinem noſtri Imperij, & ad noſtram gloriam redundare.

Forma in hac lege traditur ſecundum quam Princeps populi ſuorumq; ſubditorum ſalutem procurare tenetur, cum enim is ſummus ſit in populo debet etiam ſum̄mum bonum imitari per hoc enim ſe Deo quaſi parem facit dum vaſſallorum ſuorum neceſſitates diſſoluit aliorumque curas in ſe ſuſcipit: hinc Imperatores olim dixiſſe legimus pro ſubditis ſuis: voluntarios labores competimus vt quietē eis præparemus, vt in aut: vt Diui in ſu: ſubſcrip. hāc glorioſi quæſtore coll. 8. in princ. & in aut. vt Iudices ſine quo: ſuff. in princ. coll. 2. & idem dicit Pontifex

tifex in proemio ſexti noctesq; tranſimus in ſomnes & illas ſub æqualitate dierum tranſeuntes, vt ſubiecti ſub omni quietitudine uiuant, hinc etiam eſt quod Deus omnipotens cui omnia certa ſunt, & nuda, cum vidiſſet peccata Sodomorum noluit audita iudicare, ſed manifeſte cognoſcere quæ dicebantur. Gen. 18. deſcendam & videbo vtrum clamo-
„ rem qui venit ad me opere compleuerint, Iudicib.
„ & prȩlatis dans exemplum ne quid citius dijudicēt niſi illis conſtito, vt iudicibus, ſic legitur Lucæ. 16. quod villicus ille, qui diffamatus erat apud Dominum ſuum quod diſſipaſſet bona ipſius audiuit ab illo. Quid hoc audio de te? redde rationem *villicationis* tuæ, iam enim non poteris villicare, in ſecūdo dans Principi prælatisq; exemplum, vt cum viderint malam adminiſtrationem offitialiū per frequentem clamorem ipſi deſcendant, ad curias celebrandas, ſeu comitia, vt vocant, & videāt an clamor qui ad eos peruenit opere completus ſit, ad hoc eſt textus in auth. vt Iudices ſine quoquo ſuffragio §. 1. coll. 2. vbi dicitur quod Princeps videre habet ne ſubditi à Iudicibus, vel offitialibus aggrauentur, vel male tractentur, nam tunc Princeps abundat, cum ſubditi bene tractantur & ſunt loclupetes. & tales ſimiles cauſæ malæ tractationis, & iniuſtitiæ mouere debent Principes ad iudicanda comitia vt videre eſt in feu. de prohib. feud. alien. per Lotar. cap. Imperiali, ibi, per multas, & cum interpellationes ad nos factas didicimus.

Hanc ob cauſam ſolebant olim Perſarum Reges obire omnes vniuerſæ ditionis ſuæ Prouintias & eas perluſtrare, vt viderent quid opus eſſet, & Regem deſiderarent, quod & Plato teſtatur feciſſe Minoem Cretenſium Regem, opera Rhadamanthi, &

T aloenis

Taloenis, qui ter in ſingulos annos regionem paſſim obibat, cuſtodię legum intentus ęreasq; legum tabulas pagatim circumferens, ſic alij omnes quibus proba reipubl. cura fuit rectaq; cum gloria ſucceſſu adminiſtratio, feciſſe conſtat & Senatus, & conſultorum iuditio vſus, vt fuerunt Veſpaſianus, Titus, Traianus, Antonini, & alij, vt contr qui a Senatus conſilia perſonasq; bene cōſulentium ſubditorūq; ſuorum neceſſitates deſpectui habuere, & odio, vt tyrannicè, & cum vitijs liberius viuerent, dum putarent eam libertatem male agendi iucundiorem, reiectis frenis rationis & conſiliorum, ſe & rempub. in pernitiem immedicabilem conijcerunt, vt Heliogabalus Baſſianus, Nero, Caligola, & id genus alia.

Cauſæ porro quare olim Principes conſilia & comitia quotannis celebrabant, expreſſæ videntur in l. obſeruare C. de decurio. lib. 10. vt ſunt reparatio iuſtitiæ, pacis compoſitio. Prouinciæ reparatio, delictorum punitio, offitialium creatio, & de prohib. ſeu: alien: per Lotar. & Fredericum c. 1. & c. propter eccleſiaſticas 18. diſtin.

Hunc morem conſiliorum, & comitiorum faciēdorum noſtri quoque Principes obſeruant, dum publico edicto in omnibus ſuis Prouincijs ſignificant quod futura erunt comitia generalia tali die locoque determinato, mandantq; primatibus ſeu præfectis prouinciarum dictum illud publicari & certiores facere omnes ſuæ Prouinciæ ſubditos, vbi Eccleſiaſtici, & nobilitas, cæteræque ciuitates, quid ſibi oneroſum aut moleſtum ſit articulatim ſingula deſcribentes, factis comitijs per ſuos deſtinatos & legitimos ſyndicos offerunt ſic demum omnes ſyndici omnium prouinciarum nobilium plebis & ec-

cleſia-

cleſiaſticorum die à Principe conſtituto in loco cõſueto comparent, vbi primum agi debet de reformatione morum & vitiorum reipub. vniuerſæ, de correctione abutentium poteſtate Principis ſibi cõceſſa, & de nobilium ſuperbia, qua opprimunt ſubditos & eccleſiaſticas perſonas pro quo optimum & ſanctiſſimum remedium eſt Principibus ſi perſonaliter omnes ſuas ditiones, vt alij fecerunt olim, viſitare nequeant quo inſtrui poſſint & edoceri de vniuerſis quæ in Prouincijs fiunt, idipſum per alios fieri demandent, poſſunt enim tunc tutius, & ſecurius ſubditi vtriusq; ſtatus coram Principe damna & cauſas atq; oppresſiones deponere quæ forſan coram tyranniculis præpoſitis cęlare coguntur.

Quod ſi fortè ſint in Prouincijs coniurationes aliæq; contra Principem machinationes, has alio nõ faciliori modo depræhendet Princeps, quam ſi præsẽs ipſe ſit comitiaq; celebret, ſic notabit rebelliones quas aliquando ſolum à longe olfecit; intelliget deniq; ex his curijs, & conſilijs quid noui quisq; in prouincia moliatur, & de his quos habet ſuſpectos clam. inquiſitione facta, apertius per ſe cognoſcet intelligetq;, totam regni ſui politiam, populorum deuotionem, vel alienationem à ſe, & authores iſtorum, & ita medebitur ſingulis, & inſtitutas coniurationes, & rebelliones pręuidebit, & præcauebit. Fuit iſte mos etiam in eccleſiaſtica politia, clerum quotannis in vnum congregare qui quandiu obſeruatus fuit ſecundum leges præſcriptas ſtatus reipub. floruit, vt contra vbi tantum perfunctoriæ vel procurationum, ſeu penſionum recipiendarum gratia ſeruatus, vel abolitus eſt incuria prælatorum, collapſa, omnis fere pulchritudo Hierarchię Eccleſiaſticæ, corrupti mores, extinctum lumen, tenebræ

latæ

latæ per populos diffuſæ, quæ anſam dederunt Sathanę & impijs hæreticis, paganis & infidelibus graſſandi in gregem Dominicum, fidemq; Catholicam; & ſerenda zizania tacentibus legibus, quæ ſanctiſſimè de hac Cleri Eccleſiarumque viſitatione locutæ ſunt.

Fuit & alius laudatiſſimus mos pro conſeruanda religionis in regno ſynceritate, de quo in concilio Baſilienſi ſed parum obſeruatus, vt ſcilicet concilia generalia fierent in Eccleſia Dei, de decennio in decennium, quia frequens illa celebratio agri Dominici præcipua cultura eſt, vepres, ſpinas, tribulos hæreſum, errorum ſciſmata extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat: neglectus vero eorum prædicta diſſeminat, vt refertur in c. 1. de authoritate generalium Conciliorum in pragmat: ſanctionibus ſic & iniunctum fuit Epiſcopis & Archiepiſcopis ſynodos Epiſcopales & prouinciales annuatim ea de cauſa celebrare, quæ ommiſſæ mores deprauatos fouent nutriuntq; in Clero.

Quibus omnibus medendi ars optima eſt prudentiſſimorum virorum cum Principe facta conſultatio, multorum nanque facta Concilio ſententia melius approbatur quam vnius, & oculi plures plura vident, quam vnus.

Præſtat hoc loco examinare quales eſſe debeant in talibus ſimilibusq; cauſis decidendis conſiliarij? & vtrum Princeps neceſſario eorum Concilio acquieſcere teneatur. Vt ergo conſilium Principis ſit tutiſſimum & ſibi & populo, vtque omnes concordia inſolubili coniungantur, obſeruabit ne conſiliũ componat ex ſola nobilitate aut ex ſolis Eccleſiaſticis perſonis, ſed cum illis alios etiam peritos adiungat Princeps, item is ex populo ſeu ex plebe, vt ſicu

ti trium ſtatuum res negotiaque conſideranda veniunt, ita etiam trium eorumdem ſentiant patrocinium, ſintq; ita tres iſti ſtatus in vnum coniuncti, ad Principẽ, ſicut communi ad ſe inuicem gaudent videndi commertio, ex quo mirabilis orietur harmonia ita vt plebei non redigantur ad ſeruitutem per nobiles, aut hi liberius ſumant occaſionem coniurandi in Principem, neque ex arbitrio imperiti, excluſis iuriſperitis leges & iuſtitiam remq; publicã ſubuertant, atq; pro hoc non erit abs re ſi etiam Princeps ſuos filios agnatos & proximos ſanguine, etiam ſi in dando conſilio valde nõ ſint idonei adhibeat, ne excluſiõ horum odium aut ſuſpectiones excitet. Sique fidos probosque conſiliarios prædeceſſores ſui retinuerit Princeps ab his multa diſcere poterit vtilia gubernationi, ſi tamen habeantur illi ſuſpecto vel à populo, vel à proceribus, quod fuerint mali prędeceſſores conſiliarij, potius amouendi ſunt, ſicut & alij omnes, oportet enim Principem habere bonos conſiliarios, bonosq; miniſtros, conſiliarios, amicos veridicos, non palpones, prudentes, & recte conſulentes, animorum ſubditorum prouintięque ignaros, ſenes, varia fortuna exercitatos, gerendis rebus magis quam innouandis aptiores, ſine ambitu, aut priuata comendatione, ſed publica delectos, conſtantes, modeſtos, pios, ſecretos, & Catholicos, qui non ſint peruicaces & contentioſi tutandę ſuæ ſententiæ cauſa, alijs inimici, ſint affectibus vacui in dubijs non lucri cupidi, cum his Princeps maturè conſultabit.

Mali conſiliarij & peſſimi adulatores nebulones & Principem & rempub. perdunt. Quorum conſilium eſt dictum iuuenum à quo Roboam deceptus, amiſit decem partes regni ſui ex duodecim tribubus

bus 3. Reg. 12. de quibus alias.

Deberent ſanè Principes, potentatus, & Domini ſicut eorum poteſtas à Deo eſt, ita grato animo illa vti, vt ad ipſorum exemplũ cæteri diſcerent: Principum namq; vita (vt Plinius in Traiani Cæſaris Panegyrico aſtruit) cenſura eſt eaque perpetua, ad hãc dirigimur, ad hanc conuertimur ipſi autem ſurda aurę (ſerpentum more) fingunt longius ire, & ne videantur eorum opera praua offitiales ſæpe eligunt, qui profligatis penitus legum, canonumq; placitis nil aliud ſtudent niſi vt Domino placeant, ob quod laxatis habenis in miſeros ſubditos infœliciter ſæuiunt, ipſosq; bonis ſpoliant, vt Dominos ditent ac veſtiant, ipſoſq; excoriant, & ad ſanguinis vsq; & animæ deliquium emiſſionem totalem reducunt: ò miſeri terq; quaterq; miſeri, & infœlices, cum vnà ſimul ante Dei tribunal exactam reddent rationem geſtorum vsq; ad vltimum quadrantem, ego enim, penitus ignoro cui potius iſtam infœlicitatem tribuam, an offitialibus talia gerentibus, an Dominis potius non reluctantibus? de his dici poteſt, quod cæcus cęcum ducat, & ambo in foueam cadant, gloriantur tales poteſtates quod crudeles, & rigidi atq; ſæueri ſint, è conuerſo Domini quot offitiales habeant fiſcales, ò infœlices, quanto nos ethnici antecellunt cum & Plinius ſupradicto loco aſſerat, tunc Principem bonum eſſe dum fiſcus eius vincitur, non autem dum ditatur, dum ait ſæpius vincitur fiſcus, cuius mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe. Horum omnium cauſa potiſſima in vtroq; eſt auaritia, quæ cum ſit idolorum ſeruitus qui eam inſectãtur Chriſtianos ſe non eſſe profitentur, quia vt ait Seneca non ſatiat pecunia auaritiam, ſed irritat, ideo ſemper indiget. Nullum in-

quit Cicero in oratione pro P. Quintio, eſſe poteſt offitium tam ſanctum atq; ſolemne, quod non auaritia comminuere ac violare ſoleat, horum nulla eſt vtilitas neq; Principis gloria, ſatiusq; erit carere talibus, quam aulam ornare ſpolijs miſerorum.

Nunquid vero Princeps ſemper tenetur ſequi ſuorum conſiliariorum ſententias, vel maioris partis, vel neglecto illo negotia per ſe expedire, & quod Principi placuit habendum pro iuſtitia? Poterit Princeps naturali quodam iuditio & frequenti vſu ſimilium rerum, & cauſarum benè vel malè ſuccedentium negotiorum, quid ſibi expediat, ex illis quæ dicentur, perpendere, & ante penes ſe conclusionem meditari, nullus enim eſt ex conſulentibus ad quem magis damnum vel vtilitas conſilij pertineat quam ad Principem; tum quia variæ ſunt conſulentium voluntates latentes ſæpe, & ſubdolæ, quę ſermone non produntur, principis prudentia erit audire omnia patienter, quæ à contrarijs partibus paribus, & diſparibus ſuffragijs dicuntur, rationibusq; firmata obſeruabit, ipſe vero nullam *reſolutionem* emittet, neq; cuius conſilium plus minusue approbet, dicet; ſed poſtea quid ſibi videatur omnibus inſcijs, vel paucis conſcijs ſtatuet. Quod ſi conſulta in conſilio ſibi non ſatisfaciant, debet non inſolenter conſulta reijcere, ſed tanquam maturiori habita de eadem re deliberatione ſtatuere: neque id moleſtè ferent conſiliarij, ſciunt enim ſe admiſſos ad conſilium, non vt concludant, ſed vt tantum quę ſibi meliora videantur proferant, vnde ſi Principi viſum fuerit, poterit conſilium ſuum in melius mutare, cum prudentes id facere debeant, præſtat enim in melius mutare quam in male inſtitutis pergere, nec eſt turpe cum re mutare conſilium, cū ma

gna

gna pars conſilij ſit in tempore, & conſilia rebus aptentur, res noſtræ feruntur imo voluuntur, & conſilium ſub die naſci debet, & ſic poteſt Princeps contrariam ſuam conſilio ſententiam tueri, erit tamen de honeſtate, & non de neceſſitate illorum conſilio, vel parti melius ſentienti, quam ſuæ ſententiæ deferre, ne ſua præſumptione ſe & rempub. in præcipitiũ à quo reſurgere nequeat, ſciens prudensque conijciat: eorum vero quibus poteſtatem non ſolum cõſulendi ſed etiam ſtatuendi dedit maximè conſilia rata habere debet ſiquidem ſapientis & prudentis id exiſtimatur eſſe Principis, Conſilijs etiam aduerſantibus ſuę ſentẽtiæ potius deferre in dubijs quam ſuæ opinioni ſi ſcilicet conſulentium animos iam perſpectos habeat quod ſint fidi amici, & prudẽtes.

Quo in negotio imitabitur dictum Martij Antonini Principis & Philoſophi æquius inquientis eſt, vt ego tot taliumq; amicorum conſilium ſequar, quam tot taleſq; amici meam vnius voluntatem, vnde ſi ita egerit Princeps carebit ſyndereſi & remorſu conſcientiæ. etiamſi res conſilio facta careat ſuc ceſſu optato, id enim euentui, & non imprudentiæ vel ſibi imputandam erit: quia vſus eſt medijs humanis prudentum virorum, & conſilijs, quare Deo potius vel fato talis euentus aſcribendus erit.

Denique ſuorum conſiliariorum conſultationes ex bono an procedant iuſtæque ſint, facile ex tribus conijcere poteſt Princeps, quæ ſunt ſcilicet honeſte viuere, alterum non lædere, & ſuum cuiq; tribuere, honeſtum enim ſemper vtili preferendum dicimus, ſicq; deſpiciendam vtilitarem vt honeſta faciamus, ſi vero incertum ſit an honeſtum vel vtile, inſiſtendum aut in qualitate aut in coniectura, conſultari autem omnia oportet, aut propter ipſa, aut propter

pter alia, eſt demum.

Eſt aliud optimi & boni conſilij inditium quod pertinet ad vtilitatem Reipub. ſi illud. ſ. Principaliter ſalutem, & vtilitatem Reipub. reſpiciat & deinde per conſequentiam ad vtilitatem ſingulorũ, pertineat, an vero ad vtilitatem principaliter priuatorum, ſemper autem in concurſu præferendum bonum commune priuato. Quo in concurſu bonus Princeps expendere debet quomodo publico concurſu poſſit ſine detrimento priuati cuiusquam ſuccurrere nam & ſingulorum vt publici curam gerit, vt & Deus Rex regum prouidentiam ſuam extēdit, & curam vsq; ad minimum capillum & ad *paſſeres* ſingulares. Hic porrò publicum bonum non intelligitur commodum ſolius Principis nam Princeps etiam propriam vtilitatem contemnere debet, vt publicę rei conſulat, & in hoc bonus & legitimus dicitur Princeps, cum pro Repub. quam curandã ſuſcepit non tantum bona propria ſed etiam propriam vitam exponere debeat, bonus enim *paſtor* cui aſſimilantur Reges, & Principes, animam *ſuam* dat pro ouibus ſuis, ſicut contra tyrannorum mos eſt omnia ad propriam vertere vtilitatem, gloriam ſuam, & ambitionem, vnde merito pro paſtoribus Lupi facti ſunt rapaces, ſuas iniurias non populi vindicantes, cum tamen boni Principis eſt ſuam quodammodo curam negligere, proprias iniurias contemnere, & remittere, ea vero ſolum quæ ad populum pertinent vindicare, quæ vindicatio populi non ſolum conſiſtit in conſiliorum celebratione, ſed etiam in executione, vt cuique in ſpecie & in particulari iuſtitia & æquitas adminiſtretur, quod nũquam melius efficiet Princeps quam ſi poſt conſiliarios ſuos aliquem Prouincijs

ſuis

ſuis ſingularem conſtituat omnium reliquorum præfectum & inſpectorem.

CAPVT XXXI.

Poſt Conſiliarios, Principis eſt in qualibet ſupra prouincia Præſidem conſtituere.

SOlent in bene conſtituto regno varij iuſtitiarum executores conſtitui quos vulgo iuſtitiarios dicunt, ad ſupplendam regis vel principis perſonam, & ad parcendum ſumptibus ſubditorum quibus coguntur longius adire principem, in eum euētum vt ſiquid cōtra priuilegia regni ſeu leges in curia cum prouincialibus latas factum fuerit ab ipſis proceribus ſeu illorum inferioribus Iudicibus, id per regni ſeu prouinciæ præſidem emendetur. Cui præfecto ſeu præſidi magna eſt collata à principe Iuriſdictio vel quandoq; ex regni priuilegio proninciarumue lege, ita vt etiam principis authoritas exinde excluſa videatur, pro quo facit quod notat Dom. Antho. de But: in decretali cum contingat, qui dicit quod vbi priuilegium vel conſuetudo tribuit Iuriſdictionem inferiori ordinariam, illam tribuere videtur excluſo ſuperiore, & quo ſpecie actum eſt, hoc etiam de Iure manifeſtum eſt, vt cum à ſuperiore alicui ſubdito datur ex priuilegio vel conſuetudine Iuriſdictio ſemper videtur actum quod ſuperior excludatur, & facit c. adhæc de exceſ. prælat. Verum licet regulariter in cauſis præſidis Iuriſdictio ſit coarctata ſaltem in exercitio, iuriſdictio tamen principis non eſt excluſa quantum adhoc neque in exercitio, neq; in habitum quia licet princeps magnam iuriſ-

dictionem concedat alicui non tamen concedit illam à ſe ex propriando, adhoc l. legatus. ff. de off. præcon. ſicq; per Iurisdictionem præfecti prouinciæ non eſt excluſa Principis neq; eius delegati, qui in cauſa ſibi delegata maior eſt & quocunq; ordinario, c. ſanè de off. delegati.

Quia ergo prouincię præfectus ſeu præſes ſua vtatur Iurisdictione, videndum, in quibus caſibus id fiat, & hoc loco non de alicuius prouinciæ certa cõſuetudine vſuq; certo in ea procedendi loquendũ nobis eſt, ſed ſolum iuxta Iuris communis directionem & facultatem eatenus quatenus delicta & iniquitates coerceantur & iuſtitia promoueatur idq; ex authoritate principis.

Primum veniunt cauſæ pupillorum, viduorum, hominum ſenum & debilium & aliarum miſerabilium perſonarum, quæ ſub protectione & Iurisdictione Principis ſunt vt in l. vnica C. quando Imperator inter pupillum & viduã, quarum licet quælibet iuſtitia ſuffragium accipere debet, ſingulariter de Iure prędictis ſic conceſſum eſt in fauorẽ vt principis authoritate ſicq; ſui præfecti prouinciæ tueantur, eoq; fortius quo ſolicitus id ipſum expoſtulauerint; nec ex hoc excluduntur expoſiti, cæci, mutilati membris, captiui, leproſi, debiles & alij ad quos commiſerandum natura commouet, quamuis plurimi tales orphani & expoſiti inueniantur de quibus natura non miſeretur quia poſſunt eſſe tam opulenti & tales qui in ſuis negocijs poſſunt multum bene intereſſe & forſan pro alijs intereſſent, tales quod priuilegio gaudeant non videtur legi conueniens, cuius cauſa eſt, quia alij ſibi opem ferre non profe-rant, & ob id natura miſeretur eorum, & ſuper his fundatur ratio priuilegij, vt ſupra in dicta l. vnica, &

ipſum ſuadet textus 87. diſt. in c. deſolatis, vbi dicit, deſolatis proprie defenſionis auxilio qui ſuis actibus inter eſſe propter infirmitatem ętatis non poſſunt, exoratum decet pontificem. Si autem eſſet orphanus maioris ætatis, iam nupta mulier vel vir opulentus prætextu orphanatus non gaudebit priuilegio, ex cauſa priuilegij ceſſante c. cum ceſſante de appellat. & hoc volunt puto pendere ex arbitrio Iudicis.

Præterea cognoſcit talis præſes ſeu pręfectus prouinciæ principaliter in caſu appellationis interpoſitæ non tamen ita quod ipſe ſit Iudex omnium appellationum ſed ſolum illius fori cuius ipſe præfectus eſt, & communiter ſibi etiam fit generalis commiſſio, per principem omnium cauſarum appellationis a delegatis interpoſitarum, & ſecundarum ab ordinarijs & in illis eſt delegatus Iudex: quam generalem commiſſionem ad publicam vtilitatem cõſuetudo tolerat, ne partes magnis tunc expenſis cogantur quærere principem, quod alias de Iure tam latæ commiſſiones non valerent c. quia nonnulli extra de reſcript. Item is cognoſcit de crimine læſæ maieſtatis, falſæ monetæ, plagij, & de raptoribus itinerum, quia iſta crimina principaliter tangunt Principem, & ſic illi eſt reſeruata Iuriſdictio & habenti locum principis in regno ſeu prouincia vt eſt dictus præſes. Nec hoc loco aliquis Baro aut comes ſibi blandiri debet quod eiuſmodi criminum executiuam habeat, vel ex conſuetudine, vel ex conceſſione Principis, ſicut multoties nobiles ſibi videntur ſimilia imaginari, quod hoc illud ue ius in regno ſibi ſucceſſoribusq; ſuis præſcriptione quæſierint. ad hoc vt intelligatur notãdum quod à principio iuriſdictio & omnis poteſtas fuit regia nam

Iure regio gentes viuebant in l. 2. ff. de Orig. Iur. ex poſt vero per vſurpationem fuit in populo, demum populus omnem iuriſdictionem in Imperatorem tranſtulit, Inſtit. de Iure nat. §. ſed quod Principi, cumq; Princeps non poſſet de per ſe iuriſdictionẽ & Imperium ſolus regere, creauit ſuos officiales & gubernatorem prouinciæ cui eam committebat, illiq; committebat merum imperium: dehinc creatæ ſunt à principibus aliquæ dignitates, & aliquæ etiam ipſa conſuetudine introductæ ſunt, vt Ducatus, Marchionatus, & Comitatus, vt videre eſt in feudis, quid ſit Dux Marchio, & iſti habebant iuriſdictionem & merum imperium: quia *fuit iam* cõſuetudine vſurpatum, quod eſſet in commercio, & princeps hoc illis concedebat expreſſe, quia alias de Iure merum imperium non veniebat nec transferebatur niſi princeps ſpecialiter concederet vt dixit Bal. l. 1. ff. de off. præfect. Vrbis. Item fuerunt aliquæ Baroniæ quæ habebant iuriſdict. & merum imperium etiam ab antiqua conſuetudine, vt in c. dilectus de offic. ordin. ſicq; vides quod merum imperium fuit etiam intra prouincias generales diuiſum, & alijs, exercebant illud inter ſuos quã hi qui prouincias regebant. Item aliquæ ciuitates Lombardiæ hoc habuere in priuilegium à Federico Imperatore c. 1. de pace conſtantiæ col. 10. & ſic merũ Imperium fuit prophanatum & in commercio tam ex priuilegio quam ex vſurpatione. Nunc vero poſt correctionem iuris & Imperij hoc merum imperium non eſt de conſuetudine vel præſcriptibile, loquor de illo mero ĩperio ſupremo quod Princeps vel Rex habet in ſuo regno vt Dominus & protector ſuper quo fundatur obedientia Vaſallorum, & quod non fuerint eius vnquam imperio & ditioni

ſubditi

ſubditi, & hoc eſt clarum quod nullus in regno poteſt acquirere, quia vt acephali tunc eſſent tales acquirentes & ſine capite membra. Vnde ſi qui ſunt nobiles Barones habentes baronias allodiales, non poſſunt prętendere quod non ſint ſub Principis Imperio, quod ſi hoc prætendunt de facto prætendũt, & non de Iure, nemo enim eſt qui non ſit ſub vniuerſali Principis Imperio, vel qui non debeat ſubire illud, & ideo nequeunt prætendere quod pactũ eorum habeat vim legis, & ſic l. cæſar. de publica. & l. 1. de donat. inter uir. & vxor. non habent locum in eis quia iſta ſunt in vim ſingularis prærogatiuæ principibus reſeruatæ, ſicut etiam ex hac principis prærogatiua ſemper penes principem aliquid remſtat de iurisdictione in regno, etiamſi in alium merum imperium transferatur, quia nulla iurisdictio bonorum poſſet ſuſtinere commiſſores criminis læſę maieſtatis, falſatores monetę, plagiarios vel hæreticos, etiam ſub prętextu antiquæ & præſcriptæ conſuetudinis, quoniam illa ſunt principi reſeruata, meritoq; impræſcriptibilia, pro vt notat Innoc. in c. bonæ; de poſtul. pręlat. & l. comperit C. de præſcript. 30. an. & etiam forus regni non prouidiſſet Principi, tamen ceſſarent talia priuilegia ob prærogatiuam principalis dominij reſeruati, & ab iſta ſingulari prærogatiua nunquam per quamcunq; conceſſionem ſe videtur princeps expropriare, & ſic dicitur Baldi dictum in feud. tit. quid ſit inueſtitrici. Quod vero attinet ad aliam Iurisdictionem quę eſt in commercio, & poteſt in contractum tranſire conſuetudine & priuilegio, totaliter tranſit totum illius dominium in eum, cui eſt facta translatio, ex quo hoc agitur vt transferatur.

Similiter agere poteſt prouinciæ præſes in crimi-

ne priuati carceris, quia ſecundario eſt crimen læſæ maieſtatis l. 1. C. de priuat. carcer. Hic tamen videtur vrgens oppoſitio qua ſcilicet ratione de prædictis criminibus cognoſcere ſolum competat præſidi prouinciæ, ſi verbi gratia aliqua ciuitas vel iuſtitia idem priuilegium habeat inquirendi de publicè infamatis, de raptoribus itinerum, de crimine læſæ maieſtatis & falſa moneta, facta ſibi in primis denũciatione, nec eſt inconueniens quod curia poſſit de illis criminibus in foro expreſſis cognoſcere iuxtà ſori formam, & quod præſes prouinciæ etiam de illis ſe poſſit intromittere & quod ad vtrumq; pertineat cognitio etiam principaliter & de per ſe, *vt ſi iuſtitia* capiat & puniat talem criminoſum in caſibus ſori benefaciat, idem de præſide prouinciȩ iuxta l. 1. & quod ibi Bal. ff. de off. procon.

Videtur tamen in concurſu talium quod ſit locus gratificationi rei, & quod reus cogatur eligere, alias quilibet Iudex poterit illum reputare contumacem, vel quod ſit illius iuriſdictio qui prȩuenit, iuxta notata per Dynum in l. pupillus, §. territoriũ de verbo. ſign.

His tamen non obſtan: videtur præſes prouinciæ præferendus quia eſt ſuperior & loco Principis, poteſtq; totam cauſam is auocare, quia principalis iuriſdictio ad præſidem pertinet: vnde quamuis de ſoro ex illa iuriſdictione aliquid ſit tributum iuſtitiæ, non tamen inde tollitur vel inualidatur principalis iurisdictio, quia à minori non fit nouatio l. qui vſuſruct. ff. de verb. oblig. & eſt ſingularis caſus de off. præfecti vrbis C. in l. 1. & ſic euocante cauſam præſide, non poterit ſe intromittere iuſtitia, quantumuis de foro iſti caſus eſſe dicantur, quia in iſtis quæ tangunt præeminentiam regiam vel principis non

videtur excluſus prȩſes, cum ipſe principis perſonā in pronuucia gerat, imo à iure & foro eſt ſibi reſeruata poteſtas, merito etiam vt ſuperior poterit euocare prædicta, & hoc iure vtimur. Inſuper cognoſcit præſes de cauſis corporum & vniuerſitatū, quia iſtæ cauſæ ſunt conſiſtoriales vt voluit Bal. per text l.fi.C.de diuerſ.reſcript.& ſic per principem & eius loco præſidem atq; conſilium ſunt determinandæ. Item ſi inferiores iudices de quibus ſtatim grauāt, aut iuſtitiam adminiſtrare tardant vel negligunt, fit recurſus ad præſidem prouinciæ per viam ſimplicis querelæ auth. de quæſtore §. ſuper hoc collat. 6. poteſt etiam præſes refrenare inordinatos proceſſus ordinariorum & delegatorum à Principe, ex ſtylo curiæ gubernationis, qui ſtylus eſt fundatus de iure, nam quamuis delegatus ſit maior quocunq; ordinario in cauſa ſibi delegata c. ſane de off. ordin: tamen ſi delinquat in cauſa ſibi commiſſa litem ſuam faciendo, de hoc poteſt conueniri coram ordinario: & Nota quod tribus modis ſuperior ordinarius poteſt ſe intromittere de cauſis delegatorum à principe. primo cum delinquit extra cauſam ſibi commiſſam, ſecundo ex deſidia vel negligentia vel ex ineffrenatis proceſſibus c. ſignificauit de off. ordin. tertio ſi procedat extra formam ſuæ commiſſionis, vel non purificato reſcripto, de quo per Ioan. And. in c.fin.de reſcript. in nouell. Erit ergo locus quærelæ ad præſidem prouinciæ cum Iudex recuſat vel negligit, vel criminaliter, quam definitiuè vel interlocutorie pronunciat.

Prætet recenſitas cauſas poterunt aliȩ inueſtigari & complanari iuxtà cuiusq; fori & prouinciarū morem receptum & rerum incumbētium neceſſitates, de quibus nunc nobis non eſt laborandum.

CA-

CAPVT XXXII.

Poſt Præſidem prouinciæ ſunt & alij conſtituendi à Principe, qui grauamina ſubditorum prouideant?

CVm omnium optimus is ſtatus regni ſit, qui omnes rerumpubl. ſalubres leges contineat, vnumque penes Principem omnium rerum ſumma ſit, certè Sereniſſimum FERDINANDVM Archiducem Auſtriæ hunc ſibi in prouincijs ſuis optimum ſtatum conciliaſſe, dubium non eſt, eo quod is non vt tyrannus moderetur rempub. aut prouincias ſuas ſed habeat conſilia virorum electorum, & ita optimatum habeat, diuerſos Senatus & tribunalia, habeatq; ſingularum prouinciarum ſuarum præfectos, & poſt illos ſingulares prouiſores iuſtitiarum, poſtq; hos in ſingulis ciuitatibus & oppidis Iudices & conſules, qui quotidiana negotia iuſtitiæq; merita populo diſtribuāt, qui omnes ſub vno Principe rectoreq; ad ſeinuicem ſubordinantur, ita vt vnus altero locum non præripiat, neq; prouinciam mutet, ſed omnes in poteſtate principis ſūt, qui hos omnes mutare habet, ſi ſibi ſic videbitur & in melius commutare ad populi totiusq; reipub.cōmune bonum. Vnde quia de conſilio Principis, eiusq; in prouincijs præſidibus diximus, reſtat dicere de ſelectis illis iuſtitiarum prouiſoribus ſeu grauaminum prouinciarum receptoribus, quales fortè erunt Illuſtriſſimi ſingularum prouinciarum vt Styriæ, Carinthię & Carniolæ prouinciales & ciuitatum

tatum ſingularum aduocati, qui probe ſciant, quid communis populi negocia expetant, & quid pro ſalute populi principisq; voluntate faciendum illis incumbat. Quia ergo multitudo negociorum & grauaminum, vel principis occupatio in cauſa ſūt aliquando, quod princeps perſonaliter cum grauaminum prouiſoribus per eum & curiam deputatis nequit ſingulis intendere grauaminibus, ideo concordat cum curia ſeu prouincia qualibet vt certi cōſtituantur eorundem grauaminum prouiſores, quorum maior pars ab ipſo principe conſtituenda eſt, talesq; ipſius principis membra dicuntur & de conſilio eius ſunt l. quisquis C. ad l. Iul. maieſta. & licet ipſe princeps de ſe teneatur per ſe ſuosq; officiales iuſtitiam facere, & ſic omnibus prouidere per iuſtitiam, quia ſubditi cum Principe non habent participium in iurisdictione, quia omnis iurisdictio & poteſtas eſt à populo in principem collocata, tamen ita mores prouinciarumq; ritus obtinent, quod princeps cum curia deſtinatis quibuſdam ex prouincijs iſtis omnibus prouideat, ſicq; magis princeps ad ſui iuſtificationem ſuorumq; defenſionem ſe parat, qui cum in cauſa ſua & ſuorum officialium ſit iudex cōpetens, tamen vt ſe magis coram populo immunē oſtendat, mauult cum conſilio curiæ ſeu prouincialium grauamina ſua & ſuorum officialium diſcutere & terminare.

In his autem prouiſoribus deligendis vel conſtituendis præ alijs neceſſarium eſt, ne tales ſeligantur vel aſſumantur contra quos communiter & plerunq; grauamina in dieta indicta proponi ſolent, neque illi qui particularia grauamina propoſuerunt, tales enim eſſent iudices in propria cauſa, quod iura abhorrēt, ſicut neq; aduocati examinatores ſeu prouiſo-

uiſores grauaminum eſſe debent, niſi ſint homines probi l. nemo C. de aſſeſſor. & patet in rubro & nigro C. ne quis in cauſa propria ius ſibi dicat. Verū quia hoc eſſet repellere conſilium principis quod eſt plenum officialibus contra quos quandoq; ſunt propoſita grauamina, ideo conſueuit alicui practicari, quod ſi tales eligantur prouiſores, in grauaminibus contra eos propoſitis nullam habeāt uocem, neq; ſint præſentes in prouiſionibus & hæc eſt bona practica quæ debet obſeruari in aulis & curijs principum, alioqui maior obueniret principi in diſcutiendis iſtis moleſtia, quam reliquorum omniū grauaminum reparandorum oportunitas, qui *cum ſint* & eſſe debeant Iudices ordinarij longè ab illis debet abeſſe omnis mali ſuſpicio vt citius recuperetur in populo quod deſideratur & implantetur quod ſeritur.

Habent inſuper dicti prouiſores etiam ordinariā iurisdictionem, & quia à curia nominantur & eliguntur, & quia à Principe confirmantur, pro quo caſus eſt expreſſus in l. quicunq; ſummantes C. de decur. lib. 10. quam l. in alia materia ſic accommodat Bal. in l. & quia de iurisdict. om. iud. dicens quod omne iudicium poteſt adoptari officio decurionum per modum ordinarij officij, quia eſt officium multum vniuerſale circa communem vtilitatem patriæ pro quibus etiam in dubio ſufficere videtur eorum maior pars cum per legem iſtis prouiſoribus facta eſſet commiſſio adhoc vt valeat eorū prouiſio, prout eſt l. quod maior pars, ff. ad municipalē, & iſtud eſt magni effectus, quia cum iſti ſint ordinarij, & durante eorum officio, quod prouiderunt & ordinarunt, poſſunt illud reuocare, dum tamen in reuocando eædem concurrant ſolennitates, quæ in fa-

ciendo

ciendo per l.ſi ad reſoluendum C.de prædijs minorum, cum hæc ſit natura legis vel ſtatuti, quod poſſit mutari durante officio, ſecus ſi per viam ſententię definitiuæ quid ſtatuiſſent, quia tunc non poſſet reuocari, niſi prætextu nullitatis l.quod iuſſu ff. de re iud.

Vt vero melius iſtorum officium & poteſtas intelligatur, videndum qualis iſta ſit iurisdictio, & in quantum ſe extendat. & videtur quod in prouidendis grauaminibus per iuſtitiam omne Imperium & omnem iurisdictionem habeant ciuilem & criminalem, merum & mixtum imperium, duobus conſideratis principaliter, quia in grauaminibus oblatis prĩcipi, in curia, ponuntur querelæ officialium, & petitur iuſtitia adminiſtrari, quæ clauſula complectitur omnia, quę ex poſt probabuntur in iuditio, & ius competens, & quæ narrata ſunt, vt notat cap. cũ dilectus, de ord.cog.ergo ſi probetur de homicidio dolo facto per officialem vbi eſt pœna mortis officiali, vt in l. Iulia.§.fin.ad leg.Iul.repet.& Princeps ſupra hoc dat poteſtatem per iuſtitiam prouidendi, per quam venit iurisdictionis commiſſio: quia Princeps reſpondendo Curiæ quod ſibi placeat, dare illã poteſtatem videtur, in dubio reſpondere ſecundum interrogata .ff. de interrog. actio .l.ſi defenſor §. Qui interrogatur, multoque fortius commiſſa videtur ſi concludat talem officialem puniri, & caſtigari, vt in pluribus grauaminibus fit, & adijcitur talis concluſio, & hoc pacto nullum eſt dubium, quin virtute talis poteſtatis omnem iurisdictionem, & imperium ipſi habeant, & executionem, quia cum ſunt ordinarij à Principe vel habent imperium in dicta poteſtate tradita, non eſt dubium per iurisdictionem quam habent poſſe exequi, vt notatur per

Doctores in cap. cum contingat extra de form. competen.

Ex quo infertur quod omnia poſſint tales prouiſores in virtute poteſtatis eis traditæ, & deducere actum deductum in querelam, validam, vel inualidum annullare ſaltem quatenus de facto proceſſit & ex foris facto contra foros, & priuilegia, vel alias indebite condemnare offitialem ad pœnam ſibi debitam, vel quod fecerit litem ſuam: quia ad id principaliter agitur per partem grauimina proponentem videlicet ad ſuum intereſſe conſequendum, & ad debitam pœnam Iudici infligendam, ſi vero petatur ſpecifice vel ſi ex deductis poteſt compræhendi ex illa clauſula peto iuſtitiam adminiſtrare, imo ſi ſolum fiat narratio caſus ſine aliqua determinatione, vt ſi in criminibus producatur grauamen, in quibus non eſt neceſſaria concluſio, ſi autem grauamē concluderet ſolum ad annullationem actus, vel ad reſtitutionem intereſſe: quia iſtud eſt ciuile iuditiū, licet aliquando actus annullatio ſit pœna, tamen ſi in tali iuriſdictione conſtaret prouiſoribus de foro facto, per quod alia pœna veniret infligenda Iudici, non poſſent illam criminalem pœnam infligendam prouidere vel decernere, quia non agitur ad hoc vt ex ciuili iuditio, & ideo non poteſt reſultari pœna, ſeu infamia, ſed bene ſi ſolum poſitum eſſet grauamen concludens ad punitionem, & caſtigationem, ſi conſtaret de intereſſe incidenter, prouiſores poſſent prouidere & iudicem ad id condemnare reſtituendum parti læſæ, vnde dicit multum ſingulariter Baldus in lege obſeruare .§. proficiſci .ff. de off. proconſul. quod rector Ciuitatis tenetur generali iuditio Domino ſuo .i. Principi, & vniuerſitati ſeu Ciuitati quam gubernauit, particularibus autem

quos

quos læſit tenetur ſingulari iuditio, quo ad publicã pœnam proceditur principaliter, quo ad particulare intereſſe nonniſi incidenter. Hinc eſt quod ſi v.g. cõdemnetur de furto criminaliter etiam ad rei reſtitutionem, condemnabitur acceſſorie, ne fiſcus ſuorum ſubditorum commoda negligere videatur.

Præterea dicti prouiſores poſſent dici facere poſſe & ordinare omnia antecedentia, ſuper quo eſt eis data poteſtas, per quę ad illud perueniri poteſt, vnde ſi viderent offitialem talem quod eſſet præſumptio fugæ ex debitis vel malefitijs poſſent illum incarcerare, vel inde poſſet ſequi condemnatio & eorum prouiſio non fieret ludibrio; cum ipſi enim habeant merum imperium habebunt omne genus carceris. Poſſunt etiam de tali idoneos fideiuſſores accipere de illo repræſentando, vel iuditioſiſti, vel iudicato ſoluendo. poſſunt inſuper omnia conſequentia ſine quibus id quod commiſſum eſt expli care, ita commode non poſſet. Hinc poterunt quærelantibus locum deſignare, & offitialibus vt adſint ad videndum purgationem & prouiſionem grauimi num, alioqui non tenerentur partes illius inquirere in domibus vel hortis eorum. Item poſſunt ordinare nuntios vel portarios, & mandatarios & tabelliones publicos ad acta conficienda aſſumere, ſine qui bus acta Iuditij nequeunt commode fieri. item eorum iurisdictionem impedire volentes poſſunt capere, & mutare, & partes, & illorum contumacias vltione debita caſtigare, omnia enim poſſunt ſine quibus illorum iurisdictio nequit expediri, inde poſſunt pœnas apponere illorum mandatis nõ obtemperantibus & terminos ſignare ad compellendum quod per eos mandatur, non poſſunt tamẽ pro uidere vel decernere ſuper eo quod non ſpectat ad

id ſuper quo conceſſa eſt poteſtas, neque ſuper illius acceſſorio, ſicut non poſſunt aliquid ſtatuere quod non fuit prius ſtatutum foro, vel priuilegio: neque facere delictum quod non erat, ſed ſolum habent poteſtatem decernendi ſi eſt grauamen, ſi eſt facta parti iniuſtitia ſi eſt commiſſum delictum vel non ſi eſt punibile vel non &c.

An autem ab iſta prouiſorum de pœna facta ordinatione appellare poſſit, videtur quod ſic, quia ĩ omnibus negotijs regulariter eſt remiſſa appellatio; leg. & in maioribus C. de appell. at vero notandum quod ad hoc iſtis prouiſoribus datur poteſtas cõmuniter ſub hac forma quod quidquid per prouiſores fuerit prouiſum, ſiue ordinatum habeat iſtam efficaciam, vim, & authoritatem, ac ſi per Principem in plenaria curia fuiſſet factum ſtatutum, ac pro viſum vnde cũ non recipiatur oblatio ſuper eo quod ex edicto publico ſtatuitur, neque etiam ab iſtis prouiſoribus appellatio progredietur, quantumuis iſthæc illorum prouiſio cõcernat commodum, vel damnum alicuius ex officialibus ratione cuius vt ſic poſſit fieri appellatio, poteſt tamen is qui læditur ſupplicare Principi & eiuſmodi ordinationem de iniquitate arguere, cum competat ſibi doli exceptio, ſeu poteſtari contra expreſſe & non nocebit ſibi ſecundum Cynum in l. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Vt Princeps ſecurus ſit de adminiſtrata iuſtitia, conſtituitur neceſſario Fiſcalis.

QVia boni principis eſt purgare prouinciam malis hominibus l.3.§.fin.& l.congruit ff.de off. præſidis, populumque ſibi contradicentem coarguere, ſiue placeat ſiue non, ad modum optimi medici volentis ęgris remedia adhibere, ſiue volentibus ſiue inuitis, aut vtendo aut ſecando, modo ſanitatem acquirat, ideo in iure prouiſum eſt ad indagationem criminum multorum, ne delicta maneant impunita c. vt famæ de ſent. excom: quod ſingularis perſona adhoc conſtituatur à Principe, cuius officium ſit, ſimilia ad Principem deferre quæ vulgo Fiſcalis principalis nuncupatur. Verum enim uero optimum eſt prouidere omnibus ſceleribus ne fiant, dum modo etiam præcaueatur ne ſub iſto medio quo mala corrigi & prohiberi debent, inde grauiora mala contingant, ſitq; grauius aliorum malorum incentiuum. Certe nouum non eſt, quod pauperes ſubditi in dies conquerantur, quod cum fiſci aduocatus & procurator ſint à Principe ſiue à publico ſalariati, & ab ipſis rei condemnati, expenſarum nomine ſalaria exigant quod valde durum eſt, iuri & rationi contrarium, quia aduocatus fiſci dat votum ſuum in condemnatione ſeu abſolutione, & ſi condemnat habet ſalarium ſuum, ſi abſoluit, nihil, & ſic in grauiſſimo periculo ſtat condemnandus

dus & abſoluendus, hocq; eſſe expreſſam mali ſpeciem dubium non eſt; à qua prohibet Apoſtolus, quemlibet abſtinere debere, ad Theſſal. c. vlt. & nedum à malo & eius ſpecie eſt obſtinendum, ſed etiã à bono ſi malum inde ſperetur c. vlt. ne cler. vel monach. & pro hoc iudices ſalariati à publico nihil poſſunt inde à partibus exigere, nèq; iure Canonico neq; Ciuili, vt eſt prohibitum c. ſtatutum de reſtit. in 6. & in ciuili in authent. vt iudices ſine quoquo ſuffragio, vbi optimè & gloriosè loquitur imperator. §. cogitatio, & eſt valdè notandum à principibus vt idem ſuis officialibus inculcent: cogitatio igitur nobis facta eſt (inquit Imperator) quod agentes omnia quęcunq; in noſtris prouincijs ſunt vno actu communi ad meliora migremus, hoc enim inuentum credimus ſi præſides gentium quicunq; ciuiles adminiſtrationes prouinciarum prius procuremns vti manibus, ita ab omni abſtinere acceptionę, pro illis ſolis contentos eos, quæ à fiſco dantur, quod non aliter fiet, niſi & ipſi ſingula ſine mercede accipiant, nihil omnino dantes (neq; occaſione ſuffragiorum) quia nihil cupit vt det aduocato, & ſequitur: conſiderantes quod licet quæſtus non immodicus immineat imperio, tamen noſtris ſubditis incrementum ſuſcipientibus ſi indemnes à iudicibus conſeruentur & imperium & fiſcus abundabit, vtẽs ſubiectis locupletibus. & vno hoc introducto ordine plurimarum rerum erit libertas, nam dicit fiſcũ & Imperium abundare ſubditis locupletibus, at hodie ſi quis condemnatur de crimine, reſultant hæredes deſtructi, quia expenſarũ nomine omnia aſportarunt aduocatus & procurator fiſci, & expreſſe proceſſus, quod ſi ad fiſcum & ſuum principem prouenirent, etiam adhuc ſubditi grauarẽtur, multo ergo

magis

magis quando nõ prouenit ad Principem: & quod aliqui dicunt id fieri expenſarum nomine, quando repetunt ſalarium, quam falſum effictumq; illud ſit ſic demonſtratur: quia expenſæ vel cauſarum condemnatio non attribuitur parti vincẽti, vt vides in authent. generaliter C. de Epiſc. & Cler. & ſic nihil competit fiſco, neq; procuratori, quia aut pars principaliter proſequitur accuſationem vel denunciationem, & aduocatus fiſci aſſiſtit ſolum, ne colludat, cum alias non poſſit, quia non adueniente legitimo accuſatore ceſſat inquiſitio l. 2. §. ſi publico .ff. de adult. & tunc pars proſequens & vincens debet habere expenſas, vbi expenſæ in criminali debeantur de Iure, quia duo accuſatores vel partes nequeunt eſſe in iudicio: ſi autem fiſci procurator principaliter proſequatur inquiſitionem, tunc non videtur quod habeat locum refectio expenſarum, nam text. in gl. c. cum dilecti extra de dolo & contum. quod in criminali cauſa inquiſitionis habeat locum condemnatio expenſarum, intelligitur cum priuatus proſequitur inquiſitionem, ſecundum Anton. de But. ibi, & ſic etiam tenet Iacobus Butrius in l. eũ quem temere. ff. de iud. dicens, quod in cauſa criminali non habet locum refectio expenſarum, ſed expenſæ contumaciæ veniunt, idem in l. non ignorant. C. qui accuſ. non poſſ. ſicq; nil poterunt habere neq; fiſcus neq; procurator, quia in criminalibus officium iudicis deſeruit fiſco & non parti, neq; prętendere poſſunt aliquod priuilegium adhoc ſibi cõceſſum de receptione expenſarum à principe, quia princeps plurimum grauaret hoc permittendo tanquam contra rationem & ſubditorum euidens damnum, & populum depauperans, & ad noxam tendens, ſicq; meritò reuocandum, ſi quod tale inoleuerit

ueerit

uerit priuilegium. Fatendum tamen eſt quod ſi pars relinqueret cauſam fiſci perſecutioni, & daret cautionem de expenſis & fiſcus proſequeretur, vel fortè quia pars renunciauit in caſu prohibito & fiſcus proſequitur, vel quia proſequens inquiſitionē inhabilis eſt, in quibus caſibus fiſcus procedit, nam quoties priuatus deſiſtit inquiſitioni & renunciat vel tranſigit cum reo, iudex & ſic fiſcus iuſte proſequitur eandem inſtantiam, imo reus tunc videtur crimen confiteri, & eſt ratio in promptu, quia executio delictorum continet ius publicum. ff. de publican. l. licitatio. ſed pactio priuatorum, ius publicum non tollit l. Iurisgentium, de pact. ergo. *hoc etiam* ſolum intelligitur in caſibus in quibus prohibita eſt tranſactio, iuxta l. tranſigere C. de tranſact. ſi autē erit permiſſa, tunc tranſactio quę licitè fit in cauſa criminali impedit proceſſum ex eadem inſtantia ꝑ quemcunq; tertium, vel etiam iudicem, argumento l. eum qui, §. in popularibus ff. de iureiur. vbi tamen Bal. l. ſiquis in hoc genus C. de Epiſc. & Cler. tenet indiſtinctè, quod licet pars remittat iniuriam, faciendo concordiam vel pacem, non tamen Iudex ſæcularis debet deſiſtere ab inquiſitione & punitione, & ex hoc dicit ſequitur, quod in præiudicium reipub. offenſus non poteſt renunciare proceſſui inquiſitionis, dicens, quod loquitur de Iure communi, & iſtud dicit fallere in vno caſu l. diuus ff. ad ſyllaianum, & ſic non videtur facere diſtinctionem de tranſactione permiſſa, in qua re eſt obſeruanda cuiusq; regionis praxis & ſtylus, ſecundum legem trāſigere. C. de tranſact. vbi Bart. intelligit tam de publicis quam de priuatis, quia vbiq; præiudicaretur fiſco. Vnde in pluribus locis non conceditur abolitio criminis per quamcunq; tranſactionem, & in

hoc

hoc aſſeſſores & iudices cauti eſſe debent, quod aliquãdo incipit fiſcus de per ſe ſine ſtimulatione quia non concedit abolitiones niſi ſaluo iure principis, & tunc ſtante conſuetudine non eſſet magnum grauamen proſequi inquiſitionem vel tranſactionem; Hoc vero maius eſt malum, quod fiſci aduocatus qui reſtat in conſilio, & habet dare votum ſuum, ſperet premium vel ſalarium ſi reus condemnetur, & ſi abſoluatur, non, ideo debet princeps in hæc animaduertere per alium fiſci aduocatum.

Quibus autem in caſibus fiſcus procedat, non erit inutile adnotare. Primum genus cauſarũ eſt principaliter Regi vel principi pertinentiũ, vt in crimine læſæ maieſtatis, iniuriarum factarũ ſuis officialibus, cum ſint pars corporis eius C. & .ff. ad l. Iul. maieſt. l. quisquis. Item in committente crimen carceris priuati, & in falſatores monetę l. 1. C. de falſa mon. vt ſi iniuria ſit facta vel data iudicibus ordinarijs vel delegatis, vtentibus regia iuriſdictione, vel furtum principi ſit factum, iſta ſunt facta & negocia propria principis, quia ipſum & ſuam maieſtatem principaliter tangunt, & ſunt facta propria ipſius, & in ijs multa ſunt ſpecialia, quia princeps de per ſe cognoſcit c. cum veniſſent de iud. & princeps poteſt tales accuſare vel denunciare, quod regulariter in cauſis fiſcalibus nequit in c. non poteſt in fin. qui accuſare poſſ. Item in ciuili pro contractibus initis cum principe, quia in proprijs principis negotijs etiam in ciuili eſt permiſſa inquiſitio ſecundum Innoc. in c. ad noſtra de iureiur.

Aliud genus cauſarum fiſcalium ſtat in pœnis legalibus aut ſtatutis in foro, ĩ factis criminalibus vel ciuilibus inter priuatos, quorum perſecutio principaliter pertinet priuato, licet rex principaliter

habeat partem in dictis pœnis cum fuerint adiudica tæ, & iſtæ pænæ non poſſunt peti per fiſcum, donec per ſententiam quæ in rem iudicatam tranſiuit, fue rint adiudicatæ, quia tunc ſunt debitæ fiſco, ex quo non veniunt ipſo iure, ſed per ſententiam, adhoc in c. cum ſecundum leges de hæret. in 6. & ſic in eis ſola reſtat executio petenda per fiſcum.

Aliud eſt genus in conuentionalibus ſtipulatis per partem aut per Notarium, domino principi in contractibus initis inter priuatos, & iſtæ pænæ non poſſunt peti per fiſcum, donec pars in cuius fauorē fuit dicta pœna appoſita poſuerit ſuum libellum, eo poſito incontinenti fiſcus poteſt petere pœnam.

Aliud porro eſt fiſcalium genus vt ſunt regulariter crimina publica, quorum perſecutio pertinet ad fiſcum, & quæ ſint publica crimina vide l. 1. ff. de publ. iud. & illa pertinent ad publicam vindictam, quam iudex etiam nemine proſequente debet vindicare l. licitatio. ff. de publican. quia reipub. intereſt ne maleficia remaneant impunita c. vt famæ de ſent. excom. & quia reſpubl. offenditur, cuius offenſam habet iudex vindicare, etiam parte non proſequente vt notat Bal. l. ſiquis non dicam rapere C. de Epiſc. & Cler. & hoc conſiderans ius Canonicū ſc. offenſam publicam, omnia crimina publica dixit. Innoc. in c. 1. de colluſ. detegenda. Sed ius ciuile non tam late publica crimina intellexit l. 1. ff. de pub. Iud.

Quomodo autem omnium publicorum iuditiorum fiſcus dicatur perſecutor nemine accuſante, quia nemo ſine accuſatore damnatur & hoc firmat gl. in l. 2. §. de pub. ff. de adult. inquiſitionem regulariter prohibitam niſi in lenocinio Vxoris propriæ l. 2. ff. de adult. in falſa charta, in falſo teſte, in falſo

& calumnioſo accuſatore, & in notorio crimine, ſi loquimur de Iure Canonico, in quo ſunt omnia cri mina publica, quo iure inquiſitio eſt remedium ordinarium, tunc hoc iure eſt permiſſa inquiſitio, in quocunq; crimine , & eſt vnus modus permiſſus agendi de iure Canonico, c. ſuper his, de accuſatio. poſtquam fama præcedat, & ſtat regula pro inquiſi tione ſola ſama deferente, ſi autẽ loquamur de Iure Ciuili, & tunc oportet conſiderare, quod aliquoties Iudex inquirit generaliter, ad crimen inueniẽdum, & hoc triplici modo .ſ. conſtituendo denunciatores & certos officiales qui denuncient omnia maleficia, quæ in aliqua prouincia, diſtrictu vel territorio committuntur, quandoq; fit per ocularem inſpectionem Iudicis, Iudex enim vadit perſonaliter & inſpicit vulneratum, tertio fit per inquiſitionem generalem, in qua inquiruntur latrones & alij malæ conditionis & famæ, iſta tamen generalis inquiſitio poteſt fieri etiam tripliciter : aut generaliter quoad perſonas & quo ad delicta, vt ſi eſt aliquis in ciuitate fur latro &c. aut generaliter de perſonis, delictum vero eſt ſpeciale , vt ſi eſt in ciuitate aliquis qui fecit tale crimen, poteſt etiam eſſe generalis quo ad delicta, & ſpecialis quoad perſonas , vt dum inquirit de tutore ſuſpecto interrogans an commiſit dolum in adminiſtratione vel culpam, & ſic crimine non expreſſo, & ex iſto triplici modo inueniuntur crimina, non tamen ex aliquo iſtorum modorum ſequitur condemnatio, ſicut ergo nulli permittitur accuſare ſine metu calumniæ, ſic non de facili permittitur iudici inquirere ſ. in quibusdam caſibus, in quibus permittitur actio ſine metu calumniæ, in his rationibus de facili permittitur inquiſitio, eſt ergo regula, verum iudicem poſſe inquire

re per officialem, & ad hoc deputatur denunciatio: alia regula eſt, quod Iudex poteſt inquirere propter incidentem cognitionem, ratio, quia vbicunq; Iudex cognouit de crimine, de illo crimine poteſt etiã inquirere l. 1. C. ſi aduerſus libertatem. Tertio poteſt Iudex procedere per Inquiſitionẽ propter præcedentem generalem inquiſitionem, vbicunque .n. iudex in generali inquiſitione comperit aliquem deliquiſſe, in eodem caſu poteſt ad inquiſitionem procedere ſpecialiter, & illum reum condemnare. Quarto propter magnum dolorem ſeu magnam offenſam vbicunq; committitur coram iudice, de illo poteſt iudex per generalem inquiſitionem hoc cognoſcere, quod probatur de calumniatore l. 1. C. de calumn. & in falſo teſte vt ſupra. Quinto propter immenſum crimen, ſunt enim quædam crimina ita enormia in quibus quis accuſare ſine metu calumnię & in illis poteſt etiam iudex inquirere l. ſiquis in hoc genus C. de Epiſc. & Cler. Tu adde ſextum quando crimen de nocte frequentatur vt contra fures nocturnos, contra iſtos poteſt iudex ex officio procedere inquirendo, quia talia crimina de nocte fiunt, & ſic non habent promptas probationes, iſte caſus habetur in l. 1. ff. de furt. balnear. habent & aliud eiuſmodi crimina occulta ſpeciale, quod in Ius propter probationis difficultatẽ peruenitur ad torturam, & quandoque ad condemnationem vel abſolutionem ſolis indicijs, ſi ſint ita certa quod vix negari queant.

Optimum ergo & ſalutare eſt remedium hoc inquiſitionis ad deprehendendam fraudem, dolum & contumaciam multorum ſcelerum, quæ alias tacente inquiſitione in magnas & proceras excreſcũt numeroſitates, ita vt neq; princeps ipſe in ciuitate

ſecurus perſiſtat. Huic accedit & aliud remedium principi valde vtile & neceſſarium, quod ſ. in omnibus ſuis ciuitatibus & oppidis conſtituat & ordinet Iudices & conſules, quibus ex officio incumbit minima quæq; ſcrutari & ſalutem reipub. promouere quantum poſſibile eſt.

CAPVT XXXIV.

De Iudicibus & aduocatis Iudicum.

CViuſcunq; ſit ſtatus reip. fundamentum illius eſt principale obedientia & dilectio ſubditorũ erga præpoſitos, obedire autem dedignatur ei quẽ quis contemnit, ei autem quem maieſtate aut virtute aliqua ſibi præire, aut ſuperiorẽ eſſe exiſtimauerit, facile obtemperabit, idq; ſempiterna lege naturali nobis inſculptum videtur, vt inferiores ſuperioribus pareant. Cuius principis dignitas medium quoddam eſt inter ſuperbiam & abiectionem, ad quam ſi princeps declinauerit abutitur ſua dignitate, vt ſuperbia ſi dedignetur ſubditos audire, vel admittere, qui ideo non poſſint illum diligere, nec obedire timore filiali, eo quod dignis muneribus eos vti non permittit, neq; vt ab inferioribus Iudicibus tutò dirigantur cõſulit. quod vitium abiectionis populi vt peſtem execrari debet bonus princeps, nihil enim eſt quod magis prouocat ſubditos in cõtemptum principis, quam ſi ipſi à principe eo quo oportet modo non honorentur, vt reſpondit Domitius orator ad Cæſarem, cur inquit ego te habeam vt principem cum tu me non habeas vt Senatorẽ: principis virtus eſt maxima noſſe ſuos. Ita & D. Hie

ron.

ron. ad Nepotianum Epiſcopi, ſe eſſe nouerint Sacerdotes Epiſcopi non dominos, honorent clericos, vt clericos, vt & ipſis à clericis quaſi Epiſcopis honor deferatur: neq; aliam ob cauſam quandoq; ſubditi principis ſui vota præſentiamq; expoſcunt, quam vt releuentur in neceſſitatibus ſuis, quibus ſe in dies opprimi, & plane comprimi vident, nec aliũ de auxilium vel ſubſidium ſe habere poſſe confidunt, niſi prẹſentes id coram ſuo principe deponãt.

Ex quo vero princeps oportuna prouidit remedia omni ciuitati & loco, quo quisq; ſibi releuamẽ expectare habet, clementer ſatis ſeſe erga ſubditos ſuos exhibet, benignitatemque & fauorem *ſuam* pollicetur, ſicq; per ſeipſum quod per optimos iudices & cauſarum patronos facit, feciſſe dicitur: hocque in facto æquiſſimos Romanorum Imperatores imitatur, qui diſtinctis locis forum iudiciale conſtituerunt, vt ſinguli cuiusque loci & ciuitatis incolæ ſuos habuerint pacis conſeruatores & iudices, neq; tunc opus fuit alio ad iuſtitiæ remedium ſeu longius ad principem currere, quod hodie maximo *eſt* in repub. beneficio tribuendum, dandaq; eſt opera principibus, qui gubernacula tenent, ne leges bonẹ tantum conſtituãtur, ne ve maximum apud ſe in aula alat conſilium princeps, ſed vt ſecundum leges cuiusq; ciuitatis exigentiam iudices conſulesq; cõſtituantur, ne clamor oppreſſorum de cælo in terrã vindictam excitet, quod totum euitabitur conſtitutis per ſingulas ciuitates & oppida iudicibus domeſticis.

Neq; hoc exemplum ab ethnicis Imperatoribus, ſed à Deo dilectiſſimis regibus & Ducibus accipiẽdum erit. Sic enim Ioſaphat Rex Iuda laudatur ex bonis operibus 2. paralipom. 19. & quod conſtitue-

rit Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda, per ſingula loca,& in Hieruſalem conſtituit Leuitas & Sacerdotes & Principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium & cauſam domini iudicarent habitatoribus eius,& ne fieret accumulatio cauſarum, ne ue conſuſio eſſet in concurſu iurisdictionum diſtinxit ſingulis iudicibus cauſas proprias,de quibus cognoſcerent. quod ſimiliter poſtmodum ex regum imperatorumq; conſtitutionibus decretum fuit,vt reſponderent territoria ſingulis iudicibus commiſſa, nec extra prouinciam ius dici poſſe, ne ue cuipiam conquerendi facultas relinqueretur, ideo quemlibet pluribus modis forum ſortiri ſanxerunt, vel ratione domicilij, vel ratione contractus, vel delicti,vel rei controuerſæ,ne iniuſtitiæ aut calumniæ,aut impunitatis daretur occaſio, inde diuerſa fora, & iudiciorum tribunalia apud Romanos, vbi leuiores & maiores controuerſiæ diſtinctim tractarentur & iudicarentur, ita apud Athenien. forum quod palladiũ dicebatur in quo credis cauſæ agebantur. In delphinio foro cauſam dicebant qui ſe Iure aliquem necaſſe defendebant. In pyræo, exilio deſtinati,ſi noua in eos culpa proponebatur iudicabantur de alijs cædibus,& in areopago in templo Martis per ſeueriſſimos Iudices cognitio habebatur. Romæ dicebantur fora centum virorum, qui de cauſis priuatis cognoſcebant quotidie,vt de tutelis vſucapionibus & ſimilibus,tanquam ſedes iudiciorum ordinariorum delectis iudicibus ternis & ſingulis triginta tribubus,vt Cic. pro Cecinna.

Hæc vero loca in quibus iſta exerceri debẽt oportet quod ſint tuta & publica, omnibusq; ad ea facilis aditus & iudicibus & litigantibus,cum enim fieri non poſſit, vt conſulens & communia aut publica

agens

agens (vt fit inferendis iudicijs) omnibus placere poſſit, & tamen qui ex animo optime conſultum populi moribus cupit, ab eo propter metum & fraudē aliorum abſtinere debet ſæpiſſime, ideo ne iudicia interrumpantur, ne ve armis aut alia quauis commi natione iuſtitiam intermitti contingat, debent principes curare, vt tam loca pro ijs reddendis, quam ipſi Iudices ab omni iniuria defendantur, vt ſic libere iudicia & ſine omni metu potentiam exercere poſſint, alioqui minimè multandus erit, ſiquis in ius vocatus non ierit, qua ratione enim inquit Clemens V. Pont. Max. clement. paſtoralis 2. de re iud. audere aliquis teneretur conſiſtorij talis *ſubire iudicium* & ſe in hoſtium ſinu reponere, ac ad mortem per violentiam iniuriam, non per iuſtitiam inferendam vltroneum ſe offerre? hæc quidem iure timentur hæc de more vitantur, hæc humena fugit ratio, hæc abhorret natura: deſiperet igitur qui citationē huiuſmodi ſaperet arctaſſe citatum: quemadmodū vero metus violentiæ clientes à foro excuſat ſic etiā iudices à iudicando vt etiamſi armis circumſepti iudicent, iudicium illorum non cenſeatur liberum nec ea vtilitas inde ſequitur quæ alioqui ſi liberum iuditium tutumq; ac ſecurum foret iudicium: qualis & illa eſt, quod ſententia in publico proferri debet & in loco maiorum prout ſtatuerunt cæſares in l. cum ſententiam C. de ſenten. & interlocutoria omnium iudicum, alias pro irrita cenſebitur. Vnde quia iudicia tum ciuilia tum criminalia ab omnibus cognoſci nequeunt nec exaudiri, fit vt ab illis committendis minimè timeatur, cuius contrarium fieret, ſi ex loco publico denunciarentur, diſcerent.n. adſtantes auditores exnde qui ſimilia haberent negotia litem nō facile mouere, & ſi de criminum ſupplicijs

plicijs ageretur pœna publica alijs exemplo eſſet, vt cauerent in eadē crimina incidere pro quibus alios viderunt & audiuerunt condemnari. Metuunt & ipſi iudices corruptè iudicare dum adhibendam cēſuram publicam certo ſciunt.

Præſtaret hoc loco diuerſas rerum cauſas proponere de quibus quandoq; iudicium fieri ſolet, quia tamen non poteſt vniuscuiusq; regionis & prouinciç neceſſitas ſcrutari, ideo ī genere dixiſſe ſufficiat, quod iuſtitia omnibus & ſingulis quantum rei neceſſitas & neceſſitatis ratio expoſtulat adminiſtrari debeat. Sicut enim indies caſus & rerum euentus mutantur ſic & noſtrorum ciuium animi litiumq; exercendarum occaſio modusque & forma in dies immutantur, quod idcirco non poſſit certum dari argumentum ſeu regula. Sunt tamen quædam quæ communiter fieri ſolent in ciuitatibus & conuentibus humanis, in quibus alterum decipi contingit & ſupra quam par eſt lædi, in quibus certa ratio iuſtitiæ adminiſtrandæ ſeruari debet, vt ſunt contractus emptionis & venditionis, & ſunt monipolia artificū & mercatorum genera vbi infraudem aliorum nulli debet fieri priuilegium, quantumuis per illos quæ nobis & reip. ſuperflua ſunt exportentur, & aliūde quæ nobis neceſſaria ſunt, quęue apud nos non inueniuntur importentur: eſt enim quæſtuaria opera cū vtilitate reip. induſtria & labore conſtans, non ſine periculo & diſcrimine vitę & facultatum negocian tium. Sed inſita eſt huic periculo imminenti haben di & quærendi cupiditas, cuius dulcedine mens delinita non tam ad pericula quam ad lucrum ſpectat. honeſtum vero lucrum dicitur etiam ex iure Canonico, quod ex induſtria & negotiatione oritur, dum modo abſit vſura fraus, dolus, peieratio c. per veſtras

de donat. inter uir. & mul. Verum quod negociator auidus pro damno blaſphemat, pro pretijs rerum mentitur & peierat, hæc ſunt vitia hominis, nō artis quæ ſine his vitijs exerceri poteſt. Quare abſurda eſt illorum opinio, qui ſtatū optimæ reip. ſtatuunt ex ſola virtute, & dicunt in ciuitate quæ optime gubernatur, & quæ iuſtos habeat ciues ſimpliciter, & non ad ſuppoſitionem, neq; mercatores, neq; artifices ciues eſſe oportere, quorum opinio nedum mala eſt, ſed toti reip. valde pernitioſa, non .n. poteſt totum conſiſtere, niſi curatis partibus, & pedes quantumuis viles ſint & infimi neceſſarij tamen ſunt corpori, ſine quibus & ſi illi aliter ſe habeant, quam *natura* deſideret, monſtroſum eſſet totum aut mancum. Mercatores ergo & artifices & agricolæ ſunt in corpore reip. veluti miniſtri baiuli pedes qui transferūt reliquis partibus neceſſaria, & ideo ciues quoq; eſſe debere in reip. non eſt abſonum, imo vtiliſſimi ſunt ſi probe ſuo munere fungantur. Videre eſt Venetijs, Florentiæ, Anconæ, & alibi in Italia in primis gradibus & inter præcipuos reip. mercatores, quorū velle diminuere authoritatem, aliud non eſt niſi turbare remp. non tamen negandum eſt quod mercatorum ingenia ita ſint informata vt plus proprium cōmodum quam vtilitatem publicam ſectentur, & facile à iuſto vbi ſpes refulſerit nummi declinent proinde maior ēt debet eſſe cura gubernantium remp. vt res venales iuſto pretio veneant, quales ſunt neceſſariæ ad cōmunem ſuſtentationem, vt panes carnes cibaria alia, frumentum & vinum, & quibus tegamur, nec permittatur ex arbitrio illis abuſus circa commercia fraudes, aut mercium corruptiones & ſimilia, quæ repurgari debent iuxta Imperatorū cōnſtitutiones. Conſtant aūt iſta omnia in triplici ordi-

ne,

ne, vel in rebus, perſonis aut actionibus. Circa res animaduertat magiſtratus, de quibus negotiatio permiſſa eſſe poſſit, ſine læſione aut animæ aut corporis & in iſtis admittet, in alijs vero damnabit. prouidẽdum diligenter reip. ne quæ ad ciuium victũ & amictum neceſſaria ſunt aliò euehãtur aut exportentur ne penuria populus laboret maxime imminente tẽpore caritatis. Circa perſonas videbit qualis mercator ad nundinas veniat ne ſit explorator potius arcanorum regni & reip. quam verus mercator. Circa actiones mercatorum curandum erit ne vſuras illicitas, atroces, quas ſub prætextu permutationum vel cambiorum extorquẽt, & ſi fieri poteſt ab omnibus alijs abſtineant, ſic.n. melius reip. & ſaluti illorum ſpirituali conſuletur, maximè adhoc repetẽdę erũt conſtitutiones Cæſarum contra vſurarios & monopolia exercentes l. 1. C. de monopolijs, & contra cõuentus negociatorum illicitos vbi ædificiorum artifices ergolabi, aliorumq; operum profeſſores & balneatores penitus prohibentur inter ſe pacta componere contra inſtitutum & bonam fidem eorum, pænis impoſitis, non tantum collegiatis artificibus ſed etiam profeſſorum primatibus, qui id permiſerint, nec caſtigauerint, & magiſtratibus qui caſtigare idipſum vel venalitate vel diſſimulatione prætermiſerint. extat adhoc Anaſtasij Cęſaris in l. fi. C. de Iuriſ. om. Iud. indictio, profeſſiones negociationesq; exercentes periniquum atq; temerarium & pæna dignũ eſſe ſtatuit, medicum, ad quos earum profeſſionum ſeu negotiationum cura pertinet præceptionem & iurisdictionem declinare conari. Statuit & Carolus V. Imperator in conſtitutionibus Bruxellis ne ciuitates, communitates, collegia aut conſulum aut artificum, aut confratriæ conſtituerent, aut conderent,

edicta ordinationes ad monopolia pertinentia aut prȩiudicantia vtilitati reip. reuocauitq; iam facta & conceſſa ſimilia, nulla atq; irrita declarans. Monopolium propriè inter artifices & mercatores qui in emendo & vendendo artem conſtituunt, vt vnica conſtitutione pretijs tantum vendant non minori, dicitur à μόνος & πολέω, vendo, quaſi ſoli vendentes & ementes ſint, ex quo publico bono obuiatur & priuato illorum bono gratificatur, cum tamē
„ ſcriptum ſit prouerb. 3. Noli prohibere benefacere
„ eum qui poteſt, ſed ſi vales ipſe benefac. eoq; pertinet monopolium, ſi homines certi alicuius pagi cōueniant, ne deferant frumentum in mercatum vel vinum donec vel dominus loci vel ipſi vendiderint ſuum, hoc eſt pernitioſum reip. Idipſum contingit ſi conueniatur inter aliquos ne operæ vilius locentnr, ne operas alicui præſtent vt fit in thelonarijs: exiſtimant ad monopolia pertinere Batt.& Iaſon. in l. fi. col. 4. C. de coll, illicit,& Iaſon in con. 112.& ſeq. vol. 4. ſi paciſcantur artifices ne quiſquam eorum inſtruat in ea arte quam filios vel nepotes. Item ne quis in illorum collegium admittatur niſi aliquod pretium immenſum det ſingulis annis donec ex diſcipulo magiſter creetur.

Quȩ omnia plurimum communis boni progreſſum impediunt, aliarumq; rerum ſucceſſum, debēt ergo diligentes eſſe in hoc genere curando inſpectores fororū & iudiciorū ne plus vni q̄ alteri conniueatur aut plus æquo remittant, de pœna infligenda.

Huius rei gratia prouiſum eſt à legislatoribus remedium de iureiurando à iudicibus cauſarum & litigantibus in exordio litis præſtando de calumnia & de iure proſequendo vt patet in tota l. rem nō nouam C. de iud.& toto tit. in iure Can. de iur. cal: atq;

ſicut

ſicut pœnæ decretæ ſunt contra temere litigãtes ſic quoq; contra Iudices falſo iudicentes aut ſuis ſtipendijs non contenti l. properandum C. de iud. & l. eũ quem temere ff. de iud. Quod ad iudices & moderatores prouinciarũ plebis cito (inquit Modeſtinus) in l. plebis cito ff. de off. pręſ. continetur ne quis præſidum munus donum caperet niſi epulentum potulentumue quod intra dies proximos prodigatur; quod Vlpianus latius explicauit in l. ſolent. ff. de off. procon. quãtum inquit ad xenia pertinet audi quid ſentimus, vetus prouerbium eſt ὀυτε πάντα, ὀυτε πάντοτε ὀυτε παρὰ πάντων. ſ. neque omnia neque omni tempore, neq; ab omnibus eſſe accipiendum, nam valde inhumanum eſt à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum: manus integras habere à muneribus rectiſſimè placuit cum ea ſoleant demulcere & propenſiores reddere iudices, & vt vno verbo dicam ſoleant excæcare etiam oculos iuſtorum, per-
„ uertunt cauſas iuſtorum Deut. 16. munera de ſinu
„ impius accipit vt peruertat ſemitas rediđit, vnde quia etiam in minimis ſolet eſſe affectio, & ea quæ diuites pro nihilo ducant, plurimum æſtiment pauperes, conducibilius erit ex publico iudicibus ſtatuere ſalarium vt abſtineant à ſubditorum loculis, ſic enim fiet vt lites citius ſine vlla ſpe lucri finiantur.

Vnde vero iſta iudicum ambitio proficiſcatur varij varias cauſas aſſignant, verum principaliorem & magis fundamentalem eſſe cenſeo hanc, quãdo eiuſmodi officia & adminiſtrationes curiarum venduntur à principibus alijs, qui exinde id quod perſoluerunt duplicare aut triplicare geſtiunt, neceſſe enim eſt (vt dicebat Alexander Cæſar) vt is qui emat, vendat, omnis autem illa negociatio in principis detrimentum & reipub. conuertitur, Princeps

male

male audit quod pro iuſtitia diſtribuenda ad quam ipſe tenetur negociatur in ea, non doctos & probos qui libentiſſimè non emunt onus, ſed pernitioſos ambitioſos & indignos promouendo. dedecus magnum eſt reipub. & ſubuerſio eiuſdem, ſicq; à curatoribus & à populis plus regitur reſpub.

Hoc animaduertens Iuſtinianus, & vtrumq; præcauens ſtatuit, vt iudices ſine quoquo ſuffragio fiāt, circa principium, cuius uerba quia multum pro hac re faciunt ideo plenius adſcribemus ſicut ſupra in præcedenti cap. etiam aliqua exindè adduximus.
„ Cogitatio (inquit Iuſtinianus) nobis facta eſt, quod
„ agentes omnia quęcunq; in prouincijs noſtris ſunt,
„ vno actu communi ad meliora migraremur: hoc
„ enim omnino euenturum credimus, ſi præſides gen
„ tium & quicunq; ciuiles adminiſtrationes prouin-
„ ciarum habēt, puris procuremus vti manibus & ab
„ omni abſtinere acceptione, pro illis ſolis contentos
„ eis quæ à fiſco dantur. Quod non aliter fiet niſi &
„ ipſi cingula ſine mercede percipiant, nihil omnino
„ dantes, nec occaſione ſuffragiorum, neq; ius qui cin
„ gula habent neq; alij omnium vlli: conſiderauimus
„ enim quia licet quæſtus immodicus imminuitur,
„ imperio attamen noſtri ſubiecti incrementum ma-
„ ximum perciperent ſi indemnes à iudicibus conſer
„ uentur, & imperium & fiſcus abundabit vtens ſub-
„ iectis locupletibus. Et vno hoc introducto ordine
„ plurima rerum & innumerabilis erit vbertas. An
„ certè non omnibus manifeſtum eſt, quam qui aurū
„ dat & ita adminiſtrationem emit, non dat hoc ſolū
„ quantum occaſione adinuentum eſt ſuffragiorum
„ ſed & ad extrinſecus addit amplius occaſione com-
„ modi adminiſtrationem, aut dantibus, aut ſponden
„ tibus? & ſic vno principio illicitè dato neceſſe eſt

plu-

„ plurimas manus circumire eum qui donationem
„ facit, & hoc non de ſuo fortè præbere ſed mutua-
„ tum,& vt mutuare poſſit damnificum, & computa
„ re apud ſe quia conuenit eum tantum ex prouincia
„ percipere, quantum liberet quidem & debita & vſu
„ ras & damnum pro ipſo mutuo. Computabit autē
„ & in medio expenſas largiores, iam & iudici & qui
„ circa eum ſunt conuenientes,& quendam etiā ſibi
„ met recondet quęſtum in tempore ſequenti in quo
„ fortè non adminiſtrabit. Quamobrem eius quod
„ ab eo datum eſt triplum, magis autem ſi oportet ve-
„ rum dici, deſcriptum erit, quod à ſubiectis noſtris
„ exigitur & ex hoc etiam fiſcus imminuitur: nam ea
„ quæ oportebat in fiſcum inferri eo quod adminiſtra
„ tionem habet puris vtendum manibus, hoc ad pro-
„ priam vtilitatem redigens, qui adminiſtrationē ha-
„ bet & inopem faciens nobis collatorem inopiam
„ ipſius quæ per ipſum àgitur nobis reputat, &c. opor
„ tet igitur (iterum Iuſtin. inquit ſcribens Tribonia-
„ no Nouell. 17. de mandat. princip. cap. 1.) te pure
„ ſe mētem adminiſtrationem, & ſine omni ſuffragio
„ præ omnibus alijs mundas ſeruare Deo, nobisque
„ & legi manus, & nullum contingere lucrum neq;
„ maius neque minus, neq; captioſum quiddam con
„ tra ſubiectos noſtros negociationem ſed contentū
„ eſſe ſolis à fiſco tibi miniſtratis, & tam per te quam
„ per eos qui circa te ſunt purum nudeque eis ſeruare
ius. Hinc Theodoſius & Valentinianus Imperato
res conceperunt iuramentum ſubeuntium admini-
ſtrationes vel Magiſtratus in l. fin. ad l. Iul. repetūd.
in C. vt neque quicquam ſe dediſſe vel daturos vel
promiſiſſe pro ſortiendis adminiſtrationibus, neq;
dum in adminiſtratione fuerunt quicquam, pręter
ſalaria accepturos promittant.

Verum licet reformati ſic fuerint Iudices cauſarum, maior tamen adhuc reſtat difficultas de procuratoribus earundem, pro quibus erit & veteres remirare leges vel nouas & meliores ſi fieri poteſt condere vt dignitas loci & publica vtilitas cõſeruetur. Ad honeſtatem pertinet ea quæ ſunt in l. 1. ff. de poſtulan. ad compeſcendos vero clamores clemoſorum rabularum ſunt ea in l. quisquis C. de poſtulan. & l. prouiden. C. eod. Ad vtilitatem pertinet, vt tales procuratores & concinnatores cauſarum puniantur, qui iniuſtas cauſas fucant vt iuſtæ videantur, atq; non habentibus ſeu non inuenientibus aduocati, dentur à iudicibus: poſthæc eorundẽ etiam taxentur ſalaria iuxta facũdiam illorum & regionum conſuetud. Cauẽdum etiam erit ne defraudentur litigantes à ſuis inſtitutoribus ſeu procuratoribus per pacta redemptionis litium, quæ vocant de quota litis, vt l. litem te redemiſſe C. de procur. quemadm. contingere ſolet in adeundis hæreditatibus, ſeu relictis poſſeſſionibus capiendis vbi rude & imperitum vulgus facilè ab aduocatis perſuadetur ac vna modica ſumpta portione pecuniarum, ipſis relinquat multa milia coronatorum, hinc facile reddi poteſt ratio cur tam ex inſperato nobiles locupletesq; efficiantur aduocati ſc. ex iactura aliorũ, quod licet contra ius & æquitatem fiat, quia tamen ſic pacti ſunt cum principali ſuo litigante, nec litem proſequi volente, ideo ſecuros eſſe putant. & coram ſe de tali facinore quandoque iactitare audent: alias fraudes & technas ſimilium procuratorum hic recenſere ſuperſedebo ne potius illos docere videar, quam à tanto furto & rapina auertere.

CAPVT

CAPVT XXXV.

In complementum administratæ iuſtitiæ ſyndicatum eſſe oportet?

FVit olim ſic more receptum & de iure conſtitutum in Repub. Romana quod poſt depoſitam adminiſtrationem quiſq; in ſyndicatum vocaretur ibiq; ſi quippiam aduerſi ſibi obijceretur reſponderet l. vnica C. vt omnes tam ciuiles quam militares, & in auth. vt iudices ſine quoquo ſuff §. neceſſitatē coll. 2. qui mos eo ſolum inuentus eſt vt princeps ſe ab omni ſpecie iniquitatis immunem probaret, neque ſolam ſe iuſtitiam deſiderare ab omnibus in omnes adminiſtrari demonſtraret ſed etiam inquirere in non facientes hocq; paſſim in Italia in bene conſtitutis rebuspub. obſeruatur, at proh dolor nūc Principes ab conſiliarijs & officialibus in aduerſam partem pertrahuntur, nimiumq; ipſi fidentes patiūtiā maximam iniuriam & ſummam fieri iniquitatē eo quod velut oculis clauſis impinguatos illos & incraſſatos officiales immunes abire ſinant, contētiq; nuda illorum reſignatione, aut ſimplici fori delinatoria, ex quo depauperantur ſubditi, & grauaminibus grauantur & aggrauantur, plurimumq; periclitatur iuſtitia, cùm tamen vt dicit textus vbi ſupra, & in l. fi. C. vbi de ratiocinijs agi oportet, quod debeāt reſpondere in eo loco in quo ſuos contubernales afflixerunt, ſi autem auro iuſtitiam vendendo, cōmiſſerunt in principem, pœnis ſubijciebantur legitimis & ſceleſtibus ſupplicijs rei erant, quodq; iniuſtè rapuerunt in quadruplum reſtituere debebant, vt in

d. §. neceſſitetem auth. vt iudices ſine quo. ſuff. & non ſolum ſuis factis tenebantur, ſed etiam pro ſuæ familiæ & mancipiorum. Magis vero horrendum eſt ſi princeps fuco aliquo ſuorum circumuentus eiuſmodi iuris remedium illis remittat, detq; priuilegium iuratis officialibus vt contra eos non poſſit fieri ſydicatus, & ipſe princeps nihilominus videat ab ipſis iuratis bona ciuitatis dilapidarii, profecto tunc non obſtante tali principis priuilegio eueniet aliquando quod Dominus Saluator noſter tempus accipiet & iuſtitias & principis & ſuorum officialiũ iudicabit, vbi nullum priuilegium valebit nulla fori declinatio nulla ſcriptura, nulluſq; *titulus præſcriptionis*, ſed inſtructum erit conſilium altiſſimi in quo omnes comparebimus iudicandi & recipiendi pro vt quiſq; geſſit in corpore ſuo &c. neque vnquam tale priuilegium valere debet poſito etiam pro conſtanti, quod princeps conceſſerit, quia non eſt iuſtum priuilegium conceſſum in fauorem quorundam contra rempub. interpretari, & quia in generali mandato non venit dolus, neq; futurus remiſſus l. quidam decedens ff. de admin. tut. accedit quod tale priuilegium tendit ad noxam, ideo merito debet reuocari c. ſuggeſtum, de Decim.

De quibus vero cauſis fieri poſſit iſta ſyndicatio reſpondendum eſt, quod de iure de omnibus male factis, puta de ſummis male ablatis, de Baraterijs & ſimilibus dolo cõmiſſis, ad hoc l. 2. ff. quod quiſq; iuris, ſingulariter de culpa & negligentia in adminiſtratione admiſſis. Quid vero intelligatur per dolum & in quibus criminibus dolus commiſſus ſit videamus, & certè in criminibus per iudicem cõmiſſis non eſt dubium contra eum inquiri quia in illis iam eſt dolus iuris præſumptione, & licet regulari-

ter

ter dolus non præſumatur; hoc tamen fallit in criminibus quæ fieri non poſſunt citra dolum, & ideo tenebetur ad ſyndicatum de omni homicidio adulterio furto & ſimilibus & ſic eſt in foro approbata opinio Baldi quod etiam de criminibus commiſſis per officialem etiam durante officio poſſit inquiri, etiam quod non prætextu officij, vt ipſe ponit in §. proficiſci l. obſeruare. ff. de off. proco. ratio eſt, quia forus vel reſpub. aliqua non ponderat niſi quod dolo officialis ſeu iudicis ſit aliquis damnificatus adhoc vt poſſit cõtra illum inquiri, ergo multo fortius ſi etiam officij prætextu id ſit factum maleficium, vt pûta homicidium, exempli gratia ſi occidit hominẽ ſine defenſionibus quia talis iudex homicida reputatur, etiam quod alias reus, mortem mereretur caſus eſt in l. lex Iulia. §. fi. ff. ad l. Iul. repet. & ibi habes per eundem textum quando iudex ad hominem necandum pecuniam accepit, & ſic committit Baratẽriam vel ad illum aliàs cõdemnandum vel ad inuinculandum, vti iam fieri audiui, & vidi. Item vt facilius officialis ille vel iudex vel amicus eius poſſit cum illius muliere dormire & adulterari &c. hęc habet tota illa lex, quæ merito videri debet & perpendi à principibus terræ, vt videant qualiter de iuſtitia in ſuis iudicijs & prouincijs contingant, nec enim à ſyndicatu ipſi apud Chriſtum excuſabũtur, quod iam municipales leges & conſtitutiones ediderint, & quod ab vno vel altero pago ſimplex quidam ruſticus ad ius ferendum pro tali reo aduocatur, quippe quod ratione circumſtantiarum ſępe ipſum factum mutatur, & ſpecies delicti vel aſcendat, vel deſcẽdat ſicq; eiuſdem pœna vel minuatur, vel augeatur ruſticus vero horum nihil intelligat & nihilominus ad ſanguinem hominis iudicandum cum

alijs aſſeſſoribus adſciſcitur, ideò neceſſe eſt præcipue in criminalibus doctos habere viros, multũ expertes & vitæ rectæ.

Aliud item committi poteſt falſum & doloſum, ſi Iudex conſtitntus in regimine accipiat pecuniam ab extraneis & aduerſarijs principis ad tradendum illis regimen, vel quod pecuniam accipiat ad iniquã ſententiam ferendam, in quibus ſemper reus eſt peculatus & tenetur ad pœnam tripli l. iubemus C. ad l. Iul. repet. Vnde iura valde exaſperant pecuniam recipere pro ſententia danda, neque ſententiæ iſtæ valent neq; ab eis appellare neceſſe eſt.

Alio modo poteſt fieri iniuſtitia ab officiali ſeu Iudice, ob quam tenetur ad ſyndicatum ſi v.g. cogat diſtrictualiter ſubditos ſuos ad nuptias ſecum vel cũ alio ſuo parente, ex quo imo ſolo conatu incurrit pœnam decem librarum auri l. vnica C. ſi quacunq; præditus poteſtate, qua in re hodie multum offendunt iudices ſæculares (de quibus iam ſupra in c. 18) huius quod cogant ſubiectos ſuos ad matrimonia ex arbitrio contra parentum & nubentium & coniũctorum voluntatem quod aliud nihil niſi tyrannidẽ redolere videtur in quo & leges naturæ & Dei & Ecclesiæ offenduntur, iuſſit .n. Deus filijs obedire parentibus ſic leges humanæ & diuinæ ſtatuunt munus parentum eſſe liberis conditiones matrimonij quęrere, filios matrimouio locare, l. qui liberos. ff. de ritu nupt. Vnde cum talia matrimonia actiua ſc. fiunt aliud nil faciant tales authores quam contra leges diuinos ſcortationes, raptus, confuſionem familiarum; turbationem ordinum, libertatis ſubditorum ademptionem, & tyrannidis maxima iaciũt fundamenta. extant hac de re Honorij, & Theodoſii Imperatorum conſtit. l. 1. ſi nuptiæ ex reſcripto

petantur lib. 5. C. Iuſtiniani, quæ ad vnguem videri poterunt.

Aliud eſſe poteſt quando Iudex vel officialis ſibi procurat fieri ab aliquo donationem omnium bonorum forſan per interpoſitam perſonam, vt ſic crimen ipſis ſubticeat, quæ donatio nulla eſt l. vnica C. de contractibus iudicum coniecturabitur autem ſi iudex illi perſonæ donanti ſit amicus vel alias curialis iudici: vel ſi iudex qui alias de iure prohibetur, vel de foro rem aliquã à Curia emere, facit quod clam ſuus amicus ad commodum ſuum eandem rẽ minori pretio aduehat, in quibus omnibus dolus pręſumitur & aperte colligitur, ſicq; merito contra tales proceditur in ſyndicatu.

De culpa porro & negligentia ideſt de damnificatis ex culpa, & negligentia iudicum latior foret campus dicendi, ſi doctorum hac de re opiniones referantur, verum quia vela contrahere intendimus finem libro huic imponere: poterunt exempla eſſe latę culpæ quoad iudices ſi omiſerunt punire mala, capere ſceleratos, quos ſciebant reos homicidij parricidij &c. ex eo n. culpam latã admittunt eo quod non puniunt quos punire poſſunt & debent ſicque illorum malorum ipſi rei efficiuntur l. 1. C. de deſertoribus lib. 7. vbi dicit gl. nota contra officiales qui pœnas legibus inditas vel gratia, vel diſſimulatione differunt dum aliquando rixantes vident & ſe non interponunt quod vnuſquiſq; bonus officialis faceret & ſic eſt culpa lata, per quam ſunt ab officio remouendi vt notat Cyn. l. ſi ſeruus C. de noxalibus, imo in hoc non carent ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinunt obuiare. Item ſi aliquis iudex male tractauerit hominẽ captum in carceribus, non dando ei neceſſaria cibaria vel tegumẽ

ta, vel non relinquendo ſibi locum vbi ſol & aer intrare poſſit ex quo ſecuta eſt ſibi mors vel grauis infirmitas, quod ſi dolo fecit tenetur Corneliana vel ſi culpa, eſt alias puniendus.

Similiter in lata culpa erit iudex quando ex indicijs non ſufficientibus aliquem poſuit ad torturam vel quia vltra ſolitum tortus eſt hominem, & quando per nequitiam Iudicis cauſę protelantur, &c. Quando autem Iudex dicatur negligens notat Inn. in c. ſignificantibus de off. deleg. quod tunc demũ cum requiſitus, vel expreſſe denegat vel moratur facere iuſtitiam, & in hoc grauar & poteſt inquiri vt voluit Anton. But. in c. licet ex ſuſcepto, de for. compet. Quid autem ſi Iudex dicat quod id qnod fecit ex culpa vel negligẽtia vel dolo aſſeſſoris fecit quia ſic faciendum conſuluit, nũquid excuſabitur iudex, ſequendo conſilium imperiti aſſeſſoris? vbi quoad hoc quod ex proprio dolo vel culpa puniatnr excuſatus eſt per l. 2. ff. quod quiſq; Iur. facit tamen iudex ſuam litem ſi inique fecit vel pronũciauit, quia ſic non eſt excuſatus & dicit Bal. l. 2. ff. quod quiſq; Iur. quod ipſi aſſeſſores etiam tenentur de proprio dolo & imperitia & tenentur de imperito conſilio, quod datur poteſtati licet ſententia non formetur in perſona aſſeroris ſed iudices, ſecundum l. vnicam C. vt nullus vicarius teneatur lib. 11. Vt ergo ſupradicta procedant opus eſt quod iudex ipſe ſibi talẽ aſſumpſerit aſſeſſorem, quia mala electio eſt in culpa § præterea inſtit. quibus mod. re contrah. obl. & vbi Iudex ſibi non aſſumit aſſeſſorem ſed datur ſibi à principe vel à populo ex electione, tunc electores ſeu nominatores tenentur de dolo & eius imperitia l. 1. C. de periculo nominatorum lib. 11.

Quantum vero ad executiones ſententiarum varijs

rijs modis committitur culpa & negligentia, nam aliquandò fit executio contra iuſtitiæ effectū, quia executatus nullo modo erat obligatus, aut contra modum iuſtitiæ ordine prætermiſſo, primo caſu iudex eſt in dolo & culpa & facit litem ſuam. Secundo caſu, aut executionem paſſo aliquid obeſt, vt liberatio & tunc executio non debet retractari l. fi.§. fi.ff.quod metus cauſa, vbi executio non rite facta non reuocatur ſi pro debito eſt facta, iudex tamen tenetur iniuriarum ſi dolo ſecit, aut executionem paſſo nil obeſt, tunc debet retractari quod factum eſt l.ſi cum nulla ff.de Iud.& pro hoc facit l.2.§.graui ff.de adminiſt. rerum ad ciuitatem pertinen. vbi iniurioſa executio retractatur ſi qualitas facti patitur,& nihilominus iudex facit litem ſuam & tenetur in expenſis parti læſæ ſecundum Bal.l.obſeruare §.proficiſci. ff. de off. procon. Non minori certe pœna afficietur princeps qui nedum vt iuſtitiæ limites in omnibus ritè & legitime obſeruentur, non curat, ſed neq; in iuſtitiæ contemptores animaduertit, ſicque totius ſui regni & prouinciarum ſuarum obliuioſus contemptor exiſtit. Quod quia Catholici & veri Principis officio & vocationi repugnat, ideo magis magisq; is omnis qui talem ſeſe deprædicari optat, efficiet vt ſancta Dei religio Catholica fides pietas, iuſtitiæq; fines cuſtodiantur contrariaq; omnia ex ſuis prouincijs elliminentur, quatenus is poſt corporis huius reſolutionem iuſtitiæ mercedem, vt pro fideli in ſubditos ſuos adminiſtratione iuraq; & ſolicitudines iuſtitiæ coronam ab ipſo Domino Noſtro Ieſu Chriſto accipere mereatur, omniumque Sanctorum meritis & interceſſione in æternorum retributione conſoueri. Quod vt felicius citiusque fiat Illuſtriſſimos vtriusque Sta-

tus

tus Proceres, quantum per Dei gratiam poſſumus, ad idem Sereniſſimi illorum Principis Catholici zelum imitandum & adiuuandum exhortabimur.

LAVS DEO
&
Intemeratæ VIRGINI MARIAE
honor & omnibus Sanctis Gloria.

***

FINIS.

Iuſſu Adm. Illuſtris & Reu. Dom. Vic. Generalis Epiſc. Paduę, ego Fr. Hieron. Pallanterius ibid. Theol. publ. ea, qua potui diligentia percurri hos duos libros de Chriſtiano Principe, & de eius in terris viſibili miniſterio Adm. Reu. Dom. Matthæi Scholaſtici Sacræ Theologiæ Doctoris, & nihil in eis (iudicio meo) continetur, quod ſit contra Catholicam fidem, aut contra bonos mores. Quinimmò digni mihi viſi ſunt qui imprimantur ad vtilitatem ſtudioſorum fidelium, & ad honorem, & exaltationem Sacræ Romanę Eccleſiæ.

Idem Fr. Hieron. Pallanterius.

Imprimatur dummodo approbentur à R.P.Inqu. Dat. ex Epiſc. Palatio die xx. Sept. 1600.

Aloyſius Brullinus Vic. Paduæ.

Iuſſu Adm. Reu. P. Inqu. Paduæ Ego Fr. Cæſar Lippius à Mordano ibid. Metaph. publicus interpres percurri hos libros, & cenſeo, quod tuto edi poſſint.

Duo libri ſupradicti ſic correcti imprimantur. Fr. Mag. Felix P. Inquiſitor Generalis Patauinus. Die xxvi. Septembris 1600. manu propria.

1008308